PETRI JOANNIS

FABRI

Myrothecium

Pharmacopæa

Observationes

Chirurgicæ et

Palladium.

MYROTHECIUM SPAGYRICUM; *SIVE* PHARMACOPOEA CHYMICA,

OCCULTIS NATURÆ ARCANIS, EX HERmeticorum Medicorum scriniis depromtis abundè illustrata.

Item:

INSIGNES CURATIONES

VARIORUM MORBORUM, QUI MEDIcamentis chymicis, jucundissimâ methodo curati fuere.

Cum

CHIRURGIA SPAGYRICA,

IN QUA DE MORBIS CUTANEIS OMNIbus, Spagyricè & Methodicè agitur, & Curatio eorum cita, tuta, & jucunda tractatur.

AUCTORE

PETRO JOANNE FABRO,

Castrinovidarensi; Doctore Medico, ac Philosopho Monspeliensi.



ARGENTORATI

Sumptibus Heredum LAZARI ZETZNERI.

ANNO M. DC. XXXII.

LECTORI
BENIVOLO
Τὴν ὑγείαν.

UT variæ sunt, & perpetim mutabiles rerum humanarum vices, sic & artium, ac disciplinarum vicißitudines subindè accidere experimur. Chimia enim, ceu veritatis unica δοκιμασία, Physices firmißima basis, Pharmaceutice herculeum fulcrum, & totius Medicinæ regia corona, in Arabia olim concepta, in Helvetia prognata, & in Germania enutrita, demum in Galliam, maturiori ætate profecta, tanta ibidem specimina edidit, ut illa ad patrium solum, cui omnia accepta fert, remittere non dubitavit. Sunt autem tractatus tres, Petri Ioannis Fabri, Medici & Philosophi Monspeliensis; Chimicis secretis undiq; referti, quos quamprimum in Gallus excusos vidimus, tum propter materiæ dignitatem, tum exemplarium penuriam, tumq; pretii caritatem; nostris typus recudere, consultum visum fuit: Quô philiatris hac in parte nostrā opellam exhiberemus, & ad similia Spagyricorum volumina evolvenda, calcar aliquod adderemus: quod eò faciliùs nos præstituros speramus, quò peregrina domesticis sunt gratiora: Excipiet hanc trigam, si Lectori quidem grata fuerit, Palladium hujusmet authoris, transmutatoriæ artis fundamina examinans, in quo non minora Fabrilia artificia elucent, quàm in hâc, arcana medica reperiuntur. Vtere ergo, Lector Candide, Laboribus nostris, & his mysteriis instructus, disce benè Valere.

Vale.

J. H. D.

VIRO CLARISSIMO DN. JOAN. DE SENAUX, IN SUPREMA TOLOſatum Curia Senatori Integerrimo.

Dormienti, an vigilanti apparere mihi viſus eſt Apollo, increpánsque me, atque tarditatem meam ſuggilans; Quid, inquit, moraris tamdiu Philochymicorum pigerrime, rem tuam, meámque, imò publicam, quantum plurimum potes augere. Placet novo quod exſtruas templo immorari, id tu mihi vivo, Aegyptiorum, Hermeticorumque marmore fabrica, ivibi placet nova in ara, novo in tholo, perfundi, etiam novo thuris odore: illinc placet ut erumpat occultum tot ſeculis naturæ, artisque lumen, mortalium commodis, gratiæque impendendum. Hæc ille paucis: ſed quæ animos tamen addidere, & morantem concitavere ad fabrilia tractanda, & ad hanc templi molem ædificandam, in qua purum ab impuro, venenum ab alimento, ſanctum à profano, lucidum ab obſcuro, ex lege tamen artis ac natu-

naturæ, suo unumquodque loco composui. Et meritò tibi, VIRO CLARISSIMO, *alumno Palladis, alumno Apollinis, pro foribus ac valvis Apollineæ hujus ædis insigne, clarúmque nomen esse volui, quia & Apollinem & Palladem amas, téque amant illi. Me verò quia calumniatorum turba circumstrepet, tu qui in aditu ipso eris, aderis & succurres innocenti, omnium saluti, omnium commodis prospicienti: & quoniam me diligis, imò quoniam vis & potes, malevolorum in me dicta factáque refelles atque comprimes. Vale, Castronovarrii, ad Calendas Iulii, Anni 1627.*

Tui observantissimus servus

P. JOANNES FABER,
Philochymicus.

MYRO-

MYROTHECII SPAGYRICI,

OCCULTIS NATURÆ ARCANIS, EX HERmeticorum Medicorum scriniis depromptis, abundè illustrati,

LIBRI PRIMI.

CAPUT I.

De Spagyricæ artis introductione in Medicam artem.

ARTEM compleri & perfici posse, unius esse hominis, ita ut nihil addi possit, non solùm insipientis est concipere, sed & temeritatis insigne symbolum est tentare, cùm vita brevis sit, unaquàquæq; verò àrs longa, ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ; Ex Hippocratis oraculo fertur, Hippocratem tantum medica valuisse arte, ut in ea nihil potissimum ignoraret: at id eximiæ & hyperbolicæ laudis est potiùs, quàm debitæ. Tantum quidem potui tHippocrates in sua arte, ut omnibus sui tempor s medicis præcelluerit: tantùmque adhuc præcelluit, ut nemo medicorum huc usque culmen suæ perfectionis attigerit. Nihilominus tamen impræsentiarum perquàm multa sunt, quæ ipsam medicam artem adeò decorant, ut si veterem medicinam recenti æquipares, Medeidibus herbis rugas deposuisse dixeris, & florentissima, & consistenti vigere ætate:

Artes omnes imperfectæ & incõpletæ sunt.

quo-

quorum tamen omnium, salva tanti viri fama, obliviosus fuerit Hippocrates: hæc sunt centena medicamentorum genera, quorum benignitate gaudet universa medicinæ facultas, quòd sint ægrotantium delicatorum benigne solatium, quæ tamen omnia tempore Hippocratis, ex medicorum incuria in disquirendis naturæ arcanis, & diversis terræ plagis, ignota erant: Non enim Rheubarbarum amaram adhuc purgaverat bilem, nec Sena acetosum lienis succum, nec dulcem pituitam Agaricum, nec Cassia, nec Saccharum, nec Manna, Pharmacopolarum pixides impleverant, nec infinitæ herbarum species, nec flosculorum fere myriadum variegatæ imagines & icones, hortulos botanicorum illustrarant; & oculos hominum deluserant. Hac jam medica supellectile, in ægrorum commoditatem, & solatium abundamus, qua tamen seculo Hippocratis indigebamus. Luxuriabat undique ellebori, peplii, & colocyntidos seges, ad morborum fere omnium curationem; jam verò benignorum nostrorum medicamentorum dulces halitus, feroces antiquorum medicamentorum impetus adeò depresserunt, ut in morborum curatione, ad gustum gratissimas paratas potiones exhibeant medici; ita ut morbi fere jam sint hominibus deliciis potius quàm dolori, quòd ratione medicamentorum dulcium cum deliciis curentur. Addam & ego seculi istius medicamentorum fertilitati & copiæ, Spagyricam artem, quæ ab antiquitatis antris evocata, Medicinam adeò decorat, ut ejus gratia, summum perfectionis attigisse dicere jam possimus. Purum enim illud, quod centro mixtorum occultatur, quodque solum naturæ sedes est, & totius Medicinæ fundamentum, videri nec haberi potest absque Spagyricæ artis

artis adminiculo, cujus solius est, illud purum cognoscere, notum à centro mixtorum extrahere, rejectis extraneis, & extractum ægrotis porrigere. Viguit hæc ars inter arcana Ægyptiorum, nec nota fuit omnibus, sed sacris, & primogenitis Ægyptiorum, tanquam unicum & indelebile & incorruptibile familiæ patrimonium, à quo pecuniæ, & thesauri perennes scaturiebant. Floruit tempore Hermetis Trismegisti in Ægypto, circa annum mundi 2434. Deinde à Democrito tempore Hippocratis circa annum mundi 3537. inter arcana Democriti, ab Ægypto in Græcos translata fuit, & ab eodem Democrito, in medicinam introducta. Primus enim inter Græcos distillandi peritus fuit Democritus, distillationis autem peritiam didicit in Ægypto. Hippocrates verò etsi summus in sua arte, quòd Ægyptiorum sacris initiatus non fuisset, quòd barbara secreta negligeret, distillandi illam peritiam non novit. Ideoque inter scripta sua, nullas aquas distillatas reperies. Auri tamen potabilis rudem aliquam videtur habuisse notitiam, cum lib. 1. de diæta dicat: Aurum operantes tundunt, lavant, molli igne liquant, forti autem non conflatur; ubi verò elaborarunt, ad omnia utuntur. His verbis ænigmaticis auri solutionem chymicam intellexisse videtur. Galenus tamen, etsi ignarus spagyricæ artis fuerit, acumine ingenii sui subolfecit nonnulla, quæ ad artem spagyricam pertinent, quorum si perfectissimè peritus fuisset, Medicinam nobis dedisset auctiorem quàm fecerit. Libro enim undecimo, de simpl. medic. facult. capite undecimo scribit: quæ tenuium sunt partium medicamenta, iis quæ sunt crassarum partium, plus habent efficaciæ, etiamsi parem

Quo tẽpore viguit Alchimia, & quis primus inter Græcos fuit Alchymista.

Hippocrates cur ignarus fuerit artis Spagyricæ.

ſortita fuerint facultatem, nimirum quia melius penetrent. Calidam etiam & æthercam vini ſubſtantiam ſeparare ſummopere deſideravit, eiusque ſeparationis adinvenire ſecretum. Nam tenuiſſima illa pars vini efficaciſſima fuiſſet ex ipſiusmet ratione & argumento. Nos jam hæc, quæ non potuit excogitare Galenus, tenemus & ſcimus, & longè plura, adminiculo ſpagyricæ artis. Craſſa etenim & quæ nullas fere habent agendi facultates ita attenuamus, ut attenuatione, potentiſſima evadant medicamenta. Quin & medicamenta ipſa intrinſecè permutantur, nam Cathartica, ſudorifica fiunt: ſtiptica diuretica, & ea cathartica rurſus. Et ea quæ temporalem ſeu annualem habent agendi potentiam, quæ anno peracto & menſe ſuis omnibus agendi energiis perfunguntur & ſterilia fiunt; in tantam excreſcunt agendi potentiam, ut nunquam fere ſeneſcant, ſed virili ſemper polleant facultate, modò præparationes ſpagyricas ſubierint. Hæc omnia tempore Hippocratis hominum ignavia ſepulta erant, & ideò Medicina non adeò clarior hisce temporibus vigere potuit, quàm jam viget, etſi Apollinem, Æſculapium, & Machaonem, & Hippocratem, & Galenum cantet antiquitas. Si jam hi reviviſcerent, hisce ſeculis invenirent homines thure & laude ſeipſis digniores, & adhuc poſterioribus ſeculis florebunt alii, omnibus præſtantiores. Unaquæque enim ars, & ſcientia infinita eſt, cum ab infinito, nempe Deo originem habeat, ideoque indies Dei benignitate creſcit, ſeu patefit eius notitia.

Medicamentorũ Spagyricorum laus.

Cur in dies ſcientia notior fiat.

CAP.

Cap. II.

Quod medicamenta Chymica Medicinam decorent.

Sunt qui adeò futili, & inani ludibrio habent medicaméta chymica, & omne quod chymiam ſapit,ut à primo limine torvis aſpiciant oculis, & faſtidiant illico: hos omnes caput iſtud ferit & lãcinat. Sunt enim canes rabidi quos lumen & ſplendor Lunæ noſtræ offendit & angit, ad quam allatrant & ululant,ſed eorum irriti ſunt ululatus,curſus lunæ noſtræ non retardatur, nec eius offenditur lumen,quin irradiet Medicinam, ægrotantium ſolatium, & quietem: qua enim ratione lumen iſtud obſcurari poſſet eorum calumniis & inanibus verbis,quod in infimis terrarum antris, diu noctuque perluceat, quod occaſum neſciat ullum: ſed orientis radii fulgore ſemper perluſtretur; neſcit mortem,etſi circa illud, & per totam ſui centri circumferentiam mors vigeat. Purum naturæ, medicinæ baſis & fundamentum, lumen iſtud appello, quod luminis omnis ſit author,& ſit lumen ipſum naturæ: iſtud Purum Chymia docet, quærit, & inuentum pro ſummo medicamento & archipanacea cuſtodit: in omnibus naturæ mixtis Purum iſtud conſervatur, tanquam formæ mixti ſedes. At in his omnibus plus eſt impuri & heterogenei, quã puri illius, de quo eſt ſermo, ideoque qui nullis aliis præparationibus quàm naturalibus, purũ iſtud ægrotis porrigunt,plus morbo favent, quàm ſanitati, quòd plus impuri porrigant quàm puri. Purum enim natura minimum produxit, copioſum verò & maximum impurum: ex creatoris maledictione in naturam, quæ jam tribulos & ſpinas hominibus parit, & producit. Datum eſt homini judi-

Defenſio alchymia.

Medicina quid.

Purum rarum in natura.

cium & ratio,qua excogitet tribulos illos & ſpinas evellere, ut ſolo naturæ puro gaudeat. Quod Purum datum illi erat,ad vitam, ad gloriam, ad ornamentum,ad delicias, & ad alias vitæ ſuæ amœnitates; Impurum verò propter peccatum ſuum, ad dolores, ad morbos, & ad alios infinitos humanæ vitæ angores. Medicamenta ergo chymica, quia Purum iſtud naturæ purum putum habent, (aut rite præparata non ſunt,nec in catalogum medicamentorum referri merentur,ſi lumen iſtud naturæ ab omnibus tenebris denudatum non contineant) poſſuntne cum tali lumine Medicinam obſcurare, aut eam ipſam deturpare ? ut clamitant nonnulli Medicorum pallio tenus & toga, qui modò digitis,aureis annulis ornatis, & bene curata pectili barba, & cæſarie, & lingua volubili ſe ægrotis præbeant, & oſtentent, nihil aliud curant. Medicamenta non ſolum ſubtili indagine, ſed etiam ſummo corporis ſudore perquiri poſſunt: delicatas vobis diſplicet carbonibus inficere manus, ideò ſibilo exploditis id omne, quod ſudore & labore improbo paratur: bonum tamen poſuêre dii ſudore parandum, quod ſolum in Medicina quærendum eſt, nec per odium rejiciendum, minúsve unius in alterum convitiis exprobrandum. Quin potius omnes conatus, & ſtudium noſtrum in laudem Dei, & proximi utilitatem dirigendum eſt, ut optimis remediis humanam miſeriam ſolemur, & artem experientiis comprobemus, quò indies Medicina certior & excultior evadat. Ad quem ſolum ſcopum collimant chymici omnes, poſteritati prodeſſe cupiunt,ut eorum lucubrationibus, & laboribus,aliquid levaminis & ſolaminis habeat, ne in poſterum humana corpora tot & tantis craſſis potionibus graventur, quamobrem excogitarunt

reme-

remedia; quæ parum materiæ, & multum formæ habent, morbis fere cunctis convenientia, citò, tutò & jucundè purgantia, ut passim in toto hoc volumine manifestissimè experientia comprobabitur.

Chymicus medicus ad quid vergat.

Cap. III.

Medicamentum quid sit.

GAlenus primo de simplicibus medicamentorum facult. cap 1. generaliter Medicamentum dicit id omne quod naturam nostram alterare potest. Nos verò exactiùs medicamenti naturam examinando, Galeni definitioni addemus paucula, quibus medicamenti substantia notior erit, & similibus construemus verbis: Medicamentum est purum naturæ, quod naturam nostram læsam & morbo afflictam alterando succurrit & juvat: si nudis enim & crudis tantum verbis Galeni nihil addamus, Venenum etiam cum medicamento confundemus. Venenum enim naturam nostram alterat & immutat; at venenum in pejus, medicamentum verò in melius. Neq; medicamentum naturæ nostræ contrarium esset debet, nam si esset, morbo esse non posset, cui tamen contrariari & adversari natum est, pariter ac natura morbo est contraria: unde medicamentum simile naturæ esse debet, & morbo contrarium, & hoc pacto Hippocratica & Spagyrica axiomata de curatione morborum, quæ aiunt, Contraria contrariis rite apposita curantur, &, Similia similibus conservantur, nullum habebunt dissidium, at idem sonabunt. Purum autem naturæ solum esse posse medicamentum asserimus, quod illud solum sit actionis capax & virtutis; est autem agendi principiũ propter formam, quam

Medicamentum quid sit.

Medicamentum morbo contrariũ esse debet, nõ naturæ.

Medicamentum est purũ naturæ.

ſecum continet & fovet, nec unquam formæ corrumpuntur & abeunt in chaos naturæ, quamdiu purum naturæ prædominatur impuro, & excrementitio recremento: ſi verò iſtud prævaleat puro naturæ ſtatim oritur corruptio, ut per corruptionem, excrementa nimis copioſa ſeparentur & addatur de novo ex Cœlo & aſtris deſcendens purum naturæ, quod veteri & ſenſili conjungitur & reparat illud, & ſic regeneratur, non ſub eadem forma quod ex tali corruptione purum, non deveniat ad eundem gradum perfectionis, & puritatis, qui gradus formarum differentiam pariunt & generant.

Formarum differentia quod ſiat.

Cap. IV.

Quæ differentia ſit inter Medicamentum, Alimentum, & Venenum.

Alimentũ quid.

Alimentum eſt purum naturæ, quod reparat purum naturæ deperditum, & à calore naturali ſuo conſumptum, ut hac refocillatione & reparatione, & omnia quæ egent alimento conſerventur, & diutius perdurent. Venenum vero è contra, non eſt purum illud, de quo eſſe omnium fit, & conſervatur, ſed eſt impurum & excrementitium quid in mixtis puro contrarium: unde ſi purum conſervet, & foveat vitam, venenum deſtruet, ac diſperdet: unde Venenum definiri poteſt, id omne quod vitæ fundamentum & baſim diſperdit & deſtruit ſua contrarietate: vocamus impurum, venenum ut clariſſimè intelligatur, quod reſidet & latitat in mixtis venenatis, non omne eſſe venenum, ſed tantùm illud ipſum quod puro contrarium eſt, quod cùm ſemper in quibusdam naturæ mixtis prævaleat, ideò illa mixta venena ſunt. Quod ſi præparatione impurum illud auferatur, venena, alexi-

Venenũ quid.

alexiteria fiunt medicamenta, & cardiaca ſumma evadunt, quòd purum putum illud quod latitabat in mixto venenato impuro contrarium, vitæ ſit fomes, & propugnaculum, nec unquam venenari poteſt, *niſi ratione* excrementi, quo trugere poteſt. Id manifeſtum eſt in ſerpentibus ferè omnibus, & venenis tum animalibus, vegetabilibus & mineralibus, è quibus omnibus Spagyrici Philoſophi, ſuis præparationibus eliciunt ſumma medicamenta alexiteria, ut clarum eſt ex præparatione Viperarum, ex præparatione Tithymali, Elatiris & Ellebori, ex præparatione Mercurii, Antimonii, & Arcenici, & aliorum multorum mineralium, è quibus omnibus mira eliciunt medicamenta Spagyrici. Medicamentum ergo, medium inter venenum & alimentum, ab his duobus differt: primùm à veneno, quòd non noceat naturæ, ſed potius læſæ & afflictæ ſuccurrat. Ab alimento, quòd quamvis ſucſurrat naturæ, nihilominus tamen ſuccurrendo in eius ſubſtantiam reparando non tranſeat, ut alimentum agere ſolet. Sunt quidem medicamenta quædam, quæ utriusque naturam, tum alimenti, tum medicamenti participant: at illa medicamenta id agunt, quòd leviſſima ſint, & vim omnem ſuam in expellendo morbo non expendant; at quamprimùm naturæ conjuncta ſunt ut unà morbum expellant, ex proxima & fere immediata ſimilitudine quam habent cum natura, convertuntur in ipſam ſubſtantiam naturæ, relictis quibusdam qualitatibus leviſſimis morbo contrariis, quibus natura in morbum agit, & ſibiipſi ſuccurrit: vel natura ita roborata, vi ſua innata morbum expellit, ut agere ſolet magno elexire roborata.

Medicamentum qua ratione differat ab alimẽto & veneno.

Cap. V.

An medicamenta chymica cæteris omnibus sint præstantiora.

Medicamenta chymica qua ratione cæteris præstent.

CErtissimum est & luce clarius naturam, nihil producere perfectum, & omnibus numeris absolutum. Si maculæ ergo & imperfectiones naturæ, arte corrigi possunt, quod Ars perficit, perfectius est eo, quod natura producit: habet enim Ars id omne, quod natura habet, perfectam sumit enim ex ea naturam: & præterea cum perfectum illud naturæ, habeat aliquid manci, ars delet, & aufert, & perfectum illud, quod obscuratum erat vitiis suis & maculis naturalibus, postquam iis arte denudatum est, perfectius esse videtur. Natura quæcunque producit Medicamenta, sive mitissima sint, sive fortissima, aliquid semper dat illis connatum, quod medicamento contrarium est; in Rheubarbaro id claret, habet enim secum naturam quandam terrestrem & siccam, quæ medicamento repugnat, eiusque vires retundit, imò destuit. Tenuis enim illa substantia aërea & tamen quæ residet in Rheubarbaro quæ sola vim purgatricem habet, omnino contraria est, alteri substantiæ terrestri, & stipticæ. In elleboro verò, Colocyntide, & scammonea, latet substantia quædam acris, mordax, pungens & adurens, qua ventriculus & intestina adeò vellicantur, ut ab eorum potu inflammationes incurrant & vehementes ægroti, quibus aliquando mederi non est possibile medicis, qui ignorant qualitates illas infringere, & substantiam illam permutare. In Antimonio verò & Mercurio, occultatur cruda quædam substantia, quæ universam corporis œconomiam disturbat, nisi auferatur. Si tamen illæ substantiæ

In medicamētis purgantib quæ lateant substantia contraria.

ſtantiæ ſeparentur ex his omnibus medicamentis, quæ propter illas ipſas ſubſtantias, è pharmacopolarum thecis eliminantur. mira fient naturæ balſama, & purgantia medicamenta, quibus natura ſolatium capiet ingens, ut in ſequentibus Deo dante docebitur. Si ergo nihil naturale ex omni parte beatum ſit, & egeat arte, ut perficiatur; aut ſaltem quod perfectionem impedit & retardat, ab arte deleri neceſſe eſt, ut quod perfectum eſt videri poſſit, & vires pandere ſuas, quid impedit, quin medicamenta chymica cæteris omnibus ſint præſtantiora, cùm præter perfectionem quam à natura obtinuerunt, ab arte chymica vindicentur ab omnibus, quæ perfectionem illam obſcurare poſſunt, ita ut ab his vindicata, perfectiora videantur, cùm nihil contrarium obtineant. Ab his etiam vindicata, actiones habent fortiores, & efficaciores: actiones enim omnes ſunt à forma, actionum præſtantia à nobilitate formæ, nobilitas formæ, à pura & nitida elementorum compoſitione, qua tanquam pyxide in inferiori mundo detenta concluditur & conſervatur. At chymia ad id ſolum inventa eſt, ut ſeparet purum ab impuro, purum conſervet illæſum. Sic illius puri forma præſtantiſſima erit ex pura elementorum compoſitione, & proinde actio erit efficaciſſima, & conſequenter medicamenta ſimiliter erunt præſtantiſſima; cum nobilitas à nobilitate & præſtantia actionis dependeat. Addam præterea, in medicamentis chymicis nihil contrarii & adverſi reperiri, ut in aliis, à quibus communis & vulgaris pharmacopolarum methodus, partes viribus adverſis, & contrariis præditas ſeparare non poteſt, nec pura ab impuris, ſalutaria à non ſalutaribus: quis enim eorum Arſenicum, Mercuriumque ſublimatum

maxi-

maxima etiam dosi, nullo præbibito antidoto, ut Chymicorum multi faciant ebibere tentabit? Itaque medicamentorum chymicorum excellentiam propter eorum puritatem, quam chymiæ beneficio, pyronomiæ legibus, & regulis, sibi vendicant, cæteris omnibus anteponere non erubescam.

Cap. VI.

An Medicamenta Chymica fortiùs alterent Naturam, ac perturbent reliquis aliis.

Medicamenta Chymica non perturbant natura.

NEscio quo fato factum sit, infinitos fere Medicos Hippocraticos in id erroris & opinionis devenisse, ut Medicamenta Chymica, inter deleteria collocent. Nescio an id evenerit ex temeraria quadam Antimonii & Mercurii malè præparati exhibitione quorũdam chymiculorum, qui omnibus ferè morbis præcipitatum quendam Mercurium, & in vitrum fusum & liquatũ Antimonium porrigunt & exhibent: quos omnes ex schola Chymicorum eliminandos, imò ex physica chymica omnino detrudendos, & in perpetuum exilium relegandos, nec unquam revocandos censeo. Mercurius etenim & Antimonium, sic præparata, majorem quàm antea possident acrimoniam, qua vellicant ventriculum & intestina: nihilominus tamen ex imperita nonnullorum Chymicorum præparatione, hæc medicamenta contemni non debent, nec multò magis alia, non secus ac Bucephalum Alexander non contempsit ex imperitia præfecti equilis, sed ipsemet considerata equi natura, mira arte sine verberibus tractavit equum, & tandem conscensum ad cursum admisit, tum calcibus usus est, & molliter flexis habenis, equum eduxit & docuit,

euit, quem planè tamen nullus adhuc tangere præ feritate ausus fuerat: sic dicere possumus de medicamentis Chymicis, si rite non præparentur, ferocissima sunt, & naturæ nocent potius quàm prosunt. Antimonium quidem & Mercurius ut à natura producuntur, venena sunt, & deleteria, propter crudum humidum radicale quod habent, quod coquendum est, (non est tamen Antimonium & Mercurius totus crudus & incoctus,) habent partes secum heterogeneas, coctas aliquas, aut saltem minùs crudas, quàm alias; alteras verò omnino crudas, quas separare oportet, aut saltem miro pyronomiæ artificio ad coctionem quandam perducere, & sic deleteria non sunt, & tutò offerri possunt infinitis ferè morbis, quibus mederi tantùm possunt hæc medicamenta. Quòd si hæc prædicta medicamenta, & alia infinita, quæ ut à natura producuntur, deleteria sunt, arte Chymica possint ita præparari, ut deleteriam illam facultatem amittant, & in benignissima medicamenta, & balsama abeant, quî fieri potest ut fortiùs alterent naturam, ac perturbent reliquis aliis naturalibus, quæ nulla alia prævia præparatione porriguntur; quæ secum habent omne, quod aliquãdo deleterium est, & venenum: imò ego ipse tanquam testis oculatus asserere possum, Spargyricam artem tantùm valere, in moderatione, & melioratione medicamentorum ferocissimorum, ut ex ipsis venenatissimis naturæ mixtis verum Saccharum & Mel elici possit, quod erit summum naturæ alimentum & condimentum; nihil enim in rerum natura reperiri potest, quin incinerari possit, & in salem converti: ex sale autem illo puro & puto, spiritus elici possunt, qui humiditate superflua relicta, abeunt in crystallos saccharo & melle dulciores. In sequentibus hæc methodus clariùs

Quid in Antimonio & Mercurio separandum est.

clarius docetur, & manifestum est his omnibus, qui spiritum salis elicere norunt. Quamobrem deponant quæso hi omnes, qui existimant medicamenta chymica deleteria esse, ex animo illam opinionem; nam mitissima sunt ut ratio dictat, & si rationi credere nolint, experientia ipsa saltem coget eos mutare sententiam.

Cap. VII.

An in præparatione Medicamentorum Chymicorum Cœli ratio sit habenda, & considerandi Planetarum influxus.

Cœli agunt in inferiora.

Superiora in inferiora agere nemo Philosophorum ambigit, quod enim oculis ipsis cernitur, negari non potest; videmus siquidem singulis annis redeunte ad nos sole plantas emortuas, & arbores tabidas & exsuccas reviviscere, & viridem & succulentam induere pellem, quo potissimum tempore plantas & arbores succo abundant vitali, quod sole rarefactis terræ poris, alimentum copiosius ascendat ad radices plantarum & arborum. Nec solùm arbores & plantæ, adventum solis persentiscunt, sed & animalia omnia; veris enim tempore ad prolem excitantur potius, quàm alio tempore, quòd semen eorum eo tempore potissimum turgeat spiritibus animalibus solis adventu adauctis. Quin & mineralia etiam solis agnoscunt præsentiam, efflorescunt etenim copiosius, & mineræ copiosiores emittunt vapores, veris tempore, quàm alio quovis: hinc certum est, omnia tunc temporis radicali turgere succo, ac multo maiori, quàm alio quovis tempore: unde non ambigendum ullo pacto est, quin collectio medicamentorum tunc temporis

poris plus valeat, quàm alio tempore, & præparatio identidem; nam purum quod quærimus in mixtis, ut medicinæ serviat, copiosius est eo tempore quàm alio. Addam ego, quod & spiritus volatiles cœlestes, qui è cœlo descendunt in terram, ad conservationem mixtorum, copiosiores etiam sint, unde non solum terra & aqua turget illis spiritibus, sed etiã aër, & universum cœli concavum, spiritibus vitalibus abundat: hinc fit ut in præparatione medicamẽtorum chymicorum, dum à mixtis partes vitales à se invicem separantur, similia similibus jungantur per sympathiam & amorem, & crescat purũ mixti purificandum & præparandum; convocatis ad se cœli spiritibus undiquaque vagantibus. At id in genere dictum sit, de præparatione medicamentorum: generaliter etenim omnia crescunt veris tẽpore; at quia diversa sunt mixta, & singula singulas habent formas, & proprietates diversas, diversaque humida radicalia, quæ peculiari aliquo signo cœlesti subjiciuntur, quod cum tali humido radicali habeat sympathiam, & connexionem quandam, qua humidum particulare mixtorum crescit & viget, modo signum suum cœleste supra horizontem luceat, & benignissimis fruatur solis aspectibus: quapropter, ad debitam & exactam mixtorum chymicè præparationem, non solùm ver expectandum est, sed particularis & peculiaris planetarum & stellarum ortus contemplandus est; & potissimum ortus, & occasus planetarum qui sympathiam & connexionem naturalem habent cum mixtis præparandis: exempli gratia, nunquam ferrũ præparandum erit, vt ex eo crocum, oleum, tincturam, salẽ facias, quin Mars planeta supra horizontem cum sole colluceat, & illius benignissimis fruatur aspectibus, & sint ambo, si fieri potest, in domo

Omnia &c. e spiritibus abundant.

Ferrum quomodo præparandum.

Leo-

Leonis, vel Arietis. Sic & plumbum, nisi cum Saturno Sol connectatur in Aquario, vel Capricorno, supra horizontem: nec ex stanno ullam essentiam extrahere, nisi cùm Jupiter Soli connectatur in Piscibus vel Sagittario: & sic de reliquis omnibus quorum dum de particulari agemus methodo, clarissimè id docebimus; sic enim extracta, essentiæ, magisteria, & arcana chymica, stupenda erunt; virtutem siquidem fortissimam tunc temporis acquirunt.

CAP. VIII.

De Magisteriis animalium, & primò de essentia sanguinis humani.

Sanguinis arcanum.

Colligatur sanguis humanus ex Adolescentibus sanis, florido vividóque colore præditis, & quadratæ staturæ hominibus; Mercurio supra horizontem conjuncto cum Sole, in Geminis vel Virgine, quod solet potissimum contingere intra menses Maji & Augusti, singulis annis, ut ex ephemeridibus clarum erit cuilibet rimanti. Colligatur autem maxima in quantitate in vasis argēteis, aureis, vel saltem vitreis; & custodiatur in umbra coopertus; ne pulvere sordido, & festucis contaminetur, donec concrescat, & serosum humorem omnem per se evomuerit; quem per inclinationem ejicies, & à sanguine concreto separabis. Hujus sanguinis concreti, & à seroso humore separati; accipe libras saltem, quinque quas citò permiscebis cum libris decem optimi spiritus vini à phlegmate puri, & simul conjunges in phiala vitrea fortissima, movendo & agitando materias; ut diluatur sanguis, & perquàm optimè permisceatur spiritui vini. Hanc materiam optimè clausam in balneo tepido, aut cineribus

neribus tepidis digere per quatuor aut ſex dies, donec ſpiritus perquàm optimè tingatur, & ſanguis ſit omni ex parte diſſolutus: Cave ne in digeſtione calor invaleſcat ſupra naturalem calorem, quia tũc temporis ſanguis coqueretur, & concreſceret magis, nec diſſolveretur. Dum diſſolutus eſt ſanguis, ſuperpone phialæ caput alembici, & diſtilla lentiſſimo igne, & ſepara ſpiritum vini, donec guttæ ſtillantes incipiant lacteſcere: tunc temporis vas recipiens mutando, ignem pedetentim augebis, donec ceſſet diſtillatio, qua ceſſata ignem iterum multiplicabis, ut ſal nive candidior ad caput alembici conſcendat: hunc ſalem cuſtodies & aquæ lacteſcenti prius egreſſæ conjunges. Feces deinde reſiduas fortiſſimo combures igne tamdiu donec albeſcant. Ex his ſalem elicies cum vini phlegmate puro & nitido ter aut quater diſtillato, ſequenti methodo: Accipe has feces calcinatione albefactas, & his ſuperpone phlegmatis vini maximam quantitatem & in catino argenteo vel ſtanneo bulliant (cave ne in cupreo) per horam: bullitione peracta & aqua frigefacta, impone phialæ, ut feces decidant omnes in fundo: deinde per inclinationem quod clarum erit effunde in alembicum & diſtilla, ad ſiccitatem usque: ſalem iterum violentiſſimo calcina igne, & ſolve ut priùs, & congela, & opus ſimile reitera, donec ſummopere niteſcat ſal, & purus putus, & clarus ſit valdè. Hunc ſalem phialæ impoſitum optimè obturaræ, reverberabis in furno reverberii, per quindecim dies, aut plus, donec colorem rubeum acquiſiverit: hunc ſalem benedictum, coloratum, & tinctum diſſolve in ſpiritu vini, quem ſeparaſti à tuo primo ſanguine, dum ſanguis cum eo digerebatur, & ponantur ſimul in digeſtione lentiſſima, donec perquàm optimè tingatur ſpiritus vini: tin-

 ctum

ctum spiritum vini, clarum & nitidum per inclinationem effundes in alembicum, & in balneo lentissimo igne distillabis, donec cesset distillatio: tincturæ deinde quæ in fundo remansit, adde salem volatilem sanguinis quem conjunxisti cum aqua lactescente quam custodiendam præcepi. Sit autem sal iste, & aqua lactesçens septima distillatione purificata, antequam conjungantur: conjuncta simul deinde circulentur lentissimo igne, & singulis qcto diebus superposito capiti alembici vase circulatorio, separetur quicquid aquosum extrahi poterit, quod est reservãdum pro summo arcano, in omnibus affectionibus oculorum: dum aquosum istud omne erit separatum, quod in fundo remanet custodiendum est, pro summo sanguinis arcano, & quinta essentia. Potest etiam brevius, sed non efficacius parari hoc arcanum, si sal volatile sanguinis purum putum separetur per sublimationem à sanguine, & in lentissimo igne ovo vitreo, optime clauso fixetur, donec colorem rubeum acquirat.

Vires & usus arcani sanguinis.

Vires arcani sanguinis.

1. Balsamum est summum & vires naturales balsami longe superat, tum in conservandis à corruptione corporibus, tum in sanandis vulneribus cujuscunq; generis, tum in curandis ulceribus quibusvis, intrinsecè sumptum, & extrinsecè admotum.
2. Adversus pestilentem auram, dum omnia fere remedia negligit fortissima pestis, summopere efficax, & præservativum.
3. Lepram incipientem susque deque tollit: antiquam verò mitigat eiusque ferociam reprimit, adeò ut vita longiori fruantur leprosi, arcano prædicto utentes.

4. Pa-

4. Paralysin & omnes nervorum affectiones extrinsecè admotum, & intrinsecè sumptum certissimè curat.
5. Podagram, quamcunque Arthritidem illico, & quàm citissimè lenit, & frequenti usu tutissimè sanat, & jucundè.
6. Hecticis, phthisicis, catharrosis & tussientibus, summum est sanitatis asylum.
7. Hemicraniam, & quemcunque capitis dolorem frequens ejus usus tandem disperdit.
8. Quartanam, & omnem melancholiæ speciem curat.
9. Intellectum & omnes sensus acuit.
10. Senectutem fortissima juventutis conservatione, prohibet: canitiem retardat.
11. Vulnera & ulcera interiora, & exteriora brevissimo conglutinat tempore.
12. Omnibus demum morbis accommodatur, & vires æmulatur fixi vitalis spiritus, ex centro terræ depromptí, quem antiqui omnes Philosophi vitæ nostræ verum & unicum propugnaculum dixere, & aurum Dei, quo utitur Deus ut omnia redimat à morte & annihilatione. Usus arcani sanguinis, sumitur cum aquis cinnamomi, anisi in jusculis, cum theriaca tempore pestis, ad quantitatem ʒ. j. jejuno ventriculo.

Cap. IX.

De quinta essentia cranii humani.

Sumatur cranium humanum sepulturæ non datum, eò quòd sal terræ his sepultus craniis illico conjungitur. Et caro dum resolvitur per corruptionem in salem abit qui ossa penetrat, & *Arcana cranii humani.*

 sali

ſali oſſis connectitur, aut ſi longius ambo permaneant corrumpitur tandem cranium, & diſſolvitur in corruptionem, quia ſal tum internus, tum externus corrodunt illud, & diſſolvunt. Sumatur ergo cranium quod diu noctuque cœli aperti, & Jovis frigidis injurii expoſitum eſt. Contundatur in fruſtula & ollæ novæ non vitreatæ imponatur, cooperiatur ſuo tegmento, & comburatur fortiſſimo igne, donec optimè candeſcat. Calix iſtius Cranii adhuc igne candens proiiciatur in aquam Pæoniæ, aut florum Tiliæ arboris, aut in phlegma vini depuratum, & ter ſaltem diſtillatum, cui diſſolutum ſit parum ſalis vitrioli ſecundum artem & methodũ noſtram inferius ſuo capite, tertii libri relatam: deinde auferatur & iterum plusquam fortiſſimo igne comburatur & calcinetur, & candens adhuc projiciatur in eandem aquam, & ſimul per ſesquihoram bulliant in catino ſtanneo, aut argenteo. Bullitione frigida facta, aquam impones vitreo vaſi ut feces ſeponat. His ſepoſitis, aquam clariſſimam & limpidam factam, per inclinationem in catinum ſtanneũ aut argenteum, aut vitreum alembicum effundes, ad evaporandum quicquid erit humiditatis. Sal in fundo remanens calcinabitur fortiſſimo igne in tigillo forti, & adhuc calens & candens projicietur in aquas ſupradictas: iteretur opus donec ſal ad ſummam deveneritpuritatem & nitorem, quod in ſeptima ſaltem calcinatione continget: habito huic ſali puro & nitido conjunge ſpiritum dulcem vitrioli (ſit autem dulcis ſi eum rectifices cum ſpiritu vini optimo, & à phlegmate puro) & ſerva in vaſe vitreo perquàm optimè clauſo, aut ſi diſtilles ſuper limaturam ferri ter aut quater, aut ſuper coralla rubea.

Vi es

Vires essentiæ Cranii humani, & Usus.

Vires & usus arcani cranii humani.

1. Mirum & stupendum arcanum est, contra inveteratas, & recentes epilepsias, per idiopathiam capitis, & communicationem aliarum partium inferarum, vapores sursum ferentium contractas.
2. Hemicraniam & vertiginem curat, ex quacunque causa ortum habeant.
3. Omnes sensus tum externos, & internos acuit.
4. Membrorum tremori succurrit, & convulsionum omnium speciebus.
5. Passionibus tandem omnibus capitis, tum frigidis, tum calidis, occulta quadam proprietate medetur.

Sumitur manè, jejuno stomacho, cum optimo vini spiritu, & noctu eundo cubitum, modò digestio peracta sit, hoc est tribus horis à cibo sumpto.

CAP. X.

De quinta essentia ossium humanorum.

Arcanū ossiū humanorum.

SUmantur ossa humana, quæ per annum saltem terræ absconsa non erunt, abstergantur à pulvere, & vino perquàm optimo madefiant in frustula contusa, per octo dies. Deinde ex his distilletur oleum per descensum, quod septima distillatione per retortam erit rectificandum, ut penetrandi summam acquirat potentiam: feces seu caput mortuum, quod remansit in distillatione per descensum, fortissimo combures igne, & ex calce illius elicies salem cum aqua ebuli. Purificatus hic sal nitidus & purus, conjungendus est cum oleo suo, & incorporandus, quod facillimè fiet, modò sal nitidus sit, & oleum summopere depuratum. Hæc au-

tem conjunctio si fieri potest ad majorem efficaciã facienda est, dum sol arietem ingreditur, quod fit vigesima prima die Martii, uniuscujuscunque anni, similisque conjunctio observanda erit in sale cranii humani cũ spiritu vitrioli dulci. Tunc enim temporis partes omnes solidæ corporis humani succulentiores sunt, & plus humidi habent radicalis, quàm alio quovis tempore: addam quòd capiti Aries prædominationem quandam, & irradiationem vim inferentem habeat, & cum à capite, saltem à cranio, ossa omnia habeant originem, siquidem spinæ dorsi connectuntur, & spina capiti: ex consequenti. Aries etiam omnibus ossibus vim inferet, & potissimum dum Soli conjungitur.

Vires & usus essentiæ ossium humanorum.

Vires arcani ossium humanorũ.

Non datur in rerum natura potentius medicamentum ne dicam balsamum prædicto, ad curandos & sedandos quoscunque dolores arthriticos: cariem etiam citissimè tollit & omne ossium vitiũ corrigit. Applicatur autem tepidè balsami more cum gossipio partibus affectis: ad curandam autem arthritidem, purgandum erit corpus prius ter aut quater, pillulis ex Mercurio Spagyricè præparato, cum quibusdam granis extracti ellebori, & tunc temporis mirandos videbis effectus.

CAP. XI.

De quinta essentia humana carnis.

Arcanũ humanæ carnis.

HÆc essentia mira est, & æquivalet arcano sanguinis, sed pauci sunt qui ejus rectam & debitam sciant præparationem. Theriaca est summa, & prævalet omnibus Theriacis, & serpentum omniũ carnibus, quocunque modo præparatis: Similia enim

enim ſimilibus congaudent & conſervantur, modò illa quæ conſervandis corporibus deſtinantur, incorrupta ſint: incorrupta autem fit humana caro, ſequenti methodo. Sumatur caro humana, adoleſcentis hominis violenta morte, ex juſtitia perempti; laudati ſanguinis, & quadratæ ſtaturæ ſi fieri poteſt, Sole Virginem ingrediente ad quantitatem librarum ſaltem trium, ex crure, lumbis, aut natibus, projiciatur in optimum, & ab omni phlegmate depuratum vini ſpiritum, quem Alchool vini dicũt ſpagyrici, ut vini ſpiritus ſupernatet illi, ad tres aut quatuor digitos, & maneant ſimul in vaſe vitreo optimè clauſo per tres aut quatuor dies. Deinde auferatur caro, & irroretur in catino vitreo frequentiſſimè ſpiritu ſalis ab omni phlegmate depurati. Catinus verò conſervetur apertus in umbra, in loco ubi pulvis, nec aliæ feſtucæ, carnem inficere poſſint: dum autem caro maximam ſpiritus ſalis copiam ebiberit perquàm optimè deſiccãdam permittes in eadem umbra & ſimili catino, verſata ſemper undiquaque carne: hæc caro ſic condita ſummum eſt humanæ naturæ ſolatium & vitæ ſuæ propugnaculum. Reſervari poteſt in conſervis vitreis ad uſus ſuos; nihilominus tamen poteſt adhuc efficacius præparari, & in quintam eſſentiam redigi hac methodo. Sumatur hujus carnis ſic conditæ ℔ j. & in pulverem redigatur, pulvis hic infundatur in perquàm optimo vini alchoole, in eo ſcilicet, quod per circulationem fragrantiſſimum odorem adeptum eſt, & maneant in digeſtione lentiſſima balnei per quindecim dies, donec tingatur in colorem ſanguinis ſpiritus vini. Tinctum effunde per inclinationem in aliud vas vitreum circulatorium, & clauſis optimè omnibus juncturis digere circulando, per octo dies, lentiſſimo igne, donec feces depoſue-

posuerit omnes; tinctura iterum effusa in aliud vas quod optimè claudes, feces quę in fundo remanent prioribus fecibus conjunge, & bulliente balneo distilla ex his quicquid poterit humiditatis; illudq; humidum tincturæ priori conjunge; feces deinde combure, & violentissimo calcina igne, donec albescant; & ex his, cum aqua cardui benedicti, aut florum tiliæ arboris, aut florum lilii convallii extrahe salem, quem calcinationibus, solutionibus, filtrationibus, & coagulationibus sæpius iteratis, in candidissimum reduces saccharum, quod conjũges priori tincturæ. Et ex hac tinctura lentissimo calore balnei extrahes humidum aliquid, donec tinctura spissitudinem mellis acquisiverit, quæ in vasis aureis digna est conservari, propter stupendas in sanitate conservanda virtutes, & in morbis quibusque pellendis.

Vires & vsus quintæ essentię humanæ carnis.

Vires humanæ carnis præparatæ.

Virtutes hujus arcani reticeri merentur, quòd tot tantæque sint, ut in earum enumeratione, hyperboles suspicionem adferat lectoribus: dicam tamen omnibus morbis accommodari, & Principes omnes, & Reges eo uti debere ad longissimæ beatæque vitæ usum.

Sumitur singulis matutinis horis, jejuno stomacho, in jusculo pulli, vel sorbili ovo, ad quantitatem trium, aut quatuor granorum.

Cap. XII.

De quinta essentia urinæ hominis.

Arcanũ urinæ.

QVamvis urina hominis sit reiectaneum excrementum, quod facultas excretrix hominum, tanquam quid inutile, imò & nocuum corpori humano

mano rejiciat;nihilominus tamen experientia quotidiana compertum habemus, ſcabiem & ulcera quædam cutanea leviuſcula,ſola urinæ lotione curata & perſanata fuiſſe. Quod ſpagyricis Philoſophis indicavit, omnem urinæ ſubſtantiam excrementitiam non eſſe quamvis à natura ut excremẽtitia ejiciatur;non enim ita prudens & avara eſt natura, ut ſolum excrementum à corpore deponat; bonum enim cum malo connectum, ex impotentia ſeparationis,foras quotidie detrudit, imo aliquando bonum purum, ut in effloridi ſanguinis criſi contingit excrementitia ergò non eſt tota urinæ ſubſtantia,ſed in ea latitat aliquid puri, quod purũ putum extractum,mirum eſt naturæ balſamum ad curationem vulnerum & ulcerum omnium, tum externorum, tum internorum.Extrahetur verò illud purum ſequenti methodo. Sumatur urina hominis ſani,cujuſcunque ſit ætatis modo non decrepitæ,Sole & Jove in Piſcibus exiſtentibus, & colligatur maxima in quantitate, ad libras circiter viginti. His adde ad celeriorem putrefactionem ſpiritus vini libras quinque,imponatur ſimul in vaſe vitreo optimè clauſo ad putrefactionem in fimo calido per menſem donec nigreſcat per quam optimè urina, deinde diſtilla lentiſſimo igne ut ſeparetur ſpiritus vini,quem cognoſces ſtriis diſtillantibus in capite alembici, dum ceſſant prædictæ ſtriæ, muta recipiens,& collige phlegma urinæ,donec fumi albi apparuerint in capitello alembici, & in ſalem albiſſimũ congelati fuerint. Hũc ſalẽ ſepara à capitello alembici,& cuſtodi in vitreo vaſe optimè clauſo, feces combure fortiſſimo igne, & calcina tandiu, donec albeſcant cineres,ex his deinde ſalem extrahe phlegmate proprio ſuo ſi vis, aut phlegmate vini,& calcina tandiu,& ſolve & congela,& iterum

calcina ſolve & congela, donec ſal albiſſimus ſit, & purus ab omni fœculento excremento: hunc ſalem priori conjunge, & adde his tertiam partem ponderis ſui, vini ſpiritus, ab omni phlegmate vindicati, & ſerva, poterit etiam loco vini ſpiritus addi ſpiritus therebentinæ rectificati, & ſervari.

Vires & uſus eſſentiæ urinæ humanæ.

Vires arcani urinæ & uſus.

1. Calculum renum veſicæque rumpit, & atterit, earumq; partium ulcera breviſſimo conglutinat tempore.
2. Gonorrhoeam virulentam citiſſimè ſanat, ſi cũ eo granum unum aut alterum camphoræ diſſolvas.
3. Vulnera ulceraque externa, eo peruncta ad cicatricem perducit.
4. Difficultatem meiendi quamcunq; cum ſpiritu therebentinæ citiſſimè tollit.
5. Putrefactioni internæ reſiſtit, necat vermes, & à febribus putridis præſervat.
6. Tempore peſtis, ſummum eſt contagionis præſervativum.
7. Tumoribus applicatum tepide cum linteolis aut goſſipio, ad maturitatem perducit.

Sumitur in aqua cinnamomi ad quantitatem granorum decem uſque ad duodecim mane jejuno ſtomacho, & poſt potum deambulandum eſt ſi fieri poteſt. Eo enim modo purgat mitiſſimè, & urinas excitat.

Hæc ſunt, amice Lector, quæ ex homine poſſunt extrahi, quæ tanta ſunt ut ſufficiant medico, ad curationem omnium morborum. Neque mirum eſt cum homo ſit Microcoſmus, & totius orbis compendium, in eo latitant virtutes totius mundi, nec

eget

eget ipſe aliis, quàm ſeipſo, unde prudentiſſimum fuit illud oraculum γνῶθι σεαυτόν. Sunt qui laudant quintam eſſentiam ſtercoris humani, laudatque Galenus 11 libro de ſimplicibus medicamentorum facultatibus, ſtercus humanum peculiari ſuo capite, ad tumores aliquos gutturis mortiferos reſolvendos, & pro arcano ſui temporis enumerat, ſed eſſentia urinæ humanæ vices aget illius, & quidem præſtantiores, & delicatis hominibus non erit faſtidio.

Cap. XVII.

De quinta eſſentia cervi.

SVmendum eſt caput cervi, qui cornua recentia & valde tenera habeat, & vetera depoſuerit, hoc caput pelle depoſita, una cum cornibus, in fruſtula conſcindendum eſt, & cum æquali quantitate ſanguinis cervi vitreo vaſi imponendum, & fimo equino calido putrefaciendum per menſem integrum, Sole & Mercurio, in Leone exiſtentibus. Peracto menſe putrefactionis, diſtillandum erit omne in balneo mariæ, aut in cineribus tepidis lentiſſimo igne. Ut ſi quid eſt ſpiritus ſeparetur à phlegmate & aquoſo humore. Quod cognoſces in diſtillatione, ſi ſtrias emittunt vapores, qui ſurſum aſcendunt, & in liquidum humorem in capitello alembici convertuntur, evaneſcentibus ſtriis mutãdum eſt vas recipiens, & colligendum phlegma, donec ſpiritus albi & ſpiſſi conſcendant. Tũc enim temporis permutandum iterum eſt vas, & aqua lacteſcens quæ egreditur ſeorſim colligenda eſt, & ignis augendus pedetentim, donec omnis aqua alba egreſſa ſit. Tunc iterum etiam augendus eſt ignis, ſal ſublimetur albus, & nitidus, qui lateribus capitelli alembici adhærebit, non ſecus, ac ſal uri-

Arcanũ cervi.

næ, hic ſal perquamoptimè cuſtodiendus eſt vitreo vaſi optimè clauſo: Spiritus verò, & aqua lacteſcens ſimul conjungendi ſunt, & ſeptem vicibus per diſtillationem purificandi. Deinde conjungendi ſunt cum ſale volatili, & iterum ſeptem vicibus diſtillãdi, mutato ſingulis vicibus alembico, aut ſaltem bene abſterſo priori, feces verò prioris diſtillationis calcinandæ ſunt fortiſſimo igne, & tanto, ut albeſcant. Ex his deinde cineribus albefactis extrahendus eſt ſal, purificandus iteratis calcinationibus, filtrationibus, & ſolutionibus, ultima purificatione, hoc eſt, donec nullas in ſolutione emittat feces, nec ullo pacto turbet aquam quæ ſalem ſolvit. Hic ſal deinde purus nitidusque factus, conjungendus eſt cum prioribus eſſentiis, ſale volatili ſcilicet aqua lacteſcenti, & ſpiritu, & tandiu invicem circulandi, donec invicem conjungantur, nexu indiſſolubili.

Vires & uſus eſſentiæ cervi.

1. Hoc arcanum eſt Epilepſiæ Rixotomon, radicitùs enim tollit quamcunque Epilepſiam.
2. Omnibus Maniæ ſpeciebus ſuccurrit & medetur.
3. Dolorem capitis inveteratum tollit & vertiginẽ curat.
4. In prolonganda vita, eaque ſana conſervanda, æque efficax ac arcanum ſanguinis cuius vires æmulatur.

Sumitur ad quantitatem uſque ad ʒ. j. in juſculis in ovo ſorbili, in aqua cinnamomi ſtillatitia, aut florum Tiliæ arboris pro Epilepſia.

CAP. XII.

De quinta eſſentia viperæ.

Arcanũ Viperæ. Eviſceratæ viperæ, capite caudaque abſciſſis, cuteque

teque deposita, minutim inscindendæ sunt, & vasi vitreo imponendæ, cum spiritu salis, ad eminentiã quatuor digitorum sole existente cum Mercurio in domo gemini & insolandæ per quindecim dies. Deinde distillandum est, quicquid poterit humiditatis, distillatum toties rectificandum, donec empireama nullum redoleat, & vasi vitreo reservandũ, feces verò comburandæ, & calcinandæ donec albescant cineres, ex his demum sal extrahendum solutione, calcinatione, filtratione, & coagulatione, hisque sæpissimè iteratis operationibus ad salis usque candorem summum, & puritatem, donec dulcis sit & liquescat, ut cera lenissimo igne, deinde conjungendum est, prædictus nobilis, & splendidus sal, in aqua sua, & ambo circulandi donec nexu indissolubili conjungantur, & fiant unum inseparabile, interim si quid est humiditatis aquosæ, per balnei calorem tepidum, poterit separari. Quod reservari poterit separatim ad oculos albugine, nebulis, & cataracta læsos, & ad auræ pestiferæ fugam.

Vires & usus essentiæ viperarum.

Vires & usus arcani vipera.

1. Hoc arcanum est cordis potissimum, & vitæ solidum propugnaculum, ideò omnibus veneni speciebus potentissimè, & efficacissimè resistit, eaque vincit.
2. Febres omnes pestilentes & malignas ad laudatam crisim, & citissimam coctionem conducit.
3. Ab omni pestis & contagionis periculo custodit, fugat auram pestilentem, vapores, & corruptiones internas malignas, cerebrum, cor, & hepar infestantes, foras protendit & evincit per insensibilem transpirationem.
4. Morsibus serpentum & brutorum aliorum vena-

nenatorum exterius appositum curat, & venenum mortificat.

5. Bubones pestilentes, & carbunculos & antraces exterius applicatum citò maturat eorumque dolores ingentes mitigat.

6. Cutem scabie & psora serpigine & herpete affectam absque dolore curat levemq; & politam reddit.

7. Lepram ipsam tutissimè, & certissimè curat, renovat enim totum sanguinem & purificat, hæmatosimque laudatam efficit, redacto ad temperiem moderatum & vitalem hepatis calore.

8. Vitam ergo ab omni morbi periculo custodit, longævam efficit, & beatam, & tandem cum prædictis sanguinis humani arcanis, est naturæ humanæ, summum & unicum in hac miseriarum valle solatium.

Sumitur singulis matutinis horis jejuno stomacho in aqua cinnamomi cardui benedicti, in aqua theriacali ad quantitatem ℈. j. vel in aqua roris Solis, ad majorem efficaciam.

Cap. XV.

De quinta essentia carnis Lupi.

Arcanū Lupi.

SUmatur Lupinæ carnis recenter mactatæ ℔.x. Arcenici mineralis ℔. j. radicis siccæ Aronis sive Iarri vel Serpentariæ majoris ℔. ij. Fuliginis ℔. j. ß. aquæ Calcis ℔. vj. misceantur omnia & contundantur, contundenda & incidenda incidantur, & imponantur vasi vitreo optimè clauso ad putrefaciendum in fimo tepido per mensem integrū, deinde extrahatur quicquid poterit humiditatis, in lento balnei calore, transferatur alembicum ad ci-

neres

seces & distillentur fortissimo igne, ad siccitatem usque, aqua distillata, ter aut quater rectificetur, feces comburantur igne ad albedinem usque, ex his extrahe salem cum aqua serpentariæ aut Iarri, & purificetur ultima purificatione, donec feces nullas emittat, deinde dissolvatur in aqua sua ter aut quater rectificata, & maneant in digestione tepida, per quindecim dies, deinde in lento balnei calore extrahatur omne humidum, quod eo calore ascendere poterit; reliquum quod in fundo remanebit custodi in vasis vitreis optimè clausis.

Vires & usus essentiæ carnis Lupinæ.

Vires Arcani lupi & usus.

1. Lupum manifesta est occulta quadam proprietate curat.
2. Cancrum etiam & nolimetangere potentissimè mortificat & sanat.
3. Scrofulas evellit & ulcera quæcunque maligna, phagedenica brevissimo tempore ad cicatricem perducit, exterius illinendo per se solum, vel cum oleo aliquo, sive cum oleo amygdalarum amararum, vel cum oleo vitellorum ovi, vel cum oleo mandragoræ, ad dolores mitigandos, quos excitat inter agendum.

Cap. XVI.

De quinta essentia vulpeculæ.

Arcanū Vulpeculæ.

Sumatur vulpes mas, verno tẽpore, & occidatur, & cum suo sanguine in vas vitreũ imponatur in frustula cõcisa: addatur aliquid vini alchool ut superarent humida siccis, ad eminentiã quatuor digitorum, collocetur vas optimè clausum in fimo equino tepido, per mensẽ integrũ, eoq; transacto, distilletur quicquid poterit distillari, distillatũ circu-

lan-

landum eſt, & deinde ſepties rectificandum : feces verò prioris diſtillationis calcinandæ ſunt, donec albeſcant cineres, ex his ſal extrahendus; & purificandus ultima purificatione, ut in omnibus ſuperioribus eſſentiis factitatum eſt. Sal purus putus aquæ ſuæ rectificatæ conjungendus, & digerendus per octo dies, & deinde humidum ſupervacaneum extrahendum balnei calore, & reliquum ſervandũ in vaſis vitreis.

Vires & uſus.

Vires & uſus arcani vul pecula.

1. Mira quadam proprietate colicos dolores certiſſimè ſanat, imò geſtans ſecum hoc arcanum vaſi aliquo vitreo hermeticè clauſo impoſitũ, nunquam affligetur ventris & inteſtinorum dolore.
2. Dolores etiam podagricos tollit exterius illinẽdo, & curat interius ſumendo.
3. Hydropicos mirabiliter ſublevat, & aquas & vẽtos ſenſim conſumit.
4. Alopeciam ſympathica agendi facultate exterius ungendo partes alopecia affectas, curat.
5. Nervis convulſis etiam medetur, ſumitur mane in juſculis ad ʒ. j.

CAP. XVII.

De quinta eſſentia Calbulæ ad Icterum.

Arcanũ galbulæ.

PRæ manibus habenda eſt maxima quantitas extracti ſtercoris auferculi, qui veris tempore herbas paſcuntur, paratum cum aqua Imperiali, deinde tres aut quatuor galbulæ tempore veris ſunt accipiendæ & occidendæ, & in ſuo ſanguine macerandæ per putrefactionem, per quindecim dies in fimo calido, deinde diſtillandæ, diſtillatum purificandum, ut in prioribus arcanis, feces comburendæ

dæ & calcinandæ, donec albeſcant cineres, ex his ſalem extrahere oportet, & limpidum candidumque reddere; ut ſuprà in ſuperioribus arcanis factum eſt, ſal demum conjungendus cum aquâ ſua pura puta; & circulandus per octo dies, ut ſi quid eſt fœculenti, in fundo reſideat, quod per inclinationem ſeparandum eſt, & totum reliquum purũ, & à fecibus terreſtribus vindicatum, aquæ Imperiali extracto ſtercoris anſerculi impregnatæ connectendum & ſervandum in vaſis vitreis optimè clauſis, ne reſpirent.

Vires & uſus.

Icterum absque dubio curat ſi per menſem integrum, Ictero quocunque affectus eo utatur, ſingulis matutinis horis jejuno ſtomacho eundo deinde deambulandum ſi fieri poteſt per duas, aut tres horas. Sumitur autẽ in juſculis tenuibus ad quantitatem cochlearium duorũ, aut trium ſingulis vicibus. Non erit artis culpa ſi ægrotus prius purgetur aliquo levi medicamento, cholagogo, & mittatur aliquid ſanguinis ſi vires ferant; quod medico eſt contemplandum.

Vires & uſus arcani galbula.

Cap. XVIII.

De quinta eſſentia Talpæ.

Calcinentur Talpæ cum Sulphure; calx imbibatur cum ſucco chelidoniæ ad eminentiam quatuor digitorum, & ſtent in digeſtione per octo dies, in cineribus tepidis in vaſe vitreo optimè clauſo, his tranſactis diebus, diſtilletur fortiſſimo igne ſuccus chelidoniæ, & rectificetur ter aut quater, feces demum fortiter calcinandæ ad albedinem uſque, ex his ſal extrahendus purus putus, iteratis calcinationibus, & ſolutionibus, & tandem aquæ ſuæ

Arcanũ talpæ.

contingendus, & ſervandus in vaſis vitreis optimè clauſis.

Vires & uſus eſſentiæ Talpæ.

Vires & uſus arcani talpæ.

Cancrum, tineam & herpetes fortes curat, ſi ea ſæpiſſimè imbibantur, goſſipiis ea eſſentia madefactis.

CAP. XIX.

De quinta eſſentia hirundinum.

Arcanũ hirundinis.

SUmendæ ſunt hirundines duodecim, aut viginti aut plus, & ſuffocandæ ſunt, ut ſanguis earum integer permaneat in venis; & minutim incidendæ ſunt, cum earum plumis, & imponendæ vaſi vitreo diſtillatorio, cum parum, videlicet cum unciis quatuor aut quinque ſpiritus chelidoniæ plantæ, (cujus ſpiritus extractio docetur infra peculiari ſuo capite libri ſecundi hujus operis, & diſtillandæ ſunt in tenui calore, donec ſpiritus egreſſus ſit totus, tũc enim temporis augendus erit ignis, donec humor omnis aſcenſus fuerit, caput mortuum erit poſtea calcinandum fortiſſimo igne, donec candeſcat, ex cineribus cum aqua chelidoniæ ſal erit extrahendus, & purificandus ſecundum artem, ut præmonſtratum fuit antea, & conjungendus cum humore ſuo egreſſo & aliquoties purificato, per rectificationem, rediſtillando ſepties.

Vires & uſus.

Arcanum eſt Epilepticum ſummum, modo æger utatur eo ad ℥ j. ſingulis matutinis horis jejuno ſtomacho, per menſem, purgato prius corpore aqua benedicta rulandi, quæ fit ex croco metallorum loto, per infuſionem in aqua chelidoniæ, hujus infuſionis ſumitur ℥ j. ad purgandum, ut videre

dere est suo peculiari capite libri tertii hujus operis.

Mirum etiam est ophthalmicum contra omnes oculorum affectiones, si oculos intingant ægri guttulis hujus arcani, & interius sumant per aliquot dies ad quantitatem unciæ unius.

Permixtum fecibus hirundinum & incorporatũ ad modum cataplasmatis ad anginam est unicum & solum refugium, cum cætera omnia desperatæ salutis sunt, est enim tenuissimarum partium, & summopere penetrat & discutit omnes tumores eosque resolvit, addam quod & peculiari quadam proprietate hanc affectionem curat.

Cap. XX.

De quinta essentia perdicum, caponum & aliarum avium.

Arcanũ perdicũ & aliarum avium.

SUmendæ sunt aves, quas volueris in essentiam convertere, & his occisis, plumisque depositis cute & adipe omni, inscidendæ sunt in frustula cum ossibus omnibus, & phialæ vitreæ imponẽdæ, & balneo mariæ collocandæ, ut bulliant per quatuor horas, his transactis calidè versandum est, è phiala vitrea, quicquid humoris egressũ est, ex carne avium, in aliud vas. Liquor prædictus depurandus est in balneo, donec feces nullas emittat, extractis fecibus singulis trinis diebus per inclinationẽ, è vase optimè clauso, in balneo bulliente, caro deinde & ossa quæ remãserunt comburenda sunt, & calcinanda ad candorem, & ex cineribus albis sal extrahendus cum aqua rosacea rectificata, si alembico plumbeo distillata fuerit propter cerussæ copiam quàm secũ ex tali distillatione traxit, si salem multis calcinationibus, solutionibus, & filtrationibus

reiteratis ad candorem summum, & dulcedinem perducas, & liquori suo puro conjungas, efficies medicamentum humidi radicalis restaurativum. Principibus & Regibus senectute oppressis summopere desiderandum; cui sal margaritarum addi poterit, non ad majorem efficaciam, sed ad conservationem arcani, quia sal suus, & innatus non sufficit liquori suo conservando; nisi addatur novus, Margaritæ autem dant copiam summam salis, facillimæ & citissimæ præparationis, qui vires alterius salis ferè æquat, quocirca addere consulo.

Simili methodo potest extrahi quinta essentia serpentum, cauda & capite abscissis; ad lepram, & calidam jecoris intemperiem. Et ex Piscibus omnibus, ad pthisim, & hecticam febrim, non ad curandam, sed saltem ad vitam rerum prolongandam.

Vires & usus.

Vires & usus arcani humidum.

Pthisicos & hecticos & macilentos, & senectute oppressos mirabiliter refovet, eorum humidum deperditum reparando in omnibus morbis cronicis, & in his in quibus vires deficiunt, summum est alimentum & vitæ fomes.

Sumitur in jusculis assiduis, & in potu assueto, in omni hora, & tempore.

Cap. XXI.

De quinta essentia cancrorum fluviatilium, aut maritimorum.

Arcanũ cancrorum.

Habenda est maxima copia cancrorum, & conchis suis optimè expurgandi sunt, caro verò eorum imponenda est vitreo vasi distillativo & distillanda est lentissimo igne, hęc autem aqua septies rectificāda est antequam servetur, caput mortuum

harum

harum omnium diſtillationum calcinandum eſt donec albeſcant cineres, ex his deinde cum aqua onovidis, aut milii ſolis, aut ſaxifragæ, ſalem extrahes purum putum & nitidum, & ab omni terreſtri fece vindicatum. Deinde liquori conjunges, & ſervabis ad uſus ſequentes.

Vires & uſus arcani prædicti.

Calculum renum & veſicæ miraculosè extrahit, & comminuit, ejusq; efficientes antecedentes tollit cauſas.

Vires & uſus arcani cancrorum.

Diſſuriam ſtranguriam, & omnem meiendi difficultatem cum ſpiritu therebentinæ permixtum tam ſubito ſanat, ut magicum effectum dicere poſſis.

Oculorum caliginem depellit, & nebulas diſcutit ungulas, & cataractas guttatim in angulis oculorum inſtillando ter in die.

Sumitur interius in juſculis aſſuetis, & àquis appropriatis ad morbum quem curare cupis, valet etiam exterius applicatum ad cancros curandos, modo mortificati ſint prius, arcano arcenici, quod in tertio libro docebitur, peculiari ſuo capite, vel arcano lupi prius dicto.

Simili methodo & via extrahi poteſt quinta eſſentia ex omnibus conchiliis: potentius autem erit remedium, ſi ſalem volatilem reddas, cum ſpiritu vini quod fit digeſtione & cooboratione ſæpiùs iterata ſpiritus vini, ſuper ſalem prædictum, ſal enim tunc temporis penetrandi ſummas acquirit vires, & tartaros omnes reſolvit.

CAP. XXII.

De quinta eſſentia centipedum animalium.

Arcanũ centipedum.

COlligenda eſt maxima copia centipedum, & projiciendi ſunt in vas vitreum, cum ſufficien-

ti quantitate ſalis communis decrepitati, & purificati, ut morientis, deinde diſtillandi ſunt fortiſſimo igne, ut eorum aqua, una cum ſpiritu ſalis communis egrediatur, hæc aqua ſepties aut pluries rectificanda eſt antequam reponatur ad conſervandum, ſalem verò in fundo remanentem calcina iterum, ut centipedes permixti optimè calcinentur, & ſal fiant, deinde cum aqua Ariſtologiæ rotundæ purificandus eſt ſal ille ſummopere, ut ferè fluat ſicut cera in lento calore, deinde digerendus cum optimo ſpiritu vini absque phlegmate, & circulandus, & putrefaciendus, & fortiſſimo igne pellendus, donec volatilis fiat una cum ſpiritu vini, hic ſal deinde volatilis conjungendus eſt cum priori ſuo liquore, & ſic invicem permixta, ſervanda ſunt ad uſus ſequentes.

Vires & uſus.

Vires & uſus centipedum arcan.

Interius ſumpta hæc eſſentia, cum aqua cinnamomi ſanguinem purificat, & valet ad lepram curandam ratione ſpiritus ſalis, quem ſecum habet.

Ulcera quæcunque externa exterius illinendo ſanat, & interna etiam cum ſpiritu Therebentinæ ſumendo, breviſſimo conglutinat tempore.

CAP. XXIII.

De quinta eſſentia vermium terreſtrium.

Arcanũ Vermiũ.

Collecti vermes terreſtres menſe Maio, in ſpiritu acido vitrioli ſuffocandi ſunt, & deinde diſtillandi lentiſſimo igne, donec non amplius diſtillet, deinde mutato recipiente augendus eſt ignis usque ad calcinationem fortiſſimam capitis mortui, donec candeſcat fundum alembici, & albeſcant cineres, ex quibus ſalem extrahes & purum putum facies

facies, multis iteratis calcinationibus & ſolutionibus, reiectis fecibus, ſingulis vicibus dum calcinas & ſolvis, aquam demum diſtillatam, & liquorem omnem priorem, & poſteriorem rectificabis & conjunges ſali puro, & ſervabis ad uſus.

Vires & uſus.

1. Arcanum eſt mirum, ad infantulos à vermibus præſervandos, & infectos vindicandos à tali illuvie. *Vires & uſus arcani ver mium.*
2. Fiſtulas etiam mirificè curat, ſi ſæpiſſimè colluãtur, & eorum capacitas compleatur eo arcano, tinctura ariſtologiæ rotundæ ſpiritu vini extracta delibuto. *Cura fiſtularũ.*
3. Scabiem etiam exterius illinendo certiſſimè curat: & cutem abſtergit exterius, applicatur ad ulcera ſananda, & fiſtulas, & ſcabiem cum aqua Ariſtologiæ, & ejus tinctura permixtum.

Interius verò ſumitur in aqua abſynthii pontici, aut portulacæ, aut ſucco limonum, vel cum aqua hyperici, ad quantitatem coclearii unius vel alterius.

CAP. XXIV.

De quinta eſſentia buffonum.

Arcanũ buffonũ.

MEnſe Junio colligendi ſunt buffones in maxima quantitate, & ſuſpendendi ſunt in aëre in loco, ubi radii ſolis vigeãt, & polleant toto fere die, & tandiu ibi cõſervandi, donec optimè ſicceſcant, ſicci comburendi ſunt ad candorem cinerum, ex cineribus extrahendus eſt ſal cum aqua cardui benedicti, aut ſcabioſæ, aut corticum limonum, ad puritatem ſummam & candorem. Hic ſal dein-

de permiſcendus eſt cum aqua thericali & ſervandus.

Vires & uſus.

Vires & uſus arcani buffonum.

Sunt qui aquam diſtillatam buffonum dum vivunt diſtillatorum laudant pro mortificandis cunctis inflammationibus externis, tum ad cohibendam gangrenam partium, & dolores ſummos calidos arthriticos mitigandos, ſed hujus rei fides ſit penes experientiam cauto medico & prudenti cōmittendam, quia venenum ſummum eſt hæc aqua, imò odore ſolo exiſtimo interficere poſſe, propter ejus ſpiritus volatiles qui ſemper exeunt ex aqua. De ſale verò nullo pacto dubitandum eſt quin theriaca ſumma ſit, & mirum alexiterium, ignis enim omnia conſumpſit præter ſalem vitæ, qui nunquā venenum eſt, ſed vitæ fomes & propugnaculum, ubique poſuit natura mortem, ibi etiam vitam collocavit, ut morti mederetur. Vires verò hujus laudatiſſimi ſalis, ſunt contra omnia venena, tum aſſumpta per potionem, tum per aërem illata: unde peſtis eſt ſummum alexipharmacum, bubones etiā & carbunculos peſtilentes mirabiliter exteriùs illitos curat & ſanat, eorumque malignitatem reprimit, & cancros tutiſſimè curat. Sumitur mane jejuno ſtomacho, ad quantitatem dragmæ unius cum aqua cinnamomi, vel illinitur exterius ad cancrum mortificandum.

Cap. XXV.

De quinta eſſentia Ranarum viridium, quæ pratis adſtant menſe Maio & Aprili.

Arcanū Ranarum.

Captandæ ſunt eo tempore Ranæ illæ, & vivæ diſtillandæ lentiſſimo igne, in balneo Mariæ per

per quatuor horas, & colligere quicquid humoris per ſpatium illius temporis egredi poterit, Deinde mutato recipiente juncturis optimè clauſis, mutandum eſt vas è balneo ad cineres, & diſtillandum quod ſupereſt humoris, qui priori conjungendus eſt. Reliquum verò quod in fundo alembici ſupereſt, comburendum eſt fortiſſimo igne, in tigillo forti & ad calcinandum apto, donec incinereſcat probè, & ex cineribus albis ſal extrahendus & purificandus eſt, ut artis eſt uſque ad candorem ſummum & dulcedinem, deinde liquori ſuo rectificato, & ſepties diſtillato connectendus, ut ſimul uniantur, & fiant unum ad ſequentes uſus ſervandum.

Vires & uſus prædictæ eſſentiæ.

Vires variarum & uſus.

1. Arcanum eſt mirum ad quartanam curandam occulta & innata ſua proprietate.
2. Curat etiam febres tertianas, & quotidianas; unica potione, cum aqua Necotianæ ſeu peti, poſt vomitum ſuperſudãdo quantũ & quandiu fieri poterit.
3. Inflammationes omnes mitigat, earumque dolores lenit exterius ungendo.
4. Eriſipetata mirificè, & breviſſimo tempore tollit eorumque ardorem compeſcit.
5. Dolores arthriticos è cauſa calida ortos, exterius ungendo ſummopere lenit & mitigat.
6. Talpis & concavis ulceribus medetur.

Sumitur ad quantitatem unciæ unius, cum unciis duabus aquæ peti aut cardui benedicti, jejuno ſtomacho ſuperſudando; deinde quantum fieri poterit, & per ſe ſola exterius applicatur cum goſſipio aut linteis.

Cap. XXVI.

De quinta essentia moschi ambari & Icbetæ.

Arcanũ Moschi.

HAs quintas essentias, in primo libro collocamus inter animaliũ essentias, quòd sint mixta quæ desumuntur, ex animalibus quamvis de ambaro anceps sit quæstio, an sit excrementum animalis vel fungus & excretio terræ, attamen quod flagrantissimum reddat odorem inter essentias odoratas ponemus.

Hæ autem hac methodo fieri debent, tota eorum substantia modo pura sit, convertitur in essentiam; indigent tantùm ut partes quas habent heterogeneas ab homogeneis separentur, quas aliquando non solùm à natura tales habent, sed etiam impostura & fraude mercatorum. Ambarus ergo Zibeta, vel Moschus cōparanda sunt optima ad quantitatem ℔.j. aut ß. & dissolvenda sunt in optimo vini spiritu alchoolisato, & tandiu rectificato, donec odorem gratissimum per se acquirat, ut docetur peculiari suo capite in lib. 2. hujus operis, dissoluta collocāda sunt in vitreo vase oblongi, optimè clauso, ne respiret, super ignem lentissimum, ut penitus dissolvantur omnes eorum partes. Partes autem heterogeneæ decident ad fundum, & hypostasim facient, quam per inclinationem partium dissolutarũ per spiritum vini separabis, & sic dissolutas partes in aliud vas vitreum oblongi colli transferes, & in eo vase obturabis, & sic denuo collocabis in balneo mariæ per quindecim dies, in lento calore, ut partes solutæ omnino depurentur. Quam depurationé cognosces per separationem partium heterogenearum in fundo residentium; quas ut in prima operatione separabis & tandiu sic ages, quandiu feces & hypo-

hypoſtaſim faciet ſolutum poſt reſidentiam longam in balneo tepido. Poſtquam autem feces nullas emittet, ſed clarum & limpidum ſemper permanebit ſolutum, tūc temporis diſtillandum erit lentiſſimo igne, usque ad mellis conſiſtentiam. Quod erit arcanum ambarinum reſervandum in pixidibus argenteis, vel aureis, ad uſus, & aqua in phialis optimè clauſis, quæ etiam ſuos peculiares habet uſus & virtutes.

Vires & uſus arcani Ambarini.

Vires Moſchi.

1. Ad ſpiritus languidos refocillandos mire efficax, ſi granum unum aut alterum incorporetur cortici citri conditæ & tritæ.
2. Ad peſtilentis auræ fugam ſummum eſt arcanum, modo granum unum illius teneatur in ore.
3. Ad Syncopen ſummopere valet, granum unum illius diſſolutum, in aqua cinnamomi & potatum.
4. Oris putredinem & fætorem frequenti uſu, tandem tollit, ſive ex dentibus aut gingivis putrefractis, & cancro affectis, ſive ex ſtomacho, & mala primæ coctionis diſpoſitione dependeat.
5. Senſus omnes acuit memoriam præcipuè & intellectum & cerebrum adeò roborat, ut à vertigine comate & frigidis omnibus affectibus præſervet.

Sumitur autem granum unum aut alterum illius diſſolutum in aqua cinnamomi, vel incorporatum cum aliqua cortice odorata condita, ut fiant Trochiſchi.

Aqua autem illius arcani quæ eſt ſpiritus vini rectificatus, ad hæc omnia prædicta valet, & præterea,

terea, restituit summopere humidum radicale deperditum à calore nostro naturali, & vires æmulatur auri potabilis, in curandis morbis, & beatissimus est ille Medicus, qui ejus spiritus habet copiam.

Cap. XXVII.

De quinta essentia Ceræ.

Arcanũ ceræ.

CEra quod sit opus animalium, ideo de ejus essentia in primo libro inter animalium essentias, tractandum esse mihi visum est, tantum enim in se continet humidi radicalis mundi, quantum & mel continet, unũ enim & idem sunt, & ex eadem materia prodeunt, differunt tantùm ut crassum à subtili, antequàm verò essentiam ejus doceamus. Quid sit cera prius mihi placet explicandum, ejus enim materiam & centrum pauci norunt. Cera ergo est crassa & spissa substantia dulcedinis terræ, quæ ab apibus sumitur in alimentum ex rore, ex floribus, & ex extremitatibus arborum germinantium tempore veris, quæ extremitates, locustæ dicuntur, & habent dulcedinem summam, illud alimentum sumitur ab apibus & digeritur, & post digestionem pars purior convertitur in earum substantiam reliquum abit in excrementum: Quod excrementum etiam partes habet, non æqualiter puras, ex purioribus & liquidioribus mel conflant apes, ex crassioribus verò ceram, quæ cum ortum habeat ex dulcedine terræ, dulcedo verò terræ, ex humidi radicalis terræ partibus coctioribus, ideo arcana summa ex cera elici possunt operibus chymicis, cum humidum radicale terræ, sit totius sanitatis humanæ fundamentum & sedes, elicientur autem prædicta arcana sequenti methodo.

Ceræ ortus & origo.

Ceræ sumetur libra unica, aut altera & in frustula

ſtula concindetur, aut fuſa & liquata, in retortam vitream capacis & largi colli reponetur, cum æquali pondere arenæ perquam optimè lotæ; ut à pulverulenta & terrea fece vindicetur, ne ceræ limpidá ſubſtantiam conſpurget; & contaminet, retorta collocabitur in cineribus cribratis, ad fumum ad hanc diſtillationem aptum & recipiente collo retortæ adaptato, juncturis optimè clauſis dabitur ignis primo lentus obſervatis gradibus, deinde augetur ignis pedetentim usque ad ſummum vigoré, donec tota ſubſtantia ſpirituoſa ceræ aſcenderit. Debet autem hæc diſtillatio per quatuor aut ſex dies continuos fieri; eſt enim difficillimæ aſcenſionis hæc ſpirituoſa ſubſtantia ceræ, quod glutinoſis ſalis partibus adhærent fixis; quæ ſublimationem retardant & impediunt. Poſtquam hæc tota ceræ ſpirituoſa ſubſtantia aſcenderit, denuo in retorta nova eſt rectificanda ſepties; mutata retorta ſingulis vicibus; tunc completum eſt arcanum ceræ, & capax ut recipiat virtutes florum omnium per ſolam infuſionem; ut arcanum ſit ſummum ad vulnera omnia promptiſſimè ſananda; tanquam balſamum naturale. Præſtat enim hoc oleum ceræ, cuicunque oleo alii ad virtutes florum ſuſcipiendas, & ad balſamum parandum efficaciſſimum ad vulnera quæcunque curanda & ulcera conſolidanda, ſi in eo macerentur flores hyperici & radices conſolidæ majoris per menſem integrum, in cineribus tepidis.

Vires & uſus olei Ceræ.

Vires & uſus arcani ceræ

1. Vulnera & ulcera quæcunq; tum externa tum interna curat, unde valet ad omnes diſenteriæ ſpecies.

2. Hæ-

2. Hæmorrhoidas ulceratas & cancrosas mitigat doloremque sedat.
3. Colicos dolores cum spiritu vini sumptum mirabiliter sanat.

Sumitur à guttis 8. ad 12. in vino optimo, in spiritu vini, & aqua cinnamomi, exterius verò per se solum illinendo applicatur ulceribus.

CAP. XXVIII.

De quinta essentia Mellis.

Mel quid sit & ejus arcanum.

MEl, ut diximus superius, est de eadem substantia conflatum, ac cera differunt tantùm; quia mel partes habet liquidiores & subtiliores dulcedinis terræ, ex qua apes sumunt alimentum.

Si autem arte adhuc in subtiliores partes dividatur, divinum evadit medicamentum, quod sequenti via consequetur chymicus:

Mel aqua pluviali septies distillata solvendũ est, & levi igne despumandum, idq; sæpius donec nullas in solutione emittat feces, sed clarum & limpidũ una cum aqua quæ ipsum solvit, maneat. Deinde circulandum est per mensem integrum in pellicano, levissimo igne tunc demum in balneo distillandum est. quicquid distillari poterit, reliquum verò in cineribus distillandum erit ad siccitatem usq; & combustionem naturæ terrestris; ex qua optimè calcinata, salem elicere oportet, eumq; salem mundare solutionibus multoties & calcinationibus iteratis, ut ab omni fece terrestri perquam optimè emungatur. Sal sic præparatus & mũdus, cum aqua mellis quæ in balneo Mariæ distillata est, eaq; pura & munda septenis aut pluribus distillationibus, cõjungendus est, tum demum cum oleo suo, quod in cineribus distillatum est, itidem purum & mundũ connectendum est digerendo pedetentim, ut in

spissum

ſpiſſum gummi evadat quod ſervandum eſt tanquã ſecretum ſummum ſanitatis.

Vires & uſus.

Summum eſt ſanitatis præſervativum, & virium naturalium corroborativum, extrinſece & intrinſece conſervat humanum corpus, unde convenit omnibus morbis.

Vires & uſus arcani mellis.

Sumitur in vitellis ovorum ſorbilibus mane jejuno ſtomacho, vel in juſculis ad quantitatem dragmæ unius.

Cap. XXIX.

De quinta eſſentia cornu cervi Rhinocerotis, &c.

Arcanũ cornu Rhinocerotis.

CORnua hæc omnia quæcunque ſint cum excrementa terrea ſint medullarum, quæ cibo & alimento ſunt oſſibus, oſſa purum ſumunt, & reliquum foras pellunt ad cornua, quę ad extremitates oſſium ſemper adnaſcuntur; ita ut videantur oſſa producta, ſed cum ſubſtantiam habeant ab oſſibus diverſam, oſſa cenſenda non ſunt, ſed quid productum ab excrementis alimentorum oſſium. Quæ quamvis excrementa ſint, attamen non ſpoliantur virtutibus admirandis, ut palam eſt, in his omnibus cornibus, quæ gerunt animalia, in quibus ſubſtantia ſalis prædominatur aliis ſubſtantiis, quæ mixta conſtituunt ex ſententia chymicorum, hæc autem animalia vocantur ab aliis philoſophis melancholica. Cur autem hæc animalia polleant virtutibus fortioribus aliis animalibus, imo ſint etiam gratiora guſtu, ut apparet in perdicibus coturnicibus cervis, aſinis & ſimilibus, ratio in promptu eſt quod ſal quo turgent ſit vitæ ſpiritus capaciſſimus, ſupra alias

Cornua animalium unde ſint & unues.

alias ſubſtantias, propter fixionem ſuam quam recipit, & dat aliis, & ſit rerum omnium condimentum, unde gratia guſtus eſt. Cornua verò horum animalium participant aliquid virtutis ſubſtantiæ illius qua turgent, quia excrementa pura non ſunt; ſed in his terreis ſubſtantiis latet aliquid ſpiritus vitæ, ſubſtantiæ ſalis. Valent autem potiſſimum ad venena, cornua illa, quod ſal eorum quo turgent vitam habeat veneno contrariam; ſal enim ex ſeipſo propter vitæ ipſius fundamentum, quod à natura & Deo accepit, venenis omnibus contrariatur, hinc ſaliva hominis ſerpentes necat. Et caro ſale condita, & reliqua omnia ſalita ſerpentibus veneno ſunt, & morſibus venenatis ſunt medicamento & remedio. Quintam autem eſſentiam cornuum ſequenti elicies methodo. Radenda ſunt cornua, & in pulverem tenuiſſimum comminuenda, & vaſi vitreo oblongi colli imponenda, cum ſpiritu ſalis, ad eminentiam quatuor digitorum; deinde obturato vaſe circulanda ſunt, & dirigenda in balneo tepido per menſem; tum demum diſtillanda leviſſimo igne in cineribus ad ſiccitatem usque, cavendum autem eſt ne empirenma redoleat, hæc aqua quæ diſtillat, nō propter virtutum diminutionem; ſed propter ingratum ſaporem. Poſtquam ſpiritus omnis ſalis diſtillatus fuerit, feces quæ remanent in fundo alembici, comburendæ ſunt fortiſſimo igne, & calcinandæ, ad candorem usque ex cineribus verò probè calcinatis, ſal erit eliciendus cum aqua cardui benedicti aut phlegmate vini, ſepties diſtillato, ſit autem aqua cardui etiam ſepties rectificata, ut ſalem purum emittat; huic deinde ſali purò & mundo, ſpiritus ſalis ſuperius diſtillatus connectendus eſt, & digeſtione incorporandus, ut fiant

Saliva cur ſerpentes necet.

unum

unum spissum gummi; quod erit servandum in phialis optime clausis, ad usus miros.

Vires & usus.

Vires & usus arcani rhinocerotis.

1. Arcanum est summum contra venena omnia, & verum & unicum bezoarticum remediū.
2. Quartanam etiam sæpe utendo curat; tenacem enim & tartaream substantiam corporis humani attenuat & dissolvit.
3. Adversus pestiferæ auræ contagionem nihil efficacius, & est summum pestis præservativum & curativum.
4. Omnes spiritus, naturales vitales & animales mirificè recreat & fovet.
5. Adversus morsus animalium venenatorum mire efficax exterius ungendo & interius sumēdo; ad cor defendendum ne veneno inficiatur.
6. Vermes enecat infantum interius sumendo, & putredinem omnem arcet & cohibet.
7. Valet ad lepram curandam, & leprosos mirè recreat.
8. Valet etiam ad senectutem retardandam quia humidum radicale purum & mundum conservat & fovet.

Sumitur ad quātitatem dragmæ unius in juſculis & ovis sorbilibus mane jejuno stomacho; vel in aqua theriacali, vel in aqua cinnamomi.

Cap. XXX.

De quinta essentia vngulæ Alcis.

FErunt omnes Medici Alcem asinum sylvestrem occulta quadā proprietate epilepticos insultus curare, quod experientia confirmant, nihilominus tamen id unde proveniat, apud neminem Medico-

rum nec Physicorum legere potui, nec audire unquam potui ullam rationem; quam illam præfatam quæ de omnibus occultis, & quæ ignorantem audiri potest, nempe occultam esse Alcis proprietatem, quæ proprietas cum à forma ipsa dependeat in cognitionem hominum devenire nequit, id mihi nunquam arrisit. Ideo quantum in me est ingenii in hoc elaboravi, ut rationem excogitarem aliam, quam illam vulgarem; ex qua naturam & essentiam, tum Alcis ungulæ, tum Epilepsiæ pernoscere possimus. Asserunt Spagyrici Medici, Epilepsiam originem habere ex substantia Mercurii, aliis prædominante & superbiente, non secus ac in magno mundo ingruente tempestate; feruntur undique nubes & glomerantur, insurguntque venti, fulgura, fulmina, & tonitrua, donec dissipatis nubibus redeat clara tempestas, sic in homine caduco laborante, superbit substantia Mercurii, sursum deorsum undiquaque fertur, turbatur visus auditus, & reliqui sensus, intellectus & ratio; inflantur & tumefiunt ab spiritibus ventosis membra, donec tandem dissipata illa Mercurii superbia, nubibusque ex ea glomeratis, redeant ad primum statum omnia, & redeat clara tempestas microcosmi, jam verò ea omnia quæ tempestatem hanc frangere possunt, possunt & Epilepsiam curare, veluti sunt ignea omnia, & ætherea, quæ subito nubes fugare, & dissipare possunt inter quæ sunt spiritus vini, oleum vitrioli circulatum, oleum cinnamomi, & caryophyllorum, camphoræ, & reliqua similia, quæ cum in ea sint, & summæ penetrationis, illico, ad caput feruntur ibique nubes, à Mercurio superbiente glomeratas, dissipant. Jam verò ungulá Alcis cum siccissima sit propter salis calcinati & retorridi copiam summam, quam in se habet, potest etiam

Vngula alcis undenam curet Epilepticos.

Epilepsia origo unde.

Epilepsia cura vera.

etiam proprietate manifesta, salis sui retorridi, & ratione spiritus salis ipsius, ipsam Mercurii superabundantem humiditatem comprimere. Addam etiam quod cornua omnia, ungulæ sulphureæ sint substantiæ, & vitriolatæ, quòd experientia confirmatur dum metalla colorant, & variis coloribus afficiunt, & mollitiem & ductibilitatē illis inducunt, si fusa, super ungulas aut cornua projiciantur: beneficio autem illorum spirituum sulphureorum & vitriolatorum mercurii ascendentem humiditatem, & undiquaque divagantem figunt, & coercent, cum proprietas sit illorum spirituum congelare, & figere mercurii dissolutam substantiam, in quâ tantùm fixione & compressione consistit vera cura Epilepsiæ, quia tamen pauci ita procedunt illamque curam norunt, ideò pauci sunt, imò perpauci, qui Epilepsiam aliosque ejusmodi morbos curare sciant, sed incurabiles relinquunt. Ut autem curari possit dabimus ungulæ alcis essentiam sequenti methodo, quæ multum confert, imò prorsus curat Epilepsiam. Sumatur ungula alcis, pedis sinistri posterioris numero una, & radatur in frustula tenuissima, super ipsam proiiciatur, ad eminentiam duorum digitorum oleum caryophillorum, & cinnamomi, æqualibus partibus, in quibus flores tiliæ arboris, & pæoniæ maduerint per mensem integrum: deinde cum ipsis floribus circulata fuerint hæc olea, deinde rectificata, & ter aut quater distillata ut tenuitatem summam acquirant, his ita collocatis in vitreo vase oblongi colli, & obturato orificio, ne respiret, imponens furno Athanoris ad circulandum, donec ungula dissoluta sit cum ipsis oleis, & in mucaginem redacta: tunc demum distillabis igne cinerum levi, ne comburatur ungula, postquam amplius distillare

Arcanū ungulæ Alcis.

non poterit, reliquum aperto igne combures, & in cinerem reduces, è qua ſalem elicies cum aqua florum tiliæ arboris, vel cum aqua pæoniæ, aut calendulæ. Eumque ſalem elicies purum & mundum, quem ſic mundum conjunges oleo priori diſtillato, & circulãdo in gummi reduces, additis dragmis nonnullis ambari optimi, in pulverem tenuiſſimum reducti, & ſic balſamum conficies, ſtupendũ adverſus quamcunque Epilepſiam puerilem, aut virilem, effectus ejus teſtabitur eventus felix & fauſtus, omnibus hiſce miſeris, qui malo illo cruciantur.

Vires & uſus eſſentiæ ungulæ Acis.

Vires & uſus arcani ungulæ alcis.

Scotomiam omnem vertiginem, ſoporem, veternum, epilepſiam & ſimiles omnes affectus pedetentim, & inſenſibiliter curat, eorum cauſam conſumendo, & annihilando

Mirè recreat omnes cerebri facultates, & omnes ſenſus acuit tum externos & internos.

Sumitur cum aqua cinnamomi, pæoniæ florum tiliæ arboris, & in juſculis & in ovis ſorbilibus, ſummo mane jejuno ſtomacho, ad quantitatem ʒ ß. ad ʒ j. Si pervicaces ſint affectus, purgare corpus inprimis ego conſulo, & præcipuè cum aqua benedicta Rulandi, quæ paratur ex infuſo croci metallorum cum aqua cardui benedicti, & ſumitur ad quantitatem ℥ j. Purgatio autem hæc fieri debet bis in menſe, aut ſingulis hebdomadis, ſi urgeat affectus, & ſingulis diebus uti, arcano præfato, donec curetur affectus. Poſtquam autem curatus fuerit (& præcipuè in curanda epileſpia ſervandus eſt hic modus,) ſingulis menſibus in plenilunio utendum eſt arcano ungulæ alcis præfato.

Cap. XXXI.

De quinta essentia axungiarum omnium.

Axungiæ omnes idem sunt in animalibus, ac gummi in arboribus. Sunt enim quælibet excrementa sulphuris naturalis, habent tamen etsi excrementa sint aliquid virtutis, quod sulphuris sapit naturam, quod in his semper adsit aliquid optimi sulphuris, ratione cujus miros habent effectus, in Medicina facienda, ut autem illud sulphuris naturalis quod inest axungiis, adhuc magis elucescat in ipsis corporibus, ut virtutibus polleat efficacioribus, in essentiam reducemus sequenti methodo.

Arcana axungiarum & axungia quid sint.

Axungiæ sumendæ sunt & fundendæ, & liquandæ, postquam autem liquatæ sunt, sumenda sunt frustula laterum veterum, & ignita in axungias liquatas projicienda, ut bibant quantum poterint axungiarum. Deinde lateres illi contundendi sunt, & in pulverem reducendi, & in retortam imponendi, & distillandi fortissimo igne, & demum septies rectificandum est oleum, quod ex illis egreditur, & servandum in phialis optimè clausis. Sic distillabis oleum mirum ad dolores arthriticos, axungiæ ursi & cati. Ex illis item oleis rectificatis, cum floribus & herbis ad vulnera aptis, potest parari balsamum mirè efficax, ad vulnera curanda citissimè, præstat enim hoc oleum spiritui therebentinæ, & oleis aliis communibus, quibus utimur, ad balsama paranda.

Cap. XXXII.

De quinta essentia medullarum omnium.

Arcana medullarum omniũ.

Medullæ omnes miram habent, & summam penetrandi facultatem, absque ulla præparatio-

ne, & præstant in penetrandi actione, axungiis & oleis, per expressionem factis, quia eorum substantia ex seipsa subtilior multo est, his omnibus: itaque, si in essentiam reducantur, adhuc potentiorem habebunt agendi vim, & citiores producent effectus, itaque ut in essentiam reducantur, sequentem observabis methodum. Colligetur maxima copia medullæ cujuscunq; animalis volueris, in plenilunio, & in retortam impones, cujus pars media sit plena, & illi recipiente perquam optimè juncto, juncturis optimè clausis, in igne cinerum collocabis ad distillandum, auctis gradibus pedetentim ignis, donec cesset distillatio, oleum distillatum rectificabis per aliam retortam, ter aut quater, cum pauco vitriolo, ad rubedinem calcinato imposito, in singulis distillationibus, sic enim oleum penetrãdi summam acquiret facultatem, & omne empyreuma deponet. Cui oleo sic rectificato ad majorem vim & facultatem addes salem fixum, purum, & ab omni terrestri excremento vindicatum ejusdem animalis, ex quo medulla extracta est, & sic arcanum facies stupendum, ad sedandos quoscunque dolores arthriticos, & ad discutiendos tumores duros & frigidos, & resolutioni renitentes. Valet enim medulla omnis & oleum ossium, & sal fixum eorundem, ad hæc prædicta, excellit tamen omnibus, medulla humana, & sal fixum, & oleum ex ossibus humanis extractum, ad sedandos hos & similes dolores. Medulla vero equina, & sal, & oleum ex equorum ossibus extracta, mirificè discutiunt, tumores scirrhosos, omnes & præduros, qui in tibiis equorum nobilium sæpissimè enascuntur, maximo incommodo, & detrimento, regum, & principum qui tales equos maximo habẽt pretio, & summis delitiis, callos etiam præduros emolliunt, & discutiunt, qui in pedum digitis, hominibus solẽt enasci. De hisce

Vires arcani medullarũ.

& similibus oleis inferius iterum tractabitur, quarto libro hujus operis, ubi potissimum & peculiariter de omnibus oleis chymicis tractabitur, longiori sermone.

CAP. XXXIII.

Conclusio hujus libri primi.

NOn plures numero præposuimus essentiarum animalium typos, in præsenti libro amice Lector, quod hic numerus sufficiat cuilibet chymico, etiam tyrunculo, ut omnes alias quascunq; voluerit essentias, ex familia animalium elicere, eiiciat similibus methodis quibus usi sumus. Itaq; his fruere lector tanquam benevolentiæ meæ erga te symbolis, nihil enim arcani passus sum in occultum ire, sed omnia ad gloriæ Alchymiæ in lucem clarissimam édidi, ut ex prima ipsa testabitur, sequenti (pari amore erga Lectores) erit pagina, occultis infinitis & verò plenis referta, non ut hinc gloriam aut laudem quantulamque referam, sed ut Alchymiam tantum, artiũ matrem, & philosophiæ margaritam, pedibus conculcatam, & naso suspensam adunco, quorundam nebulonum, honor ipse, laus, gloria, & decus omne, collaudent & exornent infinitis eorum corollis, si antiqui omnes alii philosophi spagyrici, non ita occultè cælassent arcana sua, tantis ut opinor injuriis imo nullis, afficerent jam Alchymiam, qui ejus arcana sapere non possunt. Quod potissimum me induxit, ut arcana omnia quæ potuit ingenii mei imbecillitas, ex antiquorũ monumentis elicere, in lucem proferre, seducta & separata omni cortice, & velamine, ut lucem naturæ viderent omnes, & Alchymiam tanquam horum arcanorum matrem, una voce collaudent. Obsecundet voti meo gratissimus eventus.

Finis libri primi.

MYROTHECII SPAGYRICI,

LIBER SECUNDUS.

Cap. I.

De magisteriis vegetantium, & primo de methodo extrahendi spiritum æthereum vegetantium.

Vita fomes in plantis qualis.

IN omnibus herbis plantis & arboribus, & reliquis omnibus, quæ ex familia vegetantium ortum habent, latitat substantia quædam ætherea, subtilissimæ substantiæ, vitæ fomes, & fulcrum, caloris naturalis pabulum, facultatum omnium stabilimentum. Qua substantia turgente, vegetant arbores, pullulant, germinant, florent, & fructus pariunt, ea verò arescente, sterilescunt, arescunt, & moriuntur, ea ergo potissimum substantia est cognitu digna, in ea enim latitat virtus omnis cujuscunque plantæ & vegetantis omnis, extrahitur autem talis spiritus sequenti methodo. Contunditur herba succulenta & recenter è terra avulsa, cum foliis & radice, & prelo exprimitur succus ejus, & phialæ inditur, & datur tempori, ad defervendum in loco frigido, ubi sol radios suos non mittet, alioquin enim evanesceret spiritus ille, calore solis, aut quocunque alio calore. Propterea in loco frigido, custodiendus est succus ille, donec deferverit. Demum distillandus est, lentissimo calore, ut spiritus ascendat, ad modū aquæ vitæ, strias facientis, quæ striæ; quandiu perdurant,

Spiritus vegetantiū qua methodo eliciatur.

durant, tandiu continuandus eſt ignis & diſtillatio, tandiu enim ſpiritus ille aſcendit, evaneſcentibus autem ſtriis, ceſſandus eſt ignis, ne phlegma miſceatur ſpiritui. Spiritus verò ille rectificandus eſt, donec à phlegmate purus ſit, quod in ſeptima diſtillatione continget, modò evaneſcentibus ſtriis, in ſingulis diſtillationibus, ſepares diſtillatum ſpiritum, à diſtillante phlegmate, id etiam cognoſces guſtu, quia ſpiritus ſapit omnino aquam ardentem, & vera eſt aqua ardens, & ardet ut ſpiritus vini: in extrahendis illis ſpiritibus æthereis plantarum, acervanda eſt maxima quantitas ſuccorum plantarum, quia paucus eſt ſpiritus ille, in maxima etiam quantitate ſucci, ſed potentiſſimus eſt in virtute, itaque implenda ſunt ſuccis doliola integra, & in locis ſubterraneis ad inſtar vini, cuſtodienda, donec deferverint, & tunc diſtillandus eſt ſuccus, ut diximus, ut ſeparetur ſpiritus ille à phlegmate: phlegma vero poterit etiam diſtillari & conſervari, quia virtutes inſigniores habet aqua communi illa, quæ communi methodo diſtillatur. E Tartaro demum qui infimis dolii partibus adhæret, ſal vegetabile, tum fixum tum volatile extrahi poterit, quod admirandis donatur virtutibus, ut in ſequenti capite videre licet.

CAP. II.

Sal volatile vegetantium qua methodo extrahatur.

Sal volatile vegetantiũ qua ratione extrahatur.

SAl volatile vegetantium aliarumque rerum omnium, quæ in mundo ſunt, in quibus omnibus ineſt, tanquam pars materialis eſſentialis, non eſt quid factitium, ut putant aliqui rerum naturalium ignari, qui exiſtimant omnia quæ à Chymicis

eliciuntur, ex mixtis naturalibus ſive ſit oleum, ſive ſal, eſſe quid factitium, quod non realiter eſt in compoſitione mixti, ſed quod artificio è potentia, reducitur in actum ope ignis, qui totum mixtũ deſtruit & conſumit, & ex illa deſtructione & putrefactione generantur illa, quæ à Chymicis dicuntur, ſal oleum ſeu ſulphur, & mercurius, at prorſus res ita ſe habet, ſal ſulphur & mercurius, verè ſunt & realiter in mixtis omnibus ut apparet autopſia in ipſis mixtis absque ulla eorum corruptione, in homine primo, vivente, ſal in urinis, ſaliva, & ſudore manifeſtatur: mercurius verò, qui aquoſus humor dicitur luce clarius apparet, in ſanguine, in humido, quod reſidet in carnibus, medullis, oſſibus, & reliquis omnibus partibus, ſulphur autem de quo controverſiam majorem facere poſſunt Myſochymici, manifeſtatur in ſpiritibus ſanguinis, qui dum calore præter naturam excandeſcunt, igneſcunt, & in flammas abeunt. Quidni & in crepitibus, ad quorum halitus malè olentes, dum exeunt ſi candela accenſa accedatur, flammam concipiunt, & introrſum & ſulphureum redolent ſpiritum, in adipe, axungia, reliquisque corporis partibus adipoſis, ſulphur illud de quo eſt controverſia, apparet: in vegetantibus verò in reſinis & gummis, quod ſi vegetantia omnia gummas, & reſinas non emittant, non ideo adimendum eſt, quod non habeant, ſed quod eorum calor interius adeò imbecillis ſit, & paucus, ut foras illud excrementum igneum purum, & ab aliis ſeparatum trudere non poſſit, ſed una cum aliis aquoſis excrementis emittat. Itaque ratum ſit, tanquam veriſſimum in natura, mixta omnia, tria hæc habere prædicta, ſalem puta, mercurium, & ſulphur, tanquam partes materiales & eſ-

Sulphur ſal & mercurius in omnibus rebus ſunt.

& essentiales, è quibus omnibus elici possunt artificio Chymico, sal, inprimis cum in omnibus mixtis sit in duplici differentia, duplici etiam elicietur methodo. Sal enim unum cum volatile sit, aliud verò fixum: dabitur capitulum particulare, in quo docetur, quomodo extrahi possit sal fixum vegetantium omnium, jam verò de sale volatili agendum est, postquam eius naturam apertè docuerimus, differt à fixo, quod habeat secum unitos spiritus vitales, qui ejus corpus penetrando, alleniant & attenuant, & sic volatile faciunt, & sic spiritus qui invisibiles sunt, visibiles fiunt, & corpus quod sua natura fixum, & permanens est, volatile reddunt, hoc autem clarius videbitur sequenti methodo, contunditur herba, ex ea extrahitur omnis succus, & una cum suo succo ponitur in phiala oblongi colli, & hoc omne in furno igne digestionis supposito, per quindecim dies: deinde distillatur in balneo mariæ, quicquid poterit distillari: humiditas aquosa iterum infunditur fecibus, & calide permiscentur, & filtrantur simul dum calent ut quicquid est salis, una humiditate per filtrum transeant: deinde quieta facta, hypostasi ad fundum seposita, per inclinationem quod clarum est, effundendum est in vas aliud, illudque clarum distillandum est, aut in balneo evaporandum, ad tertiæ partis consumptionem: quod superest, in loco frigido collocandum, ut in cristallos coeat, quasi sublimare poteris, ut nitidam & claram omnino nanciscantur substantiam, & usui servare, pollent enim summis virtutibus, & in medicina facienda, beatus est medicus qui tales crystallos habet, ut medeatur morbis.

CAP.

CAP. III.

De sale fixo vegetantium extrahendo.

Sal fixũ vegetantiũ qua ratione eliciatur.

DAtur in vegetantibus omnibus sal aliud fixum, quod est fundamentum & basis omnium aliarum essentialium partium, est enim vivifici ignis pabulum, principium generationis & fundamentum, terminus à quo generatio omnis & ortus incipit, est rursus generati conservatio, & fulcrum, qua ratione, si purum extrahatur à vegetantibus, non inferiores possidet virtutes aliis partibus essentialibus, quas extraximus, extrahitur verò hoc pacto, siccantur herbæ cum toto, in umbra vel sole, nihil enim interest, deinde siccæ comburuntur, & reducuntur in cineres albissimos, è quibus cum maxima quantitate aquæ ejusdem herbæ, à qua sunt cineres, extrahitur sal, faciendo lixivium ex cineribus & aqua, quæ cum hypostasim seposuerit, per inclinationem clarum separatur à turbido, & distillatur clarum, usque ad siccitatem salis, quod iterum ter, aut quater, aut pluries, calcinatur, & cõburitur igne forti in tigillo ad hoc apto: deinde solvitur, & solutum filtratum iterum & distillatur, & hoc iteratur pluries, donec sal summam puritatem acquirat, quod in phialis perquam optimè clausis, asservari meretur, ad usus varios, & ad arcana vivificanda vegetantium ut videre licet in sequentibus.

CAP. IV.

De quinta essentia chelidonij.

Essentia chelidonii.

COlligitur chelidonium majus, tempore veris, in maxima quantitate, pars una siccatur ad solem, ut comburatur, & ex cineribus extrahatur fixum sal purum & nitidum, methodo generali demonstratum. Pars verò altera reservatur, ut succus

ejus

ejus exprimatur, & ex eo ſal volatile, & ſpiritus, & aqua eliciuntur methodo generali, hæc demum omnia ſimul pura iterum conjunguntur, & connectuntur, & renovatur chelidonia, viribus pollens efficacioribus multo quam antea, & ſic evadit ophthalmicum ſummum, omnibus oculorum morbis ſubveniens.

Vires & uſus.

Eſſentia chelidonii vires.

1. In morbis jecoris omnibus, eſt ſummum remedium, & in ictero quocunque arcanum eſt.
2. In dolore dentium mire efficax; & in quocunq; articulari dolore, ſummum ſolatium eſt.
3. Oculos ſummopere præſervat ab omni vitio, & læſos curat.
4. Senſum viſus præcipuè acuit, ſummopere exterius oculum illinendo, & interius aſſumptum cum juſculis, ſenſus alios adeo refocillat, ut novum hominem facere credatur.
5. Valet etiam in vulneribus conſolidandis capitis.

Sumitur ad quantitatem dragmæ unius in juſculis, aut ovis ſorbilibus, mane, jejuno ſtomacho, & exterius applicatur, oculis inſtillando guttatim, ad vulnera vero admovetur linteolum hoc ſacro arcano delibutum.

CAP. V.

De quinta eſſentia hellebori.

Hellebori eſſentia.

Colligendum eſt helleborum nigrum, menſe Octobri, in maxima quantitate, & comburendum eſt, & ex cineribus ejus ſal eſt eliciendum, ſumma cum induſtria, methodo prædicta ſal autem iſtud reſervandum, donec alia peracta ſint, quę ex hellebro extrahenda ſunt antequam arcanum hellebori perficiatur, colligendæ ſunt radices hellebori

lebori eodem ipſo tempore & menſe Octobri, ut ſupra, & folia etiam; & mundata omnia à terreis excrementis contundenda ſunt, in mortario marmoreo, cum piſtillo ligneo, & exprimendus eſt ſuccus, ſuccus hic expreſſus, dividendus eſt in duas partes, ſumendæ ſunt tres aut quatuor libræ & phialæ vitreæ includendæ, aut vaſi alio vitreo oblongi colli, ut digerantur lentiſſimo igne, per quindecim dies, his elapſis diſtillandum eſt in balneo mariæ, quicquid poterit diſtillari, & diſtillatum rurſus refundendum pati; quæ in fundo alembici remanſit; & filtro trajiciendum eſt omne & prelo comprimendum eſt, quicquid poterit extrahi ſucculentum: deinde mediocriter evapotandum eſt aliquid humiditatis; reliquum verò in loco frigido collocandum, ut coeat in ſalis cryſtallos; quæ lotæ ſervandæ ſunt & cuſtodiendæ; ex ſucci verò altera parte quam diviſimus; extrahendus eſt ſpiritus methodo prædicta, in capite primo hujus libri. In hoc ſpiritu ſolo & puro; ſolvendæ ſunt cryſtalli illæ reſervatæ, & ſepties invicem diſtillandæ, huic diſtillato, conjungendum eſt, ſal purum illud fixum, quod etiam reſervare juſſimus; quod ex cineribus hellebori extractum eſt, & ſic omnia permiſcenda ſunt, & vaſi claudenda vitreo, addendo aliquid ſpiritus roſacei, aliquibus granis ambari & Moſchi impregnati.

Vires & uſus.

Hellebori eſſentia vires.

Perfecta & abſoluta catarrhi cura in hoc arcano conſiſtit, curat omnes morbos capitis, Apoplexiā; epilepſiam, vertiginem, carum, & reliqua omnia ſimilia, imo & phrenetidem, unde eſt capitale ſummum arcanum, & maniæ tutum remedium.

Phlegmaticos ſenes reducit ad temperaturam; & ſani-

& ſanguinem mundificat hinc valet ad lepram curandam, aut ſaltem moderandam.

Excellit omnes virtutes herbarum, in conſervanda eſſentia humani corporis, in vigore ſuo & virtute.

Sumitur hujus medicamenti ℈ j. ſemel in menſe in juſculis, aut in ovis ſorbilibus, aut in aqua cinnamomi: in ſenibus verò & decrepitis ſumitur ſingulis hebdomadis, ad quantitatem ℈ j. cum juſculis & aliis ejusmodi.

CAP. VI.

De quinta eſſentia tithymalorum eſſulæ & tathyris.

Tithymalorũ eſſentia.

OMnes hæ herbæ maximam vim purgandi obtinent, propter crudum autem ſuccum, quem copioſum habent inter venena cenſentur, ſi tamen coquantur, & in eſſentiam redigantur, ſeparatis eorum excrementis mira evadunt medicamenta cathartica, nec cedunt orientalibus & barbaris medicamentis, quæ magno pretio, imo & ſæpe ſæpius vitæ periculo, è longinquis terræ plagis aſportant mercatores, in noſtras regiones. Quod non ita fieret, ſi medicorum noſtratium cura, indagine, & induſtria, terræ & ſoli noſtri indagarentur virtutes, ac herbarum ſcrutarentur ſecreta & arcana, at proh nefas! nemo eſt! qui labori indulgere cupiat: inhiant nummis aureis & peculiis, quas blandè loquendo & concinnè, ab ægrotis educunt medici noſtrates, & ſi quis chymiam, laboris plenam exerceat, digito commonſtrant, & ſtultum prædicant, quod pecunias & aurum, absque labore, accumulare neſciat, ut ipſimet qui ſolis verbis in medicos evadunt ſummos, & morbos omnes prædicant

mor-

mortales, ut si tandem sanitas exurgat, vi naturæ, non eorum industria, ab incurabili morbo; ægrotum levasse se laudibus evehant; si verò fato corruant, eos se illud prædixisse, etiam se extollunt; sic quacunque vertatur morbus, laudem quærunt, cum tamen vituperiam maximam undiquaq; mereantur: exhortor ego tamen omnes Medicinæ alumnos; eos nullo pacto imitari & chymiam quærere, & hac virtutes herbarum investigare, & potissimum nostratium omnium herbarum; tithymalorũ essulæ, & tathyris, & hellebori; in his enim crede mihi latitant arcana fere omnia, curandi omnes vulgo incurabiles morbos, extrahuntur verò harum herbarum essentiæ & arcana; pari methodo; ac extrahitur essentia hellebori, non egent ullo correctorio, modo in veram essentiam reducantur, usus erit in omnibus morbis qui purgatione egent, & eadem erit dosis ac hellebori essentia, & simili & pari omninò methodo poterunt extrahi omnes aliæ essentiæ, ex quibuslibet aliis herbis catharticis, at ne ullam difficultatem pariamus chymicæ tyrunculis, permulta alia exempla adhuc præponemus, ut præmansa omnia habeant.

Vires & usus tithymalorũ essentia.

CAP. VII.

De quinta essentia halicacabi.

Halicacabi essentia.

EX fructibus halicacabi extrahitur succus, in maxima quantitate & dividitur in duas partes; una ponitur in digestione levi, in vase vitreo oblongi colli obturati, ut sal volatile extrahatur pari methodo, ut dictum est capite secundo huius libri, purum putum, quod sublimatione acquires. Altera verò pars recondetur in doliis, aut in phialis vitreis obturatis, in cella vinaria aut in loco frigido, ut succus deferveat, fervore autem peracto, quod continget in-

get intra menſem, extrahetur ſpiritus, ſeu aqua ardens, ex ſucco halicacabi, quam rectificatam conjunges cum ſpiritu volatili, his addes ſal fixum ex radicibus halicacabi, & foliis, & magmate ſucci extractum, per calcinationem harum rerum, & ex cineribus earum extractionem.

Vires & uſus.

Halicacabi eſſentia Vires.

Habito hoc arcano, habes arcanum mirandum ad curandum regium morbum, & icterum.

Veſicæ etiam omnia vitia pellit, diſuriam, & ſtranguriam certiſſimè curat, pellit enim urinas mirificè.

Renes etiam validiſſimè purgat, primordia calculi extinguit, ſanat ulcera renum, ſi cum ſpiritu therebentinæ conjungatur.

Sumitur ad quantitatem ℈ j. in fortioribus, in aliis verò ad ℈ ß. in juſculis, vel in ovo ſorbili, mane jejuno ſtomacho; vel in oleo therebentinæ, vel in aquis aperitivis & diureticis, & morbis accommodatis, quibus & convenit arcanum prædictum.

CAP. VIII.

De quinta eſſentia Roſarum, Pallidarum, & Moſcatarum.

Roſarũ eſſentia.

LAudant nonnulli Medicorum & ſummis extollunt præmiis Rheubarbarum, Sennam, Caſſiam, Mannam, quod ſint medicamenta, adeò benigna, ut eorum ſuccus infantulis abſque ulla noxa propinari poſſit. At deſinant mirari illa barbara & è longinquis terræ plagis aſpectata medicamenta, quia hæc omnia quamvis benigna ſint, reſpectu roſarum noſtratium maligniſſima ſunt, eorũ omniũ benignitas cedit protinus benignitati roſarum, nã

hæ quamvis ſint medicamenta cathartica, tamen & ſunt cardiaca, & Cephalica, balſama, propter earum flagrantiſſimum & ſuaviſſimum cordi & cerebro odorem, parantur ex his communiter & vulgo præparata quædam medicamenta, quæ infirmæ admodum ſunt virtutis, quod neſciat medicorum vulgus præcipuam earum partem conſervare, & inutilem reiicere: at methodo ſequenti, obtinebunt Chymicæ artis alumni, rem mirabilem è roſis ſolis extractam, ſola contuſione, & ſucci expreſſione, & ex ſucco illo ſpiritus extractione. Huic ſpiritui rectificato, ſi ambarum & moſcum addas, efficies odoriferum medicamentum, cæteros omnes odores longè ſuperans, ſuavitatem & cardiacum ſummum. Si verò ſalem volatilem, & ſalem fixum ei ſpiritui connectas, catharticum mirabilem efficies potum, pro infantulis, mulierculis, & aliis delicatulis hominibus, regibus, principibus, aliisq; magnatibus digniſſimum.

Vires & uſus.

Roſarũ eſſentia vires.

1. Spiritus roſarum omnibus animi deliquiis præſtantiſſimum eſt medicamen, ſolo enim odore, ita refocillat ſpiritus animales, ut illico, ſuſcitet animo delinquentes.
2. In peſte ſummum eſt præſervativum, quia ſuo odore, cerebrum confortat aliosque ſpiritus per aëra volitantes, corruptos, & luce peſtifera infectos fugat.
3. In Epilepſia, vertigine, caro mirè efficax, quod ſua innata ætherea qualitate, cerebrum feriat, ſpiritusque illos frigidos, & cerebrum infeſtantes fuget.
4. In uteri ſuffocatione etiam valet, modo os uteri eo perungatur, quod uterus frigefactus tum

vapo-

vaporibus,tum ſubſtantiis in eo contentis,eo incaleſcat, & ad excretionem harum rerum refocillatus,excitetur.

5. Spiritus verò ſale volatili, & fixo impregnatus adhibetur omnibus morbis, qui purgatione egent levi, feliciſſimè enim & tuto,& jucundè humores noxios è corpore evacuat.

Sumitur per ſe ſolus nullo addito medio, quia omnia fere media qualiacunque ſint, ingrata ſunt, comparatione facta ad ſpiritum roſarum, qui guſtui & odoris ſuavitate omnia alia ſuperat, eſculenta,& potulenta, ſumitur ad quantitatem ℥ j. mane jejuno ſtomacho, eundo deinde deambulatum.

Cap. IX.

De tinctura Roſarum rubrarum.

Mirum eſt in natura, quod tinctura florum omnium arte ſpagyrica poſſit auferri, è floribus,absque corruptione ſubſtantiæ, videtur enim illud accidens ita proprium, & innatum floſculis, & ſubſtantiam adeò altiſſimè penetrare,ut minimè auferri videatur,quin ſubſtantia corruptionem patiatur: nihilominus tamen experientia certum eſt, hæc ita fieri, ut nullo pacto lædatur florum ſubſtantia,odore enim ſolo & vapore ſulphuris roſæ perquam rubicundæ, in albiſſimas roſas ſubitò tranſeant,illæſis florum foliis. Ratio autem hujus rei,Spagyrici philoſophi,ita tradunt. Ferunt colores omnes rerum omnium à ſulphure interno, & innato,dependere,hoc enim cum ſit caloris innati centrũ,& fomes, coctiones & digeſtiones omnes, humidi alimenti, & radicalis parit,ex coctione autem illa,&digeſtione varia,varia etiam eſt colorum diverſitas, ſulphuris autem interni rerum omniũ,

Roſarũ tinctura.

& mineralis, ſumma eſt cognatio, & affinitas, ita ut, ſulphur unum, alterius ſulphuris ſubſtantiam ſequatur, & magneticè trahantur ad invicem, hinc eſt quod dum ſubſtantia ſulphuris mineralis liquata, ſeu in humidam, & aquoſam ſubſtantiam arte ſpagyrica redacta, florum corpuſcula tenuiſſima ingreditur, eaque penetrando, alimentitiam ſubſtantiam florum quæ colorem continet, diſſolvit, & ſecum unit, & ſic permiſcentur invicem, & color florum tranſit è corpore ſuo proprio, & nativo, in homogeneam ſulphuris ſubſtantiam. Methodicè autem tinctura roſarum ſic paratur, colliguntur roſæ rubicundæ, & folia earum mundata, integra immittuntur in phialam vitream, his infunditur oleum ſulphuris ſeu acetum per campanam factũ, quantum ſatis, ad madorem florum omnium, cum certa quadam quantitate aquæ roſaceæ, vel ſpiritu roſaceo noſcato, quod melius eſt, oportet autem mediocrem infundere ſpiritum, aut aquam roſaceam, ne extinguatur vis aceti ſulphuris, hanc phialam probè obturatam inſolabis per aliquot dies, & per aliquot vices agitabis, ut ſpiritus probè tinguatur: tinctum deinde acetum ſeparabis per inclinationem, aliud recens impones, donec habeas omnẽ tincturam & maneant in fundo albæ roſæ; quod fiet, in terna, aut quaterna infuſione, modo copioſus ſit ſpiritus ſulphuris, hunc tinctum ſpiritum ſulphuris hypoſtaſi facta, linteo aliquo mundo, & tenui percolabis, ut probe niteat, & phialæ obturatæ vitreæ, impones ad uſus ſequentes.

Vires & uſus.

Roſarũ tincturæ Vires.

1. Anarexiam & quamcunque guſtus & appetitus deiectionem, apprimè perſonat, quod humores ſtomacho reſidentes, ſua acrimonia abſter-

ſtergat, tartarumque ſuperiori ori ventriculi adhærentem, diſſolvat.

2. Dyſenterias omnes tam hepaticas, quam alias, & alios alvi fluxus tutiſſimè curat, quod mutatis acribus humoribus & corruptis, in aliam mitiorem ſubſtantiam corroboret, ventriculum aſtringendo, & inteſtina, oraque venarum meſenterii.
3. Ardorem ſitis extinguit, quod febrem potiſſimum temperet, & os ſuperius ventriculi refrigeret.
4. Aphtas, aliaque oris ulcera, aliarumq; partium ſerpigines, & herpetes feliciſſimè curat, quod humores acres illos, ulcera facientes, diſſolvat, & in mitiorem ſubſtantiam convertat, hinc ulcus à fluxu acri & humoribus illis liberum, natura ipſa, ſuo balſamo perſanat, eſt enim in omnibus partibus, ulcere affectis, balſamum illius partis converſum in ſalitam acrem, & corrodentem ſubſtantiam, quod niſi in alienam ſubſtantiam convertatur aut auferatur, nunquam poſſunt ulcera curari.

Sumitur in juſculis vel panatellis, vel ovis ſorbilibus, mane jejuno ſtomacho, ad quantitatẽ ℈ ß.

Si è magmate roſarum rubrarum, ſpiritus omnis ſeu acetum ſulphuris cum tinctura ſua, non auferatur, ſed magma tinctum relinquatur, poterit è magmate, parari pulvis, modo ſiccetur ad ſolem, rubicundiſſimus, è quo deinde poſſunt fieri electuaria ſolida, gratiſſima, & phtiſicis & aliis omnibus affectibus prædictis inſervientia.

Cap. X.

De tinctura florum pæoniæ.

Florum pæoniæ

Tinctura florum eadem methodo, ac tinctura

tinctura & vires & usus. rosarum rubrarum extrahitur, at loco aceti sulphuris, sumendus est spiritus acetosus vitrioli, ad efficaciam medicamenti, & tincturæ addere spiritum pœoniæ, & sic efficies summum medicamentum epilepticum, & arcanum, cujus dosis erit ʒ ß. in jusculo, vel in spiritu vini, mane jejuno stomacho, per mensem integrum continuando, purgato prius corpore, aqua benedicta antimonii.

CAP. XI.

De tinctura florum violarum.

Violarũ tinctura & vires. TInctura violarum simili etiam methodo extrahitur, ac tinctura rosarum, ei tamen addendũ est spiritus violarum, aut nenupharis, ad efficiendum somniferum, efficacissimum & tutissimum medicamentum, cujus dosis erit ℥ ß. in jusculis tempore somni, ad compescenda omnia interincendia, dolores omnes & angores, & fluxiones omnes compescendas summum balsamum.

CAP. XII.

De tinctura florum Serpentariæ majoris.

Serpentariæ florum tinctura & vires & usus. SErpentaria major florem emittit purpureum prægrandem, cubitalem, nempe, hunc sumere oportet, & succum ejus exprimere torculari, collecta maxima copia hujus succi; imponenda est vitreo vasi, cum modico fermenti, & vitreo vase clauso, seponenda est in loco frigido, ut in cella vinaria, ut deferveat, postquam deferbuerit, extrahendus est distillatione levi spiritus æthereus, & rectificandus est quater aut septies, hic spiritus rectificatus denuo infundendus est, super novos serpentariæ flores, cum aliquantulum aceti sulphuris, & in phiala

phiala vitrea optimè clausa, omne illud asservare oportet per mensem integrum, in hypocausto aliquo: deinde tincturam omnem exprimere, & extrahere, tincturæ huic addere oportet, & salem volatilem, & salem fixum, ex toto corpore herbæ extractum methodo prædicta, sic efficies mirandum arcanum cujus vires sequentes sunt.

Vires & usus.

1. Hoc arcanum ophthalmicum est mirandum, nubeculas enim omnes, caligines, albugines illinendo percurat, sua enim dulci & mediocri ac subtili acrimonia, viscosos illos humores dissolvit, & discutit.
2. Fistulas, & ulcera omnia concava, & depascentia abstergendo, ad cicatricem conducit, continet enim sal balsamicum omnium ulcerum.
3. Ad vulnera etiam recentia, & inveterata & in ulcus putridum redacta, summopere valet, & præsertim conducit omnibus vulneribus, à venenatis animalibus inflictis propter salem quem in se continet, & naturalem serpentariæ vim contra venena.
4. Scabiem omnem, pruritus, serpigines, herpetes, & psoras ipsas illinendo sæpissimè curat, misso prius sanguine, & purgato corpore, & refrigerato hepate aliquantulum, medicamentis topicis, ad hoc aptis.
5. Scrofulas & cancrum ad cicatricem sanam conducit, postquam emortua fuerint arcano mercurii, vel arcano arcenici, in quibus solis consistit vera, & tuta cura cancri, & scrofularum.
6. Internè sumptum, sanguinem admodum purificat, hepatisque vitiis medetur, ita ut initia

lepræ profliget, sanguinis enim vitiati salis balsamici corruptelam dissipat, & foras pellit, ad cutem per sudores & urinas, & hæmorroidas excitando.

Sumitur in jusculis mane, jejuno stomacho, ad quantitatem ℥ß. ad ℥j. vel admiscetur theriacæ optimæ, & fiunt pillulæ, & vorantur summo mane, idque continuando per mensem integrum. Exterius verò applicatur per se solum illinendo, linteis eo arcano madidis, super ulcera impositis.

Si ex aliis floribus tincturam extrahere quis cupiat, poterit ad hanc similitudinem extrahere, ut ex floribus violarum recentium, & nenupharum, & papaveris, ad nepenthes faciendum tutissimum, cũ spiritu horum florum, & spiritu acetoso sulphuris, ex floribus calendulæ etiam similiter poterunt extrahi tincturæ similes, ad menstrua provocanda, & cor exhilarandum.

Cap. XIII.

De quinta essentia Cucumeris agrestis.

Cucumeris agrestis essentia & vires & usus.

Cucumer agrestis, tantas atque laude dignas habet vires, ut scammonio præferri mereatur, ejus autem virtus in humoribus aquosis & crudis educendis tanta est, ac violens, ut ea ratione, & sola hac occasione contemnatur, nihilominus tamen Medici hypocratici, nequeunt hydropicos perfecte evacuare, quin elaterio (quod est eius succus aliquo modo præparatus) utantur, attamen si perquam optimè præparetur, arte Spagyrica, evadit summum, & gratum, & benignum admodum medicamentum, hoc autem fiet, sequenti methodo. Ex succo illius extrahendum est sal volatile illius, & sublimatione purificandum est, ad cãdorem sufficientem: & spiritus etiam æthereus est extrahendus,

dus, methodo prædicta, in antecedentibus capitulis, & summopere rectificatus, sali volatili conjungendus est, huic demum connectendum est, ad perfectionem ultimam, sal fixum, quod extrahetur ex tota, planta combusta, & in cineres redacta, ex his autem cineribus perlixivium, filtrationes, evaporationes, & calcinationes, & solutiones, per vices multas iteratus, extrahitur tandem sal illud fixum, purum, & mundum, quod superioribus partibus, spiritui scilicet & sali volatili conjunctum, absolvit arcanum Spagyricum, quod ex his paratur, reservandum in phialis vitreis optimè clausis ad usus varios.

Vires & usus.

1. Præcipua ejus arcani vis, & efficacia est in educendis crudis & serosis humoribus, qui in hepate, & venis ab imbecillo calore generantur, & ab expultrice facultate nequeũt foras protrudi, propter quantitatem, aut eius imbecillam actionem. Ideo commendatur præcipuè ad hydropicos curãdos affectus, serosos enim illos humores & crudos, evacuat.
2. Quartanam febrem difficilem admodum curatu, ob difficilem & tardam humoris melancholici coctionem, tertia aut quarta dosi, per tot vices iterata, tutissime curat, quod evacuãdo illos serosos humores, & crudos, hepar admodum confirmet, & refocillet, suo balsamico sale fixo.
3. Fœdos Virginum colores etiam curat, quod evacuatis serosis humoribus, hepar calefaciat, & sanguinem purificet, ad lepram itidem, & qualecunque vitiati sanguinis vitium, malumque dogmaticè & summa cum ratione offertur.

4. Anhelosis & suspiriosis in genere subvenit, quód catarrhi materiam omnem auferat, & siccet tumentia pulmonum humoribus solitis bronchia.
5. Impetiginem, lepras, vitiliginem, nigras cicatrices, & faciei maculas omnes expurgat, & abstergit, propter corrodentem quem in se continet salis spiritum.
6. Sturium doloribus succurrit, quia siccat humores in aures defluentes, cerebrumque purgat ab omni seroso humore.
7. Veteres omnes tumores discutit propter eandem rationem, & quod etiam humidum radicale partis tumentis, à tumore affectum, & ferè extinctum refocillet & renovet.
8. Podagram omnem, & quemcunque arthridis dolorem & affectum certissimè & tutissimè curat, interius utendo, exterius verò mitigat dolores omnes & aufert.

Sumitur ad quantitatem ʒ j. in jusculis vel ovis sorbilibus, mane jejuno stomacho, vel in sympo rosato, exterius verò applicatur, illinendo frigida, quia dum calefit subtilissima ejus pars quæ est efficacissima evanescit, omnia enim arcana spagyrica, quæ in se spiritus æthereos habent, si externis applicentur, calefieri non debent: quia ex se satis admodum calida sunt, & quod calefaciendo, eorum pars efficacissima, evanescere soleat.

Cap. XIV.

De quinta essentia Sambuci.

Essentia sambuci vires & usus.

EX fructibus Sambuci maturis paratur arcanum uterinum ex sententia Quercetani mirum & stupendum, cujus arcani grana quindecim si dentur ægrotanti suffocatione matricis affectæ, illico levatur,

tur,

tur,paratur autem tale arcanum hoc modo. Depuratur ſuccus,poſtquam expreſſus eſt,ex granis ſambuci maturis,& in ſcutellis vitreis mundis reponitur,ad ſiccandum in calore ſolis,vel in balneo tepido, ponitur ad diſtillandum quicquid erit ſuperfluæ humiditatis ex magmate,parantur deinde pillulæ ponderis granorum quindecim aut viginti, & ſervantur ad uſus,ex tota verò planta paratur arcanum hoc. Colligitur maxima quantitas florum, & foliorum,contunditur & exprimitur ſuccus, cortex verò & lignum integrum comburitur, & in cinerem,convertitur,ex cineribus ſal extrahitur, & purificatur ultima purificatione,ut antea factitatũ eſt,in præparatione reliquorum fixorum, ſalium: ſuccus verò florum, & foliorum depuratus, poſtquam per menſem integrum deferbuerit diſtillandus eſt,lentiſſimo calore, & ex eo extrahendus eſt ejus ſpiritus æthereus ardens, & quater rectificandus à phlegmate, magma verò hujus diſtillationis poſtquam vindicatum eſt,omni phlegmate leviſſimo calore, non Empyreuma redoleat, imbibendũ eſt ſuo ſpiritu æthereo,& ardenti,à ſuo phlegmate puro, & deinde iterum ter quater, diſtillandus eſt ille ſpiritus æthereus, donec ſalem volatilem extraxerit,è magmate ſuo,hîc deinde ſpiritus,ſuo ſale volatili impregnatus, incorporandus eſt cum ſale fixo ſuo puro, & nitido in balneo tepido, in phiala oblongi colli & perquam optimè obturata ne evolet ſpiritus,antequam uniatur ſuo ſali, hoc deinde ſic unitum, conſervandum eſt in phiala optimè clauſa ad uſus ſuos.

Vires & uſus.

1. Pituitam & omnem ſeroſum humorem trahit vi magnetica, caloremque naturalem fovet

& au-

& auget, unde mirificè senectutem retardat.

2. Febres intermittentes ferè omnes, quartanam præcipuè, & quotidianam curat, quod serosos humores ex longinquis corporis partibus trahat, & sanguinem purget & suo sale vivificet, & à corruptione præservet.

3. Podagram, chyragram, & omnem arthritidis dolorem, tuto solatio tollit, quod dissolutum tartarum, salemque, foras pellat, reliquumq; dissolvi non permittat.

4. Suffocationem & omnes uteri affectiones tam citò, & velociter curat, ut magicum ferè videatur fore medicamentum, ut incantamento quodam, videatur ægrotantes sublevare, putrentes enim humores quoscunque, ex stomacho, utero, & inferioribus reliquis partibus, cor cerebrumque infestantes citissimè trahit.

5. Leucophlegmaticos, leprosos perquam optimè juvat, salem enim naturalem corporis dissolutum, & corruptum, iterum congelat & coagulat, vel foras pellet, reliquum autem ne dissolvatur præservat.

6. Visus & auditus imbecillitatem, & reliquorum sensuum, tam externorum, quam internorum mirificè tollit, quod calidum innatum juvet, & spiritus animales augeat, detrusis foras serosis, & frigidis humoribus, qui potissimum spiritus & calidum innatum infirmare solent.

Sumitur in jusculis mane, jejuno stomacho ad quantitatem dragmæ unius, vel duarum, cum regimine & custodia, per tres auroras continuando, & deinde intermittendo, quindecim aut decem dies,

dies, & iterum repetendo tres aut quatuor dies, donec abierit infirmitas.

Cap. XV.

De quinta essentia ebuli.

Essentiæ ebuli vires & usus.

EBuli essentia extrahenda est autumni tempore, ut ferè omnes aliæ essentiæ, quarum tempus, quamvis in superioribus capitulis in omnibus non dicatur, tamen non accusandum est hoc opus oblivionis, quod in capitulo superiori libri primi hujus rei particulari, (Quod necessarius sit ad extrahendas essentias cœlorum benignus influxus,) dixerim omnes essentias, extrahi posse commodissimè, autumni tempore, & veris; quod in his potissimum temporibus vigeat nativus herbarum calor universaliter, & quod etiam sæpissimè & ferè semper ignoretur planetarum ascensus, qui sympathiam habent cum herbis nostris terrestribus, quod potissimum foret scitu dignissimum, ad commodissimum tempus habendum in extrahendis essentijs & corroborandis earum arcanis, quapropter cum id ignoretur ad tempus generale, quo sol viget, qui est planetarum omnium & reliquarum stellarum vigor & robur, confugiendum est. Autumni ergo tempore colligenda sunt grana racemosa ebuli, quia tunc temporis matura sunt; & exprimenda, ut deponant succum, qui est reservãdus in dolio ligneo; instar vini, ut deferveat, more etiam vini, postquam deferbuerit, distillandum erit levissimo igne; omne illud humidum quod primo igne ascendit & in ascensu strias facit, instar aquæ ardentis, postquam strias omnes vides evanescentes, mutandum est receptorium, & colligendum est phlegma ascendes, quod rectificatum, & quater aut quinquies redistillatum, conservabis,

ad

ad purificationes faciendas salis fixi, quod extrà hes, ex cineribus radicis, & foliorum ebuli. Spiritū autem æthereum, qui primo igne ascendit, rectificabis quinquies, aut septies, donec à phlegmate purum sit, quod signis communibus, cum aqua ardente cognosces: similis enim est ratio, & methodus purificandi hunc spiritum, & alios omnes, qualescunque sint. Habito hoc spiritu puro, & ab omni phlegmate vindicato, ad radices & folia, & truncum ebuli devenies. Quæ omnia combures fortissimo igne, & in candidos cineres reduces, ex quibus deinde cum phlegmate superius reservato, elicies salem purum, fixum, multoties iterando, calcinationes, solutiones, & evaporationes, donec purum sit & candidum, ut crystallus. Quod deinde sal connectendum erit cum spiritu suo æthereo, superius reservato, in balneo tepido, in matratio oblongi colli obturato, ne respirent, & levissimo illo fotu invicem conjungantur, & fiant unum mirum, & stupendum ad morbos varios, magnos, & ferè incurabiles curandos.

Vires & usus.

Vires essentie ebuli.

1. Hydropem quemcunque, curat sæpius iterando dosim per intervalla, ne vires quæ leves sunt & mediocres pereant. Quod salem solutum in corpore foras pellat, & reliquum quod solutum non est solvi non sinat, imò, firmioribus retineat compagibus. Mirum fortasse erit Galenicis medicis, quod hydropicum salē solutum appellem: in hanc ego potius sententiam abeo, quæ asserit morbos omnes, ex sale, sulphure, & mercurio, ex statu naturali & debito dejectis, quam in eam quæ asserit, ex humoribus qui visuntur in corpore dependere,

in

in ipsis enim humoribus latitat illud ſal, illudque ſulphur, illeque mercurius, quem Galenus, & Hippocrates ob Chymicæ artis inſcitiam non cognoverunt, qui certè authores ut oculati & acutiſſimi, ſi reviviſcerent, & opera Chymicorum viderent, in eam ipſimet ſententiam abirent.

2. Quartanam & omnes proculdubiò febres, intermittentes curat, ita ut febrifuga dici poſſit, quod mercurium corrumpi non permittat, nec ſulphur, nec ſal, nec tartarum in copioſam & præter naturam excreſcere molem.
3. Arcanum eſt ſummum ad arthriditem omnem curandam, & omnes ejus dolores citiſſimè ſedandos, ſi tepidè cum goſſipio eo arcano madido, partes dolentes foveantur, quod ſalis ſoluti acrimoniam nervos, muſculos, & ligamenta ferientem retundat, ſuo balſamico ſale.

Sumitur in juſculis, in ovis ſorbilibus, vel formatur in pillulas, vel tabellas & voratur ad quantitatem drachmæ unius, vel duarum, in robuſtioribus naturis, & id manè jejuno ſtomacho, ſervato regimine & cuſtodia.

Cap. XVI.

De quinta eſſentia Centaureæ majoris & minoris.

Centaureæ eſſentia.

EX floribus Centaureæ utriusq; cum ſpiritu vini, & aceto ſulphuris, extrahitur tinctura, mediocriter purgans, & humores ſeroſos educens, nulla moleſtia, nulloque vomitu. Huic tincturæ eſſentiam ſi addas, ſtupendum evadet medicamentum, extrahẽda autem eſt eſſentia, ſimili, ac pari metho-

do, ac in præcedentibus capitulis extracta est de reliquis plantis: scilicet postquam ex succo centareæ utriusque spiritum extraxeris, eumque rectificatione purificaberis, & ab humido aqueo depuraveris, sali fixo, ex cineribus ejus extracto, & lotionibus sæpius iteratis depurato, eum spiritum conjunges, & connectes in balneo tepido, tunc demum ambo simul conjuncta, postquam erunt unum, connectes iterum tincturæ superius allatæ, & servabis ut medicamentum pretiosum.

Vires & usus.

Vires & usus essentiæ centaureæ.

1. Est Catholicum Spagyricum, mirandum ad educendos quoscunque humores noxios & peccantes, quamvis ex simplici uno medicamento paretur. Sunt enim in eo diversæ partes, & omnes catharticæ, & singulæ, singulos, & similes educunt humores peccantes.
2. Anorexiam inprimis, & cibi fastidium tutissimè curat; quod serosos tartareos, salitosque humores, in ventriculi lateribus stagnantibus, & adhærentibus foras educat potetissimè, hinc causam sæpissimè febrium intermittentium pellit.
3. Nullum est præstantius medicamentum, quod consulo, ut utantur omnes, qui sanitatem infirmam habent, & eos omnes qui podagra, chyragra, gonagra, & similibus doloribus tentantur, quod nulla molestia causam morbi foras pellat, vulneribus recentibus, & oculis læsis medetur.
4. Vermes, & putredinem quamcunque intestinorum, in pueris & infantibus, tutissimè foras educit, vermiumque generationem impedit, propter acetum sulphuris, quod tinctura in se

in ſe continet, & propter ſalem Centaureæ, qui propter ejus naturalem amaritudinem, & ſiccitatem, putrentia illa animalia, fortiſſimè enecat.

Sumitur in juſculis, in ovis ſorbilibus, in panatellis, in ſympis & in agnis appropriatis, ad morbum quem curare cupis, ad quantitatem ℥ ij. mane jejuno ſtomacho, ſervato regimine, & cuſtodia.

Cap. XVII.

De quinta eſſentia braſſicæ marinæ.

Braſſicæ marinæ eſſentia.

Veris tempore colligitur maxima copia braſſicæ marinæ, quam & nonnulli ſoldanellam dicunt & appellant, tunc enim temporis ſucci plena eſt, & turget vitali nectare, & dum expreſſa eſt maxima copia ſucci, reponitur, ad defervendum in cella vinaria, in vaſis vitreis, aut aliis convenientibus, poſtquam deferbuerit, diſtillandus ille ſuccus leviſſimo igne, & extrahendus eſt tali diſtillatione ſpiritus ejus æthereus, & quater aut quinquies rectificandus, donec à phlegmate agnoſo purus ſit: deinde ſi vis, magmati reſiduo reddendus ille ſpiritus purus, & à phlegmate vindicatus, & leviſſimo calore per aliquot dies fovendus eſt: deinde iterum diſtillandus, & magmati iterum reddendus, & rediſtillandus iterum, donec ſale volatili impregnatus ſit, quod fiet in tertia, aut ſaltem quarta diſtillatione, in qua aſcendet ſal ille volatilis, inſtar nivis, candidus, & adhærebit lateribus vaſis, & capitelli diſtillatorii. Hic deinde ſal volatilis una cum ſpiritu volatili, conjungenda ſunt, & connectenda cum ſale fixo, qui extrahetur ex cineribus foliorum, caudicis, & radicis ſoldanellæ ſiccæ, ſecundum methodum antea prædictam, in capitulis præcedentibus

busaliis, eadem enim methodus est servanda, tum demum omnia simul conjuncta servanda sunt, in vasis vitreis peroptimè oburatis, ad suos usus.

Vires & usus.

Vires & usus essentiæ Brassicæ.

1. Erunt fortasse Medicorum dogmaticorum Hippocraticorũ quamplurimi, qui brassicæ marinæ essentiam explodent, ex antidotariis, quòd brassica marina ex toto, sit stomacho inimica propter acrimoniam suam: cujus ratione, vẽtriculi tunicas vellicat, imò erodit, unde vomitus implacabilis exsurgit, & hinc sequitur apexis primæ coctionis, cujus læsione, & cæteræ omnes sequentes coctiones quæ in hepate, & venis fiunt, læduntur: hinc lædi totam corporis œconomiam oportet. Nec est quod dicamus essentiam hanc, acrimoniam parem cum planta non habere, quia certum est habere majorem, & multò potẽtiorem, propter sales volatiles, & fixos suæ plantæ, quos continet: qui sales in omnibus plantis acrimoniam naturalem habentibus, igne & arte pyrothecnica, caustici, & urentes evadunt, ut patet, in sale urticæ, calcis, sarmentorum, fabarum, & similium, è quibus salibus caustica fiunt potentissima: unde mirum non erit si hæc essentia soldanellæ seu brassicæ marinæ, causticam & urentem habeat potentiam, cum sales habeat extractos ex planta acri & mordaci. Huic obiectioni dicemus, verum esse salem soldanellæ volatilem, & fixum, nisi ad dulcedinem perducatur, lotionibus, calcinationibus, filtrationibus, sublimationibus, & distillationibus & cæteris aliis operationibus ad hanc rem necessariis, fore acrem mordacẽ, uren-

urentem, & causticum, ut & cæteri sales in objectione enumerati, qui quidem & dulces fieri possunt, iteratis operationibus chymicis: ut egomet vidi, experientia ipsa, caustica ipsa potentialia, quibus utuntur chirurgi ad urendum, dulcia facta, & ita dulcia, ut nulla esset ferè differentia inter saccharum, & ipsa salia, & absque ulla noxa esculenta erant, ut mel & saccharum. Sal enim naturæ, quod in centro cujuscunque mixti residet, (ad formam mixti conservandam, tãquam semen ipsius speciei) postquam à corporibus heterogeneis omnibus est depuratum, nullo pacto est acre & mordax, & naturæ inimicum, sed dulce, & naturæ ipsius fulcrum, & fomes: ipsa verò corpora heterogenea sunt ipsamet, quæ acrimoniam, mordacitatem, & alias omnes similes qualitates naturæ hostes, infensas possidet, & fovent, unde nullo pacto verendum est, quin essentia soldanellæ dulcis, mitis, & naturæ amica sit, modò sales sui tum fixi, & volatiles, ad debitam præparationem perducantur, quæ est dulcedo salium antequam simul misceantur, & conserventur ad usus, qui sunt ad purgandum quoscunque humores noxios, & infensos, qui stagnantur primæ regioni, qui sæpissimè fomites sunt febrium intermittentium omnium, & continuarum & alvi fluxus, & similium affectuum.

2. In podagræ & arthriditis omnis generis causas, & fomites expurgandos medicamentum est valdè potens, quod sales solutos, & tartarum educat vi magnetica, & naturali, & sympathica

3. Colusiones omnes mirificè curat, quod præter

evacuationem humorum omnium peccantium, nervos recreet, & refocillet, eorumque limpiditatem conservet, & amissam restituat, spiritusque augeat vitales, & animales.

4. Sanguinem miro modo purificat, quod suo sale, à putrefactione præservet: ejusque cruditates impediat suo vivifico calore, & nectare vitali, quodque naturales ejus spiritus foveat, & multiplicet.

5. Tumores omnes frigidos, & scirrhosos sola perunctione externa, mediocriter calida, discutit, & calidos omnes tumores phlegmosos, ad maturitatem perducit, propter caliditatem suam subtilem, & penetrantem quæ in suo sale residet.

6. Scabiem omnem & pruritum omnem siccat & lenit, quod salem corruptum, solutionem cõtinui sua erosione naturali facientem temperet, & ad aliam qualitatem non erodentem transmutet.

7. Lentigines, & maculas omnes faciei, aliarumq; partium continua lotione tandem discutit, quod sanguinis florem, & vigentem colorem foveat, & nutriat, ejusque puritatem multiplicet.

Sumitur ad quantitatem ʒ ß ad ʒ j. in robustioribus, cum jusculis, & syrupii magistralibus morbo appropriatis & convenientibus, summo mane jejuno stomacho, cum regimine, & custodia iterando dosim, usque ad curationem perfectam, bis in hebdomade, & si sit morbus chronicus, & lõgus ter in mense, servato] semper eodem & simili regimine.

Nota quod in extractis omnibus faciendis, si spiritum vini & oleum tartari depuratum, simul permisceas,

miſceas,una cum extracti magmate, & digeras per diem integrum, benigniora erunt, & nullo pacto vomitiva.

Cap. XVIII.

De quinta eſſentia Pepli.

Eſſentia pepli.

Vigente cane cœleſti, tempore Iulii menſis, & Auguſti, colligendus eſt peplus, qui & portulaca ſylveſtris, ab aliis dicitur, in maritimis enaſcẽs, medicamentũ familiare & frequens tempore Hippocratis, ut paſſim in ſcriptis ſuis apparet, collectus peplus confundendus eſt, & ſuccus eius exprimendus, maxima in copia. Magma reſervandum eſt, & ſiccandum in ſole, vel in furno panis, ut deinde ſiccum comburatur in cineres, è quibus extrahẽdum erit ſal fixum, & depurandum arte, & methodo antea in capitulis præcedentibus enarrata ad ſummũ candorem. Succus verò expreſſus reſervandus erit in vaſis vitreis, aut ligneis in loco frigido, ut deferveat, poſtquam deferbuerit, diſtillandus erit leviſſimo igne, ut ſpiritus ejus æthereus ſeparetur à phlegmate, quod fiet tribus, aut quatuor diſtillationibus iteratis, ſeparato phlegmate, in ſingulis diſtillationibus, quod in fundo reſidet alembici, & cum quadam difficultate aſcendit. Poſtquam ſpiritus talis ſeparatus eſt ab omni phlegmate, convertendus eſt cum ſuo ſale fixo, & ſervandus eſt ad uſus.

Vires & uſus.

Vires eſſentiæ pepli.

1. Quoscunque humores educit & erat catholicum Hippocratis, & Medicorum antiquorũ, quorum tempore, Rheubarbarum, ſenna & caſſia, reliquaque medicamenta benigniſſima ignota erant; peplo enim ſolo & helleboro purgabant: jam verò in uſu non ſunt, quod

fortiora ſint medicamenta, viribus hominum noſtratium. Quapropter in eſſentiam redegi, ut eorum vis retundatur, & refrenetur eorum venenum, aut potius extinguatur penitus, ita ut ſine ulla noxa propinari poſſit.

2. Arcanum eſt ſummum in arthritide curanda, febre quartana, quotidiana, & paralyſi particulari membri alicujus, & totius corporis, admotum membris calidè, & intervis aſſumptũ ex arte & regimine.
3. Tumores omnes frigidos & ſchirroſos diſcutit, & emollit, exteriùs illinendo propter ſuum ſpiritum æthereum quem continet, qui penetrando frigidos illos humores & tartareos diſſolvit, tanquam contrarios.

Sumitur ad quantitatem drachmæ unius ad duarum in robuſtioribus cum juſculis & ſyrupis morbo appropriatis & convenientibus, idque jejuno ſtomacho, & mane cum regimine & cuſtodia.

Cap. XXIX.

De quinta eſſentia colocynthidos.

Colocynthidos eſſentia

COlocynthis colligenda dum matura eſt, & in pallidum mutatur colorem & contundenda in mortario ligneo, aut marmoreo ut ſuccum emittat omnem, quem percolatum repones in vaſis ligneis vino continendo appropriatis, in cella vinaria, ùt deferveat, quod ut fiat majori celeritate, & præcipiti temporis ſpatio, addes aliquid ſpiritus vini, à phlegmate puri, cum bona quantitate fermenti: Hac enim methodo omnes herbarum ſucci citius deferveſcunt, & copioſiorem dant ſpiritum æthereum, dum diſtillatione levi coguntur ad aſcenſionem. Poſtquam hac methodo colocynthidis ſuccus deferverit diſtillandus erit leviſſimo igne, donec

donec ſtrias non faciat in capitello alembici: ſignũ præcipuum aſcenſi ſpiritus, qui rectificatus & à phlegmate purus, ſi reddatur magmati ſuo ſalem volatilem extrahit, qui arcani vires mirificè multiplicat. Hic ſpiritus, & ſal volatilis connectendi ſunt cum ſale fixo qui extrahi poterit ex tota planta ſicca, & combuſta, & in cineres redacta: ex his autem cineribus, arte & methodo ſæpius in capitulis præcedentibus enarrata, extrahitur illud fixum ſal, quod ab omni terreſtri recremento vindicatum, & præcedentibus alligatam, arcanum perficit omne, quod vires ſequentes habet.

Vires & uſus.

Vires eſſentiæ Colocynthidos.

1. Pituitam & bilem purgat, propter parem & ſimilem quem continet in ſe ſuccũ, unde pituitoſis & bilioſis affectibus, mirificè convenit.
2. Arcanum eſt ſummum in curandis & ſedandis dẽtium doloribus, quod ſua caliditate perennes catarrhi fontes exhauriat, & nervum foveat dentis, ſuo vivifico nectare, quod & ſpiritus omnes fixos, & influentes recreet.
3. Si eo arcano iſchiadici calide perfrigerentur mirum in modum à doloribus ſolvuntur, propter ſpiritum ſalis quem continet, qui alium ſalem ſolutum, dolorem facientem mitigat, & in aliam permutat naturam, partesque dolentes, recreat, refocillatis ſpiritibus, & convocatis, majori in copia.
4. In quartanis & quotidianis febribus curandis, mirè efficax, quod harum febrium cauſas cõtinentes, efficientes, & materiales, foras evocet, humoresque has febres efficientes, putrefieri non ſinat, at in ſuo naturali, & vivifico centro puriſſimè coërcet.

5. Nervorum reſolutioni maximè prodeſt,&quod mirum eſt cordi, iecori, & ventriculo maxime prodeſt, & tamen planta cruda, maximè adverſatur, & præcipuè inteſtinis, interdum enim & ſæpius,cruorem elicere ſolet, corroſis inteſtinorum carnoſis membranis, eſſentia verò hæc nullo modo,partibus ullis nocet,ſed benigniſſima ſuccurrit earũ affectibus morboſis.

Sumitur ad quantitatem dragmæ ſemis, aut unius, cum juſculis & ſyrupis, idque mane jejuno ſtomacho, ſervato communi medicorum regimine & cuſtodia.

Cap. XX.

De quinta eſſentia Apii.

Apii eſſentia.

RAdix Apii, tempore veris colligenda eſt, & à terreſtri recremento, lotionibus multis probè emungenda,deinde contundenda, & ſuccus omnis ex ea exprimendus,& reponendus in phialis, in loco frigido,ad defervendum,poſtquam deferbuerit, diſtillandus levi igne, ut ſpiritus ejus aſcendat, deinde rectificandus, ut à phlegmate, & humore aquoſo vindicetur. Rectificandus ſpiritus, magmati reddendus eſt, ut ſal volatile quod magmati ineſt,per cohobationem ſpiritus rectificati, & macerationem debitam paſſi,extrahatur, extractumque ſublimationibus iteratis purgetur, ab omni terreſtri excremento,tum demum conjungatur ſpiritui ſuo,ſal vero fixo è magmate vel è tota radice ſicca, per combuſtionem & incinerationem extrahatur, & purificetur,methodo generali antea dicta, deinde omnia pura ſimul conjungantur, & ſerventur ad uſus.

Vires

Vires & usus.

Vires essentiæ Appii, & usus.

1. Arcanum hoc mediocris est virtutis, ad humores seorsum educendos, qui in corpore putrescunt: purgat benigniter bilem, & pituitam, propter sympathiam quam habet cum his humoribus ejus spiritus & sal tum volatile & fixum.
2. Discutit tumores internos hepatis, & lienis, aliorumque viscerum sua tenuitate, & penetrandi facultate, quam habet per spiritum salis volatilis, quem in se coërcet.
3. Diureticum etiam est medicamentum, Renes purgat, & vesicam, lapidemque, & arenulas rumpit, & dissolvit, per suum spiritum salis, & dissolutum, qui coagulata omnia, & in lapidem indurata emollit, & dissolvit, etsi per eum ipsum spiritum non dissolutum, sed in sua natura stantem omnia coagulentur.

Sumitur ad quantitatem drachmę unius ad duarum in robustioribus, idque mane jejuno stomacho, servato regimine & custodia, cum jusculis & syrupis, vel in extracto aliquo purgativo, & parum aquæ cinnamomi fit gratissima dosis, ad purgandũ quoscunquę humores.

Cap. XXI.

De quinta essentia Rheubarbari.

Rheubarbari essentia.

SI Rheubarbarum recens & succi plenum haberi in his regionibus posset, arcanum mirandum ex eo parari posset methodo simili, & pari arte ac in aliis nostratibus plantis, sed cum siccum, aridum, & succo suo alimentitio & vitali emunctum in nostras regiones asportetur, mutãda est methodus extrahendi ejus essentiam, quæ propriè loquendo,

non eſt eſſentia, cum ſpiritus ejus & ſal volatile, quæ principales ſunt eſſentiæ partes deſint, & non reperiantur in noſtro Rheubarbaro; ſed eſt potius extractum & media eſſentia, cum non contineat ſecum, niſi aliquid tincturæ ſpiritus, & ſal omne fixum, quod tamen magnam habet purgandi vim, ſi ritè paretur, ut videre licebit per experientiam. Extrahetur autem ejus tinctura & ſal ſuum fixum ſequenti methodo. Rheubarbarum tritum, & in pulverem redactum immites in aquam roris Maij, ter aut quater diſtillati, ut ſtent in digeſtione, in cineribus tepidis, per quatuor aut quinque dies, donec perquamoptimè tinguatur aqua in colorem rubicundum: ſeparata hac aqua tincta per inclinationem, ne ejus limpiditas perturbetur, infundes aliquantulum, aut quantum ſufficiet aquæ roris, ut prius, ut denuo, per macerationem quatuor, aut quinque dierum tinguatur ut prius, hæc aqua recenter tincta priori permiſcebis, & aliam novam aquam roris iterum infundes ſuper magma Rheubarbari reſiduum, & macerabis, donec, nõ amplius tinguatur aqua, quam infundis ſuper illud magma reſiduum. Quod tinctura omni ſua privatum illis iteratis infuſionibus, combures, & in cineres albiſſimos reduces: poſtquam ſiccatum fuerit in ſole, vel in igne temperato, ex his cineribus, ſalem extrahes fixum quod in his inerit, idque ſeparatum absque ulla alia præparatione & lotione, permiſcebis tincturæ antea extractæ, & reſervatæ, ad partem, hæc ambo duo ſimul conjuncta, in balneo calido, aut in cineribus temperatis, leviſſimè diſtillabis, donec humidum omne aſcenderit, cavendo, ne inter diſtillandum magma, quod reſidet in fundo alembici, inopia humoris & violentia ignis comburatur, & empyreuma redoleat. At maneat magma reſiduum,

duum, liquidum ſatis, veluti mel, aut butyrum, in quo gradu deſiſtendum eſt, à diſtillatione, & pars humida omnis quæ per diſtillationem aſcenderit denuo magmati reſiduo, connectenda eſt, ut denuo diſſolvatur magma, & ſi non ſufficit humidum aſcenſum, ad diſſolvendum, addendum eſt novum ſimilis ſubſtantiæ, ut perficiatur diſſolutio, quæ poſtquam per aliquot dies in cineribus tepidis digeſta fuerit, filtro eſt transmutanda, ut clarificetur, & partes omnes heterogeneæ & terreſtres quæ non potuerunt diſſolvi, relinquantur in fundo, & ſeparentur à partibus homogeneis, quæ diſſolutionem paſſæ ſunt, hanc iterum filtrationem diſtillabis tenuiſſimo igne, ut prius, cavendo ſemper, ne violentia ignis, & præcipiti diſtillatione, magma quod ſolet in fundo reſidere comburatur, ſed humidum aliquantenus permaneat ut mel. Quod iterum diſſolves, ut denuo à fecibus, & excrementis terreſtribus vindicetur. Hanc operationem ſepties iterabis, ſervato eodem ordine, & ſimili methodo: in ſeptima & conquieſces, & magmati reſiduo, grana aliqua ſcammoneæ ſpiritu vitrioli diſſoluta addes, & conjunges & ſervabis, ad uſus, in phialis perquamoptimè obturatis.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentiæ Rheubarbari.

1. Innocens, clemens, & excellens eſt medicamentum, multas dotes medicamento purgante maximè expetitas complexum, in obſtructionum affectibus mirè efficax unde omnes affectus quos generant obſtructiones certiſſimè curat.
2. Sanguinem clarificat unde lepræ initia profligat lentigines & vitiligines admotũ & aſſumptum

ptum curat, quod ſpiritum ſalis qui omnia à corruptione præſervat, & corrupta conſumit.

3. Aquam intercutem, regium morbum, lienis craſſitiem ac diuturnas febres quaſcunque continuè ſumptum per intervalla tandem ſanat; quia ſolvit omnes obſtructiones, ſolvit autem eas propter ejus ſpiritum qui omnia penetrat & diſſolvit tartarea, & ſpiritu ſalis coagulata.

4. Vermes infantium enecat, & tutiſſimè propter ejus benignitatem pueris & infantibus & lactentibus offerri poteſt, ad ſanandos eorum affectus.

5. Diſſenteriam & quoſcunque alvi fluxus etiam curat, modò ſpiritui vitrioli & croco martis connectetur. Hoc iſtud, mucoſos inteſtinorum humores, & acres ichores foras educit, ſpiritus verò vitrioli putrefactionem inhibet & leniter aſtringendo, inteſtina recreat: crocus verò martis omnino aſtringit & prohibet fluxum.

6. Datur etiam ab alto devolutis, ruptis tam internè quàm externè fractis maximo juvamento, ſi eſſentiæ Mumiæ addatur & conjungatur.

Sumitur ad quantitatem drachmæ unius ad duarum, in infantibus & lactentibus à ſcrupulo uno ad duos in ſyrupis morbo convenientibus, & aquis ſtillatitiis morbo etiam appropriatis, idq; manè, jejuno ſtomacho, ſervato artis regimine, nulla tamen cuſtodia propter ejus benignitatem, imò ut motus ejus perficiatur celerius, & potentius, deambulandum eſt, & foras eundum ut motus ſit velocior.

CAP.

Cap. XXII.

De quinta essentia Agarici.

Agarici essentia.

AGaricum cùm sit fungus in arboribus variis & multigenis enascens, etsi recens ex Italia aliisque regionibus, ex quibus in nostras regiones ex-portatur, haberi possit: succus ejus tamen alimentarius & vitalis extrahi non posset, cum fungorum genus omne exsuccum sit, & omni ferè alimentario liquore privatum, cum vivat ex succo arboris cui adhæret, & excrementum sit illius arboris, quod assolet esse siccum & aridum: quocirca ejus spiritus haberi non potest, cum paucus sit, isque fixus & sale volatili suo connexus: hinc alia via & methodo procedendum est in extrahenda eius essentia, quàm in aliis capitulis præcedentibus: extrahetur autem sequenti methodo. Agaricum, tritum & pulveratum dissolves in spiritu æthereo rosarum pallidarum, aut in spiritu alio purgante, & solutivo, & id omne collocabis in vitro optimè clauso, in cineribus tepidis ad dirigendum per mensem, transacto mense per inclinationem spiritum clarũ & limpidum, à fœculenta agarici materia separabis, & filtro transmittes, ut vindicetur à corporali agarici materia. Hunc spiritum substantia tenui agarici imprægnatũ custodies in vitro optimè clauso; magmati verò residuo alium addes spiritum similem priori, & digeres per octo dies in vitro clauso, in cineribus tepidis. His actis diebus, separabis spiritum tuum per inclinationem, & transmittes, & priori conjunges: deinde magmati spiritum optimum vini, alchoolizatum & ab omni phlegmate septimis distillationibus iteratis privatum addes & connectes, & levissimo igne distillabis, separato phlegmate, in singulis distillationibus, donec sal

vola-

volatile agarici aſcendat una cum ſpiritu vini: ſal iſtud volatile unà cum ſpiritu vini conjunges prioribus ſpiritibus antea diſtillatis: magma verò reſiduum poſt ſiccationem combures igne fortiſſimo, & in cineres albiſſimos reduces, ex quibus cineribus per ſolutiones, filtrationes, calcinationes, & evaporationes ſæpius iteratas, ſal extrahes cãdidum & limpidum ut cryſtallus, prioribus ſpiritibus conjungendum & connectendum. Hæc omnia deinde poſt debitam macerationem & digeſtionem leviſſimo igne erunt diſtillanda, donec magma reſiduum habeat conſiſtentiam mellis, aut ſyrupi non perfectè cocti, cui magmati ſuum ſpiritum diſtillatum reddendum erit, & iterum connectendum, ut diſſolvatur, & poſt debitam trium aut quatuor dierum digeſtionem, filtro omnia diſſoluta erũt committenda, ut probè ab omnibus recrementis terreſtribus, & heterogeneis extractum agarici vindicetur, demum filtratum omne, poſtquam clarum fuerit, & bene limpidum diſtillationi leviſſimæ erit committendum, donec magma habeat conſiſtentiam ſyrupi non perfecti cocti. Magma iſtud erit ſervandum in phialis optimè clauſis addito oleo, cinnamomi ad ſaporis conciliationem: ſpiritus diſtillatus erit ſervandus ad extrahẽdas ſimiles eſſentias ex medicamentis ſiccis, veluti è ſena, ſcammonia & ſimilibus.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentiæ agarici.

1. Arcanum prædictum præcellit Agarici vires, deiicit utramque bilem, ac etiam pituitam ipſam, craſſos & lentos, & putreſcentes quoſcunque humores expellit, quod ſulphure & ſale fixo, & volatili præditum ſit, quæ omnia, naturali ſympathia humores corruptos trà

hunt,

hunt, reliquosque corrumpi non permittunt sunt enim persistentiæ & permanentiæ materiales causæ.

2. Cerebrum, omniumque sensuum organa expurgat, quod frigidos humores & viscidos qui cerebrum sua frigiditate interturbant, & sensus obtundunt, diminutis aut saltem refrigeratis spiritibus, qui robur omnium sensuũ conservant, expellat, & expurget.

3. Musculos etiam omnes expurgat, ita ut partes ad motum naturalem sint promptiores unde etiam ad id plurimum competit, quod excrementa, quæ spinali medullæ pariter & nervis inhæserint, educat.

4. Pulmonem ac pectus à lentis, ac putrescentibus humoribus detergit, ac deinde ventriculum, jecur, lienem, & renes, & in mulieribus uterum ab omnibus, quæ earum partium facultates, & naturales actiones interpellant, mundat.

5. Compaginum omnium contumacem materiam solvi, propter spiritum salis, quem in se continet qui omnia concreta dissolvit, unde regio morbo affectis, & aqua intercute laborantibus, ac liene vexatis, levamentum præstat non obscurum.

6. Familiaris est admodum medicina, & ad omnes fere corporis partes habet conformitatem: ad plerosque tum capitis, tum cerebri, tum ejusdem membranarum morbos: nempè diuturnum dolorem, comitialem morbum, Apoplexiam, carum, & omnes alios frigidos affectus, vertigines, maniam, atram bilem, & cerebri omnes inflammationes, non imbecilles possidet vires.

7 Uri-

7. Urinam quoq; pellit, & menſes commodè ciet, propter ejus ſulphuris balſamum quod continet, quod ſuo naturali ſale omnia aperit & reſerat; unde ſanguinem miro modo expurgat, ac proindè totius corporis nitorem frequenter utentibus commendat.

8. Ventris tineas tum enecat, tum dejicit ſuo ſale, qui horum animalium generationem impedit, quod impediat ſalem naturalem corporis, in aliam permutari ſubſtantiam & alterationem pati nullam, ſed in ſua naturali virtute & robore conſervet.

Sumitur in juſculis, vel in ſyrupis morbo appropriatis & convenientibus ad quantitatem drachmæ unius vel duarum, idque manè jejuno ſtomacho, ſervato regimine & cuſtodia; in infantibus verò à ſcrupulo uno, ad duos, ſervato eodem regimine.

Cap. XXII.

De quinta eſſentia Senæ.

Sena eſſentia.

IN Hetruria provincia Italiæ, ubi copioſiſſimè Sena ſeritur, & colligitur ſingulis annis, ubi recens & ſucculenta haberi poteſt, ſervanda eſt methodus ſimilis, & eadem ac in præcedentibus capitulis de extractione eſſentiarum plantarum noſtratium; in quibus diximus, ſuccum herbarum omnium eſſe extrahendum ad eſſentias, ut ex eo ſpiritus & ſal volatile extrahantur: hac enim methodo eſſentiam elicies ex ſena mirabilis facultatis. At quia in noſtras regiones folia ejus aſportantur ſicca & arida, mutanda eſt methodus extrahendi extractum ejus, quod ex ejus foliis fiet pari modo. Folia ejus ſumenda ſunt emuncta ab omni pulvere, & re extranea, ad quantitatem libræ unius, vel duarum, & vitro ſeu phialæ optimè clauſæ indendi ſunt,

ſunt, cui ſuperimponendum eſt roris diſtillati quãtum ſatis ad eminentiam quatuor aut quinque digitorum ſuper folia ſenæ: clauſum deinde vitrum, ut dictum eſt imponendum eſt in furno digeſtionis in cineribus tepidis, vel in balneo mariæ tepido; per quindecim dies, donec tinguatur aqua in colorem rubeum ſubobſcurum. Quam aquam ſic tinctam ſeparabis per inclinationm, & aliam novam impones, vel addes aquam reſervatam ex extractione Rheubarbari quæ melior erit, & vires purgandi augebit, ad ſufficientem quantitatem & digeres iterum donec aqua iterum coloretur, ut prior. Tinctam iterum ſeparabis & priori conjunges, aliamq; novam addes magmati & digeres donec coloretur; hancque operationem totiesiterabis, quoties aqua infuſa per digeſtionem colorabitur. Hæ omnes aquæ ſpiritu ſeu tinctura ſenæ prægnantes diſtillandæ ſunt leviſſimo igne, donec magma quod reſidet in fundo alembici habeat conſiſtentiam mellis. Huic magmati, ſua aqua iterum reddenda ut iterum ſolvatur, & digerenda per aliquot horas, donec optimè ſolutum ſit, & hypoſtaſis ſolutionis fundum petierit. Tunc demum per inclinationem & filtrationem ſeparanda ſunt turbulenta à limpidis & claris: clara iterum & limpida diſtillanda leviſſimo igne donec conſiſtentiam mellis acquiſierint: hæc deinde iterum ſolvenda, ſolutaque filtranda, ut limpida evadant, & nullas emittant feces. Quod toties erit repetendum quoties magma in ſolutione feces relinquet Deſiſtendum erit cùm magma, quod reſidet in fundo alembici poſt levem diſtillationem, hyacinthum lapidem precioſum repræſentabit, & in diſſolutione nullas emittet feces, ſed omne diſſolvetur, ſolutione nullo pacto turbata, atomis per aquam volitantibus: huic extracto ſic

limpido & claro addenda ſunt hæc. Sumendæ ſunt libræ quatuor, aut quinque foliorum Senæ & alembico terreo deſcenſorio imponendæ, & diſtillandæ ſunt fortiſſimo igne per deſcenſum, donec folia comburantur omnia, & in cineres albiſſimos reducantur. Ex hac diſtillatione ſeparabis aquam ab oleo, aqua projicienda eſt ut nullius momenti, oleum vero quod empyreuma redolet potentiſſime, permiſcendum eſt cum pauco vitriolo ad rubedinem calcinato, & ambo ſimul conjuncta retortæ imponenda ſunt & diſtillanda: ſic oleum empyreuma deponet, & gratiſſimũ acquiret odorem ſecunda aut ſaltem tertia diſtillatione. Hoc oleũ ſic præparatum extracto addes priori, & permiſcebis. Ex cineribus autem Senæ ex quibus oleum extractum eſt per deſcenſum elicies ſal fixum, per ſolutionem & alias artis noſtræ operationes antea enumeratas, quod dum ad limpiditatem, & nitorem ſummum devectum erit, addes etiam extracto, cum aliquibus guttulis olei cinnamomi, & Gariophyllorum, & ſic evadet medicamentum gratiſſimi odoris, & potentiſſimæ virtutis. In extractione Rheubarbari & Agarici aliorumque medicamentorum ſiccorum poterit obſervari eadem methodus, & potentiora evadent eorum extracta.

Vires & uſus.

Senæ eſſentiæ, vires & uſus.

1. Educit hoc arcanum pituitam & utramque bilem unde cerebrum, cor, jecur, lienẽ, pulmonem, & omnes corporis ſenſus mundat, eorũque facultates, & actiones auget, quod evacuet illud omne quod ipſas impedit, aut diminuit, aut diſperdit..
2. Viſcerum obſtructiones aperit, auget juventutẽ, ſeniumque retardat, animiq; hilaritatem adfert.

fert, per salis sui spiritum qui omnia reserat, & est caloris vitalis fomes, & pabulum, & spirituum omnium fons & scaturigo.

3. In morbis omnibus diuturnis & melancholicis frequens ejus usus commodus admodum est, & utilissimus, nihil enim morbidum arcanis chymicis resistere potest, cũ ipsa arcana, præter medelam morbi quam continent, habeant & vitæ nostræ & caloris vitalis fundamenta, & bases.

4. Prodest mirificè delirio, amentiæ, scissuris totius corporis, resolutioni nervorum, phthiriasi, cephalalgiæ, scabiei, pustulis, pruritui, epilepsiæ, & morbis omnibus frigidis, quòd potentissimè frigidos educat humores, & calorem augeat vitalem, & roboret facultates omnes.

Potest reduci, ut commodissimè sumatur in pillulas, si scrupulus unus incorporetur cum mica panis, hæc enim est dosis illius arcani, usque ad drachmam unam in fortioribus. Potest etiam dilui cum syrupis morbo convenientibus, & purum aquæ rosaceæ, & cinnamomi stillatitiæ, ut potio gratissima paretur, & propinari manè jejuno stomacho servato regimine & custodia. In infantibus verò, & lactentibus cum jusculis, aut cum condimentis saccharatis, quod morosi sint, & difficillimè medicatas capiant offas, unde decipiendi sunt quantum fieri potest.

Cap. XXIV.

De quinta essentia Turbit.

In pulverem tenuissimum reducendum est Turbit, & vitro indendum cum aqua roris Maij distillata: vitrum deinde clausum imponendum est *Turbit essentia.*

furno digestionis in cineribus tepidis, vel in balneo mariæ tepido per mensem integrum. Mense peracto postquam singulis tribus diebus mensis, digestionis naturam quæ digeritur, agitaveris, per inclinationem aquam Roris claram & limpidam separabis à magmate, filtroque committes, ut turbulentum omne deponat. Deinde magmate aliam novam & recentem aquam impones, vel ad majorem efficiam impones aquam superius reservatam ex extracto Senæ & Rheubarbari, & iterum digeres per quindecim dies, sepositaque hac aqua per inclinationem, & commissa filtro, ut optimè depuretur, aliam iterum novam impones magmati digerendam, per octo dies, quam iterum separabis per inclinationem. Hæ omnes aquæ separatæ, & depuratæ distillandæ erunt levissimo igne, donec magma quod residebit ex distillatione, in fundo alembici habeat consistentiam mellis. Tum demum vase frigefacto aquam distillatam magmati reddes, ut dissolvatur, & per dies duos, aut tres digeres, ut optimè hypostasis seponatur, & fundum petat. Hæc aqua per inclinationem erit separanda ab hypostasi, & filtro committenda, ut optimè depuretur. Deinde iterum distillanda ad consistentiam mellis ut priùs. Hæcque operatio toties iteranda, quousque magma seu extractum, quod in fundo remanet, nullas relinquat in solutione feces. Tunc demum quiescendum est, & ad magma superius relictum ex infusione prima extracti confugiendum. Cui novum turbit absque ulla trituratione addendum est, ad quantitatem trium, aut quatuor librarum, & totum omne alembico ad descensum proprio committendum, ut quicquid poterit distillari distilletur, & reliquum comburatur fortissimo igne, & in cineres reducatur albissimos. Oleum quod distilla-

ſtillatum eſt per deſcenſum empyreuma redolens, poſtquam ab aqua ſua ſeparatum fuerit, retortæ committendum eſt cum pauco vitriolo ad rubedinem calcinato, & diſtillandum eſt ter aut quater fortiſſimo igne cum novo & recenti vitriolo impoſito in ſingulis diſtillationibus: Sic oleum deponet empyreuma & ingratum odorem. Hoc oleum conjungendum eſt cum extracto ſuperiori. Deinde ad cineres turbit convolandum eſt, & ex his ſal fixum extrahendum arte & methodo antea multoties enarrata, donec candorem & nitorem ſummum acquirat: hoc demum ſal depuratum connectendum etiam eſt, cum extracto ſuperiori, & totum omne conſervandum in phiala optimè clauſa, additis aliquibus guttulis olei cinnamomi, & gariophyllorum.

Vires & uſus.

1. Educit hoc arcanum pótentiſſimè quoſcunque humores, & præcipuè ſeroſos omnes, & pituitoſos, ad articulorum compagines defluẽtes, propter ſalem quem in ſe continet copioſum, & ſulphur, quod caliditate ſua fugat omnia frigida, & partes refocillat nervoſas, & cartilaginoſas. *Vires & uſus eſſentiæ Turbit.*
2. Ventriculum expurgat, & quæ illi penitus inhærent excrementa detergit: item & pectus à pituitæ lentore emungit, unde & ſuſpirioſis, & difficulter anhelantibus maximo eſt juvamento, propter ſulphur, quod in ſe habet, quod eſt balſamum pectoris, & pulmonem, & ventriculi robur.
3. Datur magno juvamento aqua intercute laborantibus, item elephantiacis, & lue venerea affectis, & iis omnibus, qui morbis ab exuſtis

humoribus provenientibus sunt obnoxii, propter spiritum salis, qui salem solutum nostri corporis foras evocat, & corrumpi non sinit, ex cujus corruptela, & solutione elephantiasis, & aqua intercus oriri solent.

4. Febribus quotidianis & quartanis maximè etiã prodest, & morbis omnibus in quibus pituita redundat, & chronicis etiam omnibus affectibus, quod citissimè ad pepasmum reducat omnes humores putrescentes in corpore, & naturam refocillet, & sic unà cum natura coctos expellat humores.

Sumitur ad quantitatẽ drachmæ semis, ad drachmam unam, in jusculis, vel syrupis propriis, & convenientibus morbo, idque manè, jejuno stomacho, servato regimine & custodia.

CAP. XXV.

De quinta essentia Scammonii.

Scammonii essentia.

SCcammonium cũ sit succus scammoniæ plantæ exsiccatus iterum dissolvi oportet, ut mundetur à partibus grossis, & terrestribus, ejus actionem impedientibus, tum demum pars una reducatur in oleum, pars altera in muscilaginem mundam & nitidam, quibus si salem fixum harum partium addas perfectum absolves aliquo modo arcanum. In Asia verò in his potissimum regionibus, ut in Mysia, ubi copiosissimè seritur & colligitur, perfectius haberi potest, quia ex succo recenti, & adhuc spiritu pleno potest educi, & ejus spiritus æthereus, & sal volatile, quæ duo perfectissimè absolvunt arcanum chymicum. At cùm succus solus in nostras regiones asportetur siccus, & aridus, multis festucis aliisque rebus heterogeneis infarctus, necesse est ut aliam excogitemus methodum, qua speciem

quan-

quandam extracti habeamus ex Scammonio : erit autem ejusmodi. Sumetur Scammonii electi libra unica, aut altera, & ſucco limonum diſtillato diſſolvetur, addendo diſſolutioni ſpiritus vitrioli unciam unam, vaſe vitreo obturato ponantur hæc omnia in digeſtione tepida, per menſem integrum. Peracto menſe diſtillentur leviſſimo igne, donec magma habeat conſiſtentiam mellis. Huic magmati iterum reddenda eſt aqua, quæ ex eo per diſtillationem extracta eſt, & iterum per octo dies ſaltem digerenda, & poſt digeſtionem filtro committenda, ut à feculentis materiis & Scammonio heterogeneis probè mundetur, & deinde diſtillanda, donec iterum conſiſtentiam mellis acquirat magma, quod reſidet in fundo alembici. Hæ omnes operationes, ſolutiones putà, digeſtiones, filtrationes, & diſtillationes erunt iterandæ, donec magma nullas in ſolutione emittat feces, ſed totum diſſolvatur nullis atomis per aquam diſſolventem relictis. Deinde novum iterum Scammonium ſumendum eſt, & in minutas conciſum partes alembico ad deſcenſum proprio indendum eſt, & fortiſſimo igne diſtillandum, donec omne comburatur, & in cineres reducatur albos, adauctis ignis gradibus, in fine diſtillationis. In hac diſtillatione oleum habes nigrũ, & aquam fætidam, quæ nullius eſt virtutis, unde proiicienda: oleum verò quod ſummopere empyreuma redolet, rectificandum eſt, & ab empyreumate vindicandum, diſtillando ter aut quater in retorta cum pauco vitriolo ad rubedinem calcinato. Oleum deinde poſtquam privatum eſt empyreumate, connectendum eſt magmati ſuo purificato ſuperiori: his addẽdum eſt ſal fixum, quod extrahetur ex cineribus per artẽ multoties detectam. Sic deinde habebis catharti-

cum medicamentum regibus & principibus solùm reservandum, propter benignitatem, & agendi mirabilem vim in omnes morbos.

Vires & usus.

Vires & usus essentia scammonij.

1. In omnibus morbis curandis, tutissimè exiberi potest, & purgat tantùm per inferiora, nec ullo pacto, ut scammonium impræparatum ventriculum mordet & lacessit, nec intestina, nec flatibus & torminibus ea prosequitur, sed blandissimè humores omnes in corpore putrescentes, & in viscerum cavis speluncis stagnantes educit: signum evidentissimum quod in præparatione chymica vis ejus infestans mitigatur, & ad benignam reducitur agendi facultatem.
2. Tumoribus omnibus frigidis scirrhosis & duris exterius applicatum maximè prodest, pedetentim enim eos dissolvit, & discutit, unde mirabili quadam facultate, propter suum salis spiritum cancros occultos, nulla cutis apertione facta, successu temporis curat, & dispergit, ungendo partem eo arcano calidè, ter aut quater in die, & singulis hebdomadis sumendo scrupulum unum illius arcani cum syrupo aliquo, aut jusculo, servato regimine & custodia.
3. Lepram inveteratam, & confirmatam tutissimè curat, bis in mense utendo hoc arcano, & bis in hebdomade arcano sanguinis in primo libro enarrato.

Sumitur ad quantitatem scrupuli unius ad duorum cum jusculis, vel syrupis, vel aquis stillatitiis, & præsertim acetosæ, endiviæ, & portulacæ idque manè, jejuno stomacho, servato regimine & custodia.

CAP.

Cap. XXVI.

De quinta essentia Myrobalanorum omnium.

Myrobalanorum essentia.

MYrobalana omnia eodem modo & pari ac simili arte in essentiam reduci possunt, quocirca proposita una methodo, cęteræ omnes nulla difficultate ab omnibus chymicæ artis tyrunculis capientur. Itaque sumentur Indica Myrobalana, aliàs nigra dicta, & in frustula concisa indentur alembico ad descensum proprio, & violentissimo igne usque ad combustionem & incinerationem persequeris distillationem: separabis distillatum oleum ab aqua per infundibulum: aquam proiicies tanquam nullius valoris, oleum rectificabis cum vitriolo calcinato ad rubedinem in retorta, donec empyreuma deposuerit Hoc oleum sic rectificatum servabis, donec alia habueris, quæ supersunt in substantia adhuc Myrobalani, quæ simul & semel extrahi non possunt, ut sunt sal fixum, & tinctura eorum quæ spiritum volatilem, & salem volatilem repræsentant, & aliqua rudimenta adhuc harum substantiarum secum continent. Ex cineribus ergo Myrobalanorum combustorum extrahetur sal fixum eorum & postquam mundatum fuerit ab omnibus terrenis excrementis arte & methodo Chymica, connectes cum oleo suo. Tum demum accipies iterum nova Myrobalana, & in pulverem tenuissimum reduces & phialæ indes, his addes infundendo aquam servatam ex extracto Senæ, & Rheubarbari, & Agarici, ad eminentiam sex digitorum: phiala optimè clausa, id omne digeres in igne digestionis tepido, & lento, per mensem integrum: peracto mense infusum per inclinationē à magmate separabis, & filtro committes, ut per-

quam optimè depuretur: deinde diſtillabis leniſſimo igne, donec infuſa aqua ferè tota aſcenderit, & relinquat magma in fundo alembici in conſiſtentia mellis, cui reddes frigefactis vaſis (ſi vitrea ſint) aquam diſtillatam, donec magma diſſolvatur: diſſolutum digeres per octo dies, in igne tepido & lento, ut hypoſtaſim ſeponat, quam per inclinationem lentam ſeparabis, & filtro omne committes ad depurandum: deinde diſtillabis ut prius, ad conſiſtentiam magmatis, ad ſpiſſitudinem mellis: aquam diſtillatam iterum reddes magmati ut iterum diſſolvatur, & digeres, per quatuor dies, donec hypoſtaſim omnem depoſuerit, & filtro committes & demum deſtillabis, ad conſiſtentiam iterum magmatis ad ſpiſſitudinem, mellis ſimilem, & eandem operationem iterando, ter ſaltem aut quater, donec magma perclarum evadat: tunc demum quieſcendum eſt à purificatione magmatis, cui tunc temporis perclaro, & nitido connectendum eſt oleum, & fixum ſal ſuperius reſervata, cum aliquibus guttulis olei cinnamomi, & gariophyllorum ad odoris & ſaporis conciliationem, & ſic cuſtodiendum eſt medicamentum mirandum in phialis vitreis, aut aureis, ad uſus.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentia Myrobalanorum.

1. Arcanum ſummum eſt ad ſenectutem remorandam, modò ſit eius frequens uſus: totius corporis colorem facit elegantiorem, corporiſque odorem jucundum conciliat, hilaritatemque affert: ventriculum, cor, & jecur roborat, quòd vitæ fomitem & humidum radicale, ſale ſuo fixo roboret & reſtauret.
2. Confert hæmorrhoidibus, & bilis fervorem reprimit,

primit,ad oculorum collyria mirè efficax, ad usus claritatem &acumen efficiendum, quòd roboret & augeat vitales & animales spiritus calore suo balsamico.

3. Oculorum inflammationes, lacrymas, defluxionesque reprimit, sistit, & cohibet, quod bilis acrimoniam, oculorum tunicas pungentem & vellicantem demulceat.

4. Ulcera quæcunque, tum recentia, tum vetera, brevissimo conglutinat tempore, quòd summè abstergat,& humores defluentes corrumpi non sinat suo sale, & suo oleo agglutinet tanquam balsamo.

5. Intellectum & omnes sensus internos mirificè clarificat, & perficit, adauctis animalibus spiritibus,qui sunt internorum sensuum instrumenta præcipua.

6. Datur utiliter & aqua intercute laborantibus, & febribus diuturnis, quod salem solutum in corpore & corruptum foras trahat, aliumque corrumpi non permittat, beneficio sui salis & olei.

7. Trahit utramque bilem,præsertim exustam, cōfert membrorum tremoribus. Juvat & elephantiacos mœrores aufert, & quaternam ejus frequens usus tandem fugat, quod substantia radicalis ejus arcani, contrarietur omnino causis horū affectuum, & foras pellat horum causas internas efficiētes & materiales.

8. Vomitiones cohibet, & cibi appetentiam invitat, quod ventriculum roboret & expurget ab omnibus serosis, & pituitosis humoribus.

Sumitur in jusculis & syrupis morbo appropriatis & convenientibus ad quantitatem drachmæ

mæ unius in infantibus, in hominibus verò, & qui virili vigent ætate, à quantitate unciæ ſemis ad unam integram, idque manè, jejuno ſtomacho ſervato regimine, & omni cuſtodia artis. Vel poteſt miſceri cum arcano ſcammonii, ut minor ſit doſis & gratior, ad quantitatem drachmæ unius, cum ſcrupulo unico, aut ſemiſſe, arcani ſcammonii, & ſic erit gratiſſima potio & potens, nec tamen moleſtans.

CAP. XXVII.

De quinta eſſentia Guttæ gambæ.

Gutta gamba quid. & cur ſic dicta.

GUtta gamba, ſuccus eſt qui aſportatur ex India Occidentali, ex partibus Chinæ, in noſtras regiones, novum & recens jam noſtris temporibus, & in noſtris regionibus medicamentum, inauditum nobis & incognitum; attamen doctiſſimis Medicis approbatum, & in uſus Medicos jam redactum, ad curationem morborum multorum, & præcipuè quartanæ febris, doloris arthritici, & aquæ intercutis: evacuat pituitoſos & ſeroſos humores potentiſſimè, ſeorſum & deorſum exſiccat ventriculum, & oſœphagum ſummopere. Plantam è qua educitur nullo pacto vidi, nec ſiccam, nec recẽtem, nec inveni authorem qui de ea planta ullibi ſcripſerit, ſed ipſe ex mercatoribus qui eum ſiccum in Galliam, & Europam aſportant ex China, percunctatus ſum ea ipſa, quæ ſcribo. Paratur is ſuccus ad modum & inſtar mechoacami, & ſcammonii, inciſo, & excavato plantæ caule, & ex ſpelunculis recens ſuccus formatur & concinnatur in magdaleas, quæ exſiccatæ dant grana quatuor, aut ſex, doſin purgantem conſtituentia: attamen ſi ſuccus ille reducatur in eſſentiam, in majori multò poteſt propinari doſi, absque ulla moleſtia, & exſiccatione oſœphagi, & ventriculi. Itaque ut in eſſentiam reducatur

ducatur, hanc observa methodum. Sumatur Gutta gamba, libra unica aut altera, & contusa immittatur in alembicum ad descensum aptum, & distilletur fortissimo igne, adauctis pedetentim ignis gradibus, usque ad combustionem & incinerationem rei quæ distillatur: post distillationem separabis oleum ab aqua, quod erit in maxima copia, quòd succus ille gummosus sit valdè, & pinguedine plenus: oleum rectificabis in retorta, cum pauco vitriolo calcinato ad rubedinem, donec empyreuma deponat: hoc oleum servabis & conjunges cum sale fixo, ejusdem Guttæ gambæ, ex cineribus in distillatione olei factis extracto, & depurato, per solutiones & calcinationes multoties iteratas: sale & oleo conservato, novum succum ejusdem plantæ habebis ad quantitatem unciarum sex aut septem, & dissolves in phiala vitrea oblongi colli, cum spiritu vini alchoolizato, & spiritu vitrioli æquali quantitate solutum succum digeres per quindecim dies in tepido balneo, deinde distillabis in eodem balneo, quicquid distillari poterit. Tum demum iterum reaffundes spiritum vini distillatum super magma relictum, & digeres ut optimè dissolvatur, per tres, aut quatuor dies, deinde filtro omnia committes, ad depurandum summopere, & distillabis infiltratum in eodem balneo, quicquid distillari poterit ut prius: tum demum iterum dissolves & digeres, & filtrabis, & distillabis toties, quoties magma relictum in fundo alembici feces emittet: tunc quiesces, & magma solum vindicatum ab omni vini spiritu dissolves cum succo limonum, & spiritu vitrioli distillatis, & postquam in digestione per octo aut quindecim dies digestionem levem passum fuerit, separabis ab eo succum limonum distillatũ, & spiritum vitrioli per balneum fervente aqua distillan-

Essentia Guttæ gambæ.

stillandum, aut per cineres tepidos, donec magma relinquatur in consistentia mellis. Hoc magma quod est extractum conjunges cum oleo & sale fixo superiori, & ex his unum parabis per digestionem duorum aut trium dierum medicamentum, quod in vasis vitreis servabis ad usus varios, sanitati utiles.

Vires & usus.

Vires & usus essentiæ Guttæ gambæ.

1. Quartanam tutissimè curat ejus frequens usus, quod ejus spiritus subtilissimus & potentissimus, quemcunque solvat & disperdat tartarum.
2. Aquam intercutem certissimè exsiccat, quod ejus spiritus salis, potentissimè serosos exhauriat humores, & corrumpi non permittat, & & jecur roboret, ita ut non serosum producat & efficiat sanguinem, sed laudatum & ab omni hæmatoseos vitio vindicatum.
3. Leucophegmatiam etiam ex eadem ratione curat, & pallidos virginum colores, quia roborat ventriculum, & expurgat ab omnibus serosis humoribus, & aperit omnia obstructa difflatis undiquaque per cutis spiracula spiritibus, & evacuatis inde tertiæ coctionis excrementis.
4. Arthritidis summum & unicum est arcanum ad evacuandum ejus causas internas, & refocillandas partes, tum nervosas & musculosas; quia ejus salis spiritus id omne commodè & certissimè peragit, adauctis vitalibus & animalibus spiritibus; & refocillato humido radicali partium omnium.
5. Membrorum tremoribus subvenit, & paralysi, torpori, & caro, & omnibus cerebri morbis, ex pi-

ex pituita, & serosis humoribus provenientibus propter eandem rationem.

6. Pectus & pulmones eadem etiam ratione à crassis, & pituitosis humoribus vindicat, & suspiriosis, & difficillimè respirantibus subvenit.

7. Cutanea omnia vitia exteriùs applicatum, & interiùs sumptum certissimè curat, quod sanguinem mundet, & exsiccet humores in ulcera defluentes, & corrumpi non sinat; & agglutinet quod solutum est, per humorum acrimoniam suo balsamico oleo.

Sumitur in minima quantitate, scilicet ad quantitatem granorum sex, aut septem in jusculis, aut syrupis aut aquis, aut vino, aut ex eo cum mica panis parantur pillulæ deauratæ minimæ, & deglutitur una post primum somnum, servato regimine & custodia artis.

Cap. XXVIII.

De quinta essentia Mechoacam.

Essentia Mechoacam.

Mechoacam cum radix sit mucosa valde, & glutinosa, cavendum est in extractione eius essentiæ, ne infundatur in aquam, quia fere tota dissolvitur, & sic purificari non potest, quia nunquam clarificatur, nec ad hypostasim pervenit. At pulveratum Mechoacam infundendum est cũ spiritu vini alchoolizato, & digerendum per quindecim dies, aut mensem integrum, in balneo tepido, donec hypostasin dimittat, tunc temporis per inclinationem clarum separandũ est à turbulento. Turbulentum verò filtro denso, & spisso committendum est, ut quicquid est humiditatis per ipsũ transmittatur, & clarificetur. Magmati verò superstiti infundendus est iterũ novus spiritus vini alchoolizatus, & digerẽdus per octo dies, in balneo tepido ut prius, & post digestionem, & filtrationẽ humiditatis

tatis infusæ, novus iterum infundendus est spiritus, & digerendus per quatuor dies. His peractis filtrandus est ille spiritus infusus, & prioribus conjungendus, & simul distillandus levissimo igne, donec magma sit ad consistentiam mellis, & hæc operatio repetenda est, donec magma, quod relinquitur in fine distillationis in fundo alembici, nullas emittat feces in solutione, sed solvatur absque ullis fecibus. Hoc magma sic purificatum servandum est, & connectendum cum oleo ex Mechoacam recenti per descensum extracto, & rectificato, & ab empyreumate vindicato, beneficio vitrioli ad rubedinem calcinati, ut dictum est superius. Et cum oleo, & magmate cõnectendum etiam est sal fixum, quod extrahetur ex magmate combusto, ex quo oleum elicuisti: sed purum, & nitidum, & ab omni excremento terrestri vindicatum, & sic essentia erit absoluta, & servanda erit in phialis vitreis optimè clausis.

Vires & usus.

Vires essentiæ Mechoacam.

Arcanum est mirum in omni Mania, phrenitide, & melancholia curanda; humores enim melancholicos, & adustos, meninges infestantes foras dejicit, temperat, & in alienam mutat substantiam, & si post purgationem hanc dentur guttulæ nonnullæ olei argenti fiet absoluta, & tutissima curatio.

Paralysim membrorum, tremorem & torporẽ, ischiaticum dolorem, & arthritidem omnem tutissimè fugat, quia summoperè pituitam, & serosos humores omnes evacuat.

Febrem quartanam & quotidianam, & diuturnos omnes affectus, & chronicos frequenter utendo tandem curat, evacuatis horum affectuũ causis.

Sum-

Sumitur ad quantitatem ſcrupuli unius ad duos, in juſculis, vel aquis ſtillatitiis, vel ſyrupis, vel ovis ſorbilibus, idque manè jejuno ſtomacho ſervato regimine, & cuſtodia artis.

CAP. XXIX.

De quinta eſſentia Ialap.

Eſſentia Ialap.

IAlap eſt radix plantæ quæ in partibus Orientis Indiæ creſcit, & eſt novum jam nobis medicamentum, priſcis medicis incognitum & inauditũ; jam verò in noſtras regiones Europœas aſportatum ope & induſtria mercatorum, qui has inviſunt regiones & terras. Inſipidi eſt ſaporis, quapropter facillimæ potionis, ſi infundatur in vinum album. Sic enim revocarunt in uſus medicos moderni medici, ad curandam, aut ſaltem ſublevandam arthritidem omnem, aliaque mala, quæ ex pituita, & ſeroſis humoribus ortum habent; purgat enim potentiſſimè hoc medicamentum ſeroſos humores omnes, & exſiccat. In eſſentiam autem reducetur pari aut ſimili methodo ac reductum eſt Mechoacam, & ſimiles habet vires, & ad eoſdem curandos affectus poteſt adhiberi, majori tamen doſi; quia non ita potenter purgat, ac Mechoacam, ſed multò benignius; ita ut ſumatur abſque ulla noxa ad quantitatem drachmæ unius, vel duarum in juſculis tenuibus, vel aquis ſtillatitiis, idque manè jejuno ſtomacho ſervato regimine, & cuſtodia.

Vires & uſus eſſentiæ Ialap & doſis.

CAP. XXX.

De quinta eſſentia Aloes.

Aloes eſſentia.

SUmitur Aloës optima, friabilis, multis gummis adulterata colorem hepatis habens, unde hepatica dicta, ad quantitatem librarum duarum, & minutim cõtuſa immittitur in alembicum ad deſcen-

ſum proprium, & in furno diſtillatorio collocatũ, cogitur ad diſtillandum igne ſuppoſito, adauctis ignis gradibus, donec ceſſet diſtillatio, & Aloës alembico impoſita reducatur in cineres albos. Frigefacto vaſe ſeparabis oleum ab aqua, quæ confuſa ſunt in recipiente, per infundibulum. Aquam projicies tanquam nullius virtutis & valoris, niſi ad ulcera lavanda, & vulnera, ad hoc enim plurimum valet: oleum vero fœtens valdè, & empyreuma redolens rectificabis per retortam cum vitriolo ad rubedinem calcinato, ter aut quater, donec empyreuma deponat. Ex cineribus verò ſal fixum extrahendum calcinationibus, ſolutionibus, filtrationibus, & evaporationibus multis iteratis, donec candorem acquirat ſummum, & in ſolutione emittat feces nullas, tunc conjungas ambo ſimul. Aloëm deinde novam & recentem ſumere oportet ad quãtitatem libræ unius, & diſſolvere in ſpiritu vini optimo & alchoolizato, & per quindecim dies digerere in balneo tepido, phiala optimè clauſa. Deinde filtro committere omnia, ut depurentur, depurata diſtillentur leniſſimo igne, donec magma habeat conſiſtentiam mellis. Huic iterum reaffundendum eſt, id omne quod aſcenderit per diſtillationem, ut diſſolvatur, & digeratur per quatuor dies. Deinde filtretur, & diſtilletur ad conſiſtentiam magmatis, ad ſpiſſitudinem mellis, tum demum ſolvatur iterum magma. Et iteretur operatio ſuperior quater aut quinquies, donec magma clarum ſit & pellucidum, & multas emittat in ſolutione feces; tum demum quieſcendum, & magma iſtud ſic depuratum conjungendum eſt cum oleo ſuperiori, & ſale fixo, & omnia digerere per aliquot dies, in cineribus tepidis, & ſervare in phialis optimè clauſis tanquam arcanum ſummum ad varios uſus.

Vire

Vires & usus.

Vires essentiæ Aloes.

1. Arcanum est summum in curandis vulneribus, & ulceribus quibuscnnque propter vim balsamicam quæ in eius sale & sulphure continetur.
2. In enecandis infantium vermibus, & tineis mirè efficax, quod ejus sal omnibus similibus animalculis veneno sit, & corruptelam impediat, in his partibus pituita perpetua madentibus.
3. Dejicit bilem, & pituitam ipsam, caputque & ventriculum mundat, quorum etiam cruciatibus maximè succurrit, quia causas, doloris aufert, per purgationem.
4. Frequens eius usus à pestiferibus tuetur morbis, & ab omnibus diuturnis & chronicis, quod impediat humores ingentem, & insignem subire corruptionem.
5. Cum oleo & essentia Myrrhæ, & spiritu vini, permixtum mirum est balsamum ad corpora defuncta à corruptione vindicanda, & ita in longos multosq; annos syncera omnino præserventur.
6. Sensus omnes intellectumque acuit, jecur ab infractu purgat, & regio morbo medetur, quia frigidos humores fugat, & multiplicat spiritus animales, reserat & aperit summopere, hinc hæmorrhoidibus nocet.

Sumitur à quantitate drachmarum duarum ad trium, in jusculis manè, jejuno stomacho, servato regimine, & custodia.

CAP. XXXI.

De quinta essentia Melissophylli.

Melissæ essentia. Postquam dixerimus satis copiosè de essentiis purgantibus, jam ratio postulat de confortativis, & roborantibus essentiis dicere, ut opus absolutum, & completum chymicis omnibus præbeamus. Itaque de melissophyllo inprimis tractabimus, cujus essentia mirè efficax, & roborans sequenti methodo commodissimè extrahetur. Vernante tempore colligendum est melissophyllum, & contundendum, ut maxima copia succi extrahatur, & pauco spiritu vini addito reponatur in phialis vitreis in loco frigido, ad defervendum, per mēsem saltem unum, postquam deferbuerit distillandus erit ille succus lenissimo igne: sic enim spiritum æthereum extrahes flagrantissimum qui rectificatus, & à phlegmate vindicatus per aliquas distillationes iteratas, erit custodiendus; in phiala optimè clausa. Magmati verò residuo ex hac distillatione affundes spiritum vini alchoolizatum, & ab omni phlegmate vindicatum ad eminentiam quatuor digitorum: spiritus æthereus melissophylli aptior & melior quidem esset spiritu vini, ad hanc operationem faciendam, sed quia paucus est, & preciosus, consulo tibi, ut loco illius, utaris spiritu vini alchoolizato: postquam affusus fuerit spiritus vini magmati, in phiala optimè clausa, illum collocabis in digestione & digeres per quatuor aut quinque dies. His peractis, distillabis spiritum affusum, donec striæ cessent. Deinde si quid phlegmatis ascendat proiicies; cave tamen ne ad eam siccitatem deveniat magma, ut comburatur, & empyreuma redoleat, quia totum disperderetur. Reaffunde deinde spiritum distillatum, & digere per duos dies in cinere-

cineribus tepidis, deinde distilla lenissimo igne, reaffunde iterum spiritum, separando in unaquaque distillatione aliquid phlegmatis quantum fieri potest, & digere per duos dies, & distillando hanc operationem iterabis donec ascendat spiritus vini, cum sale volatili melissophylli, quod ter aut quater rectificabis cum spiritu vini distillando, & conjunges spiritui suo æthereo superius reservato. Tum demum habebis magnam copiam melissophylli exsiccati in umbra vel Sole, & corticis citri magnam etiam copiam, simili modo exsiccatam, & impones vasi, terreo aut cupreo ad descensum proprio, & distillabis violentissimo igne, donec comburatur melissophyllum, & cortex citri, & in cineres reducantur albissimos, oleum deinde quod distillatum erit per hanc distillationem separabis per infundibulum ab aqua fœtida, & empyreuma redolente, & rectificabis in retorta cum vitriolo ad rubedinem calcinato ter aut quater, mutato in singulis rectificationibus vitriolo, donec empyreuma deposuerit oleum. Oleum sic rectificatum effundes super corticem recentem citri, ut fragrantissimum acquirat odorem, per quindecim aut decem dies. Deinde separabis oleum à cortice per expressionem, & distillabis iterum, & sic præparatum spiritui æthereo melissophylli, & sali volatili connectes. Sal verò fixum ex cineribus melissophylli, extrahes per solutiones, calcinationes, filtrationes, & evaporationes multoties iteratas, donec candorem, & puritatem summam acquisierit: tum demum conjunges etiam hunc salem sic depuratum, aliis prædictis ex melissophyllo extractis, & servabis ut mirum arcanum, cui si aliquid olei cinnamomi & gariophyllorum conjunges, majorem acquiret in actione potentiam.

Vires & usus.

Vires & usus essentiæ Melissæ.

1. Omnes sensus internos summopere acuit, & præcipuè memoriam quam felicissimam reddit, quia cerebrum ab humiditatibus expurgat, & roborat summopere spiritus animales, & multiplicat.
2. Animum hilarem reddit, tristitiamque fugat, & humenti ac frigido ventriculo auxiliatur, & eius concoctionem adjuvat, quod calorem naturalem mirificè foveat, & nutriat.
3. Deficientem animum revocat, cordis imbecillitatem roborat, eamque præsertim, qua somnus frequentius nocte intercipi solet, quod sit caloris naturalis, & vitalis fomes, & spiritus multiplicet.
4. Animi sollicitudines fugat, ac sollicitas imaginationes tollit, quæ tum ab atra bile, tum ab exusta pituita gignuntur; quia aucto, & multiplicato calore naturali hæc omnia evanescunt, ut apparet in adolescentibus qui propter copiam caloris ejusmodi, parum habent sollicitudinis, & in ebriis, qui propter eandem rationem absque sollicitudine sunt, cum vinum multiplicet calorem.
5. Pestiferæ auræ vitia corrigit, si inspergatur per domos peste infectas, quia odore gratissimo suo cerebrum mirificè, & cor roboret, ita ut facillimo negotio resistat vaporibus & exhalationibus pestiferis, unde succurrit summopere peste affectis.

Sumitur jejuno stomacho manè, à quantitatum ℨ j. ad ℨ ij. in aqua cinnamomi vel anisi, vel in spiritu vini, vel aqua stillatitia melissophylli, vel in succo citri & limonum, vel cum aqua theriacali, in peste fuganda.

CAP.

CAP. XXXII.

De quinta essentia Menthæ.

Menthæ essentia.

COlligetur Mentha mense Iulii, & ex ea per expressionem extrahetur succus in maxima copia, qui recondetur in vasis vinariis, & reponetur in cella vinaria in loco frigido, ad defervendum: postquàm deferverit distillabitur succus lenissimo igne cinerum, donec striæ cessent, hoc enim est signum quo dignosci potest, spiritum ascensum fuisse omnem, qui pater aut quinquies rectificatus, ut vindicetur à phlegmate aquoso custodiendus erit, donec conjungatur cum reliquis quæ extrahi debent ex mentha, inprimis sal volatile quod est in maxima copia magmati ex præcedenti distillatione residuo: huic ergo magmati affundes spiritum tuum jam phlegmate vindicatum si copiosum habes, aut vini spiritum loco illius, ad eminentiam quatuor aut quinque digitorum, & digeres per quatuor aut quinque dies, in cineribus tepidis, aut balneo tepido: deinde distillabis donec striæ cessent: separato phlegmate quod deinde ascendit, ascensum spiritum iterum affundes magmati residuo, & humenti, & digeres per duos aut tres dies in balneo tepido: deinde distillabis & hanc distillationem & digestionem multoties iterabis, separato phlegmate in singulis distillationibus, donec sal volatile ascendat, quod ter aut quater rectificatum cum spiritu suo connectendum est, & servandum, donec sal fixum, & oleum habueris ex mentha, Mentham ergo siccam, & aridam maxima in copia immittes in urnam fictilem terream aut cupream, eamque mentha replebis ad collum usque, & comprimes ut majorem copiam capiat urna, quantum fieri poterit: tum de-

mum linteo madido collum urnæ cooperies, aliamque urnam vacuam omnino mentha, sed solum aqua fontana per limpida semiplenam submittes, & conjunges alteram alteri, ita ut os urnæ plenæ mentha, subintret os alterius urnæ, aqua fontana semiplenæ, & sic unitas urnas, juncturis peroptimè lutatis, in terram sepelies facta fossicula, donec urna semiplena tota sepeliatur, & plena mentha usque ad medietatem etiam sepeliatur, terra aut arena madida undiquaque supposita. Deinde coronam lapidum facies instar putei osculi circa urnam mentha plenam donec altitudine æquet urnam in medio coronæ stantem: hanc coronam replebis carbonibus ardentibus, lignisque impositis ignem per quatuor aut sex horas continuabis. Peractis horis, ignem augebis, & totam urnam carbonibus ardentissimis cooperies, & hunc ignem violentissimum per duas aut tres horas continuabis. Tunc frigefactis vasis, & sejunctis, & separatis, separabis oleum ab aqua per infundibulum quod reperies in urna aqua semiplena, quæ submissa fuerat alteri mentha plenæ. Oleum hoc rectificabis in retorta cum pauco vitriolo ad rubedinem calcinato, idque ter aut quater mutato singulis vicibus vitriolo ad rubedinem calcinato. Huic oleo rectificato, & ab empyreumate vindicato immittes folia nonnulla menthæ recentis, & insolabis per aliquot dies, vase optimè obturato. Deinde his expressis foliis, & oleo omni perquàm optimè emunctis, nova folia recentia adhuc iterum immittes in oleum, & insolabis, & iterabis immissionem, donec oleum fragrantissimum menthæ odorem acquisierit, quod terna, aut quaterna saltem infusione fiet. Huic oleo immittes spiritum, & sal volatile suum superius extractum. Ex cineribus verò qui reperiuntur in urna

urna mentha plena, ex qua oleum per descensum elicitum est, extrahes sal fixum menthæ, secundum artem & methodum superius declaratam: & postquam depuratum fuerit, & ab omni terrestri recremento vindicatum, connectendum erit aliis superiùs extractis, & omnia simul unienda in balneo tepido digerendo per duos aut tres dies, deinde servandum est arcanum in phialis optimè clausis.

Vires & usus.

Vires essentiæ Menthæ.

1. Mirum est, & stupendum, quod observatur in his omnibus arcanis plantarum in quibus adsunt, & sal fixum, & sal volatile, oleum & spiritus plantæ; si enim aliqua guttula in terram immittatur, tempore convenienti, & in terra huic plantæ ferendæ idonea, nascetur in tempore debito eadem planta, à qua arcanum extractum est, ita ut hoc arcanum verè dici possit semen plantæ æternum & incorruptibile, & sit resurrectionis nostræ symbolum rude, & aliqua effigies.
2. Singultus, vomitiones, cholerasque sedat, quod summoperè ventriculũ roboret, & ab omnibus vindicet excrementis quæ ipsum interturbare possunt.
3. Lumbricos omnes, & ventris tineas teretes enecat, sola externa ventris inferioris perunctione, suo sale tum fixo, & volatili, tum spiritu suo, quæ omnia corruptionem impediunt omnem, & sic animalcula illa interimunt.
4. Capitis dolores omnes qui per sympathiam ventriculi malè affecti oriuntur, mulcet, & curat, quia ventriculum ut diximus ab omni liberat malo.
5. Rabidorum canum morsibus tutissimè succur-

rit, si recens vulnus eo arcano lavetur, & impoſito goſſipio eo arcano madido, per aliquod tempus madeſiat, quod ſal menthæ tum fixũ, tum volatile, venenum omne enecet, & aliam in mutet ſubſtantiam, unde peſtiferis omnibus etiam morbis ſuccurrit, & intoxicatis omnibus medela ſumma eſt, ſed prius ad vomitum compellendi ſunt ægri, tum demum noſtro arcano utendum.

6. Tumores omnes duros & ſcirrhoſos diſcutit & diſſolvit, & phlegmonas ad ſuppurationem perducit, & buboni peſtilenti ſumma eſt medicina, tũ quia veneno reſiſtit, & materiam peſtilentẽ coctu, & maturatu difficilẽ ad pepaſmum perducit, idq; ſuo ſulphure balſamico.

Sumitur interiùs ad quantitatem ſcrupuli ſemis, in aquis cinnamomi, aniſi, feniculi, menthæ, vel in ſpiritu vini, & exterius applicatur locis affectis tepidè, goſſipio vel linteo madido eo arcano, ſuperimpoſito.

CAP. XXXIII.

De quinta eſſentia Thymi.

Thymi eſſentiæ vires & uſus.

COlligitur Thymum dum floret Maii & Iunii menſe, maxima in copia, & contuſum maceratur in phialis cum ſpiritu vini alchoolizato per menſem unum in balneo tepido: deinde diſtillatur ſpiritus, & ſeparatur phlegma, quod aſcendit, & reaffunditur ſpiritus aſcenſus, & digeritur iterum in balneo tepido, & rediſtillatur: & iteratur hæc operatio donec ſal volatile aſcendat quod rectificabis ter aut quater cum pauco ſpiritu vini, ut vindicetur ab omni terreſtri excremento. Spiritus hic rectificatus, & purus ſervandus, & cuſtodiendus erit, donec oleum habeas ex thymo. quod ſequenti elicies

elicies methodo. Collectum Thymum in maxima satis quantitate, ſiccum, & aridum urnæ immittes, eamque replebis thymo, & per deſcenſum, ut mentha in ſuperiori capite diſtillabis, donec combuſtum, & incineratum ſit thymum: oleum rectificabis, per retortam cum pauco vitriolo ad rubedinem calcinato, donec empyreuma depoſuerit: deinde oleum à fœtore empyreumatis vindicatum conjunges cum floribus thymi recentis, & inſolabis per aliquot dies. His peractis exprimes oleum à floribus quantum fieri poterit, & novis & recentibus thymi floribus conjunges iterum oleum & inſolabis, & exprimes, ter aut quater iterando infuſionem florum, donec fragrantiſſimum acquirat odorem, & ſic oleum hoc conjunges cum ſpiritu ſeu ſale volatili. Ex cineribus verò thymi combuſti in extractione olei, ſalem fixum elicies methodo communi, & vulgari antea multoties in ſuperioribus capitulis enarrata, & purum factum, & vindicatum ab omnibus excrementis connectes cum oleo & ſpirituoſo ſale thymi, & ſervabis ad uſus. Deeſt huic eſſentiæ ſpiritus liquidus thymi, quia extrahi non poteſt propter ſiccitatem thymi, ita enim aridum eſt, & fere ſiccum etſi vireſcat, ut ſuccus ex planta virenti extrahi non poſſit: itaque contenti fuimus ſalem volatilem extrahere ex hac planta ad eſſentiam perficiendam.

Vires & uſus.

1. Orthopnoicis, & anhelatoribus maximè prodeſt, quòd robores plumones, & pectus, & catarrhos ſiſtat, & infarctos pulmones pituita, & glutinoſis humoribus liberet, penetranti, & exſiccanti ſua facultate.
2. Iſchiadicis, & arthritide quacunque laborantibus,

tibus in genere succurrit, & quidem maximè, dolores enim eorum mulcet & lenit, sola externa perunctione spiritus salis, tum fixi, tum volatilis quem in se coërcet.

3. Imbecillitatem visus tollit, roboratis, & auctis, & multiplicatis in maxima copia spiritibus animalibus, & fugatis atris & nebulosis vaporibus, qui nervos opticos occludunt, aut viam spirituum saltem obnubilant.

4. Concoctionem omnium viscerum juvat, quia multiplicat calorem naturalem suo sale & oleo, quæ maximum & copiosum in se coërcet vitalem calorem.

5. Sensus omnes, tum internos, tū externos acuit, propter eandem rationem, & expedit membrorum omnium motus, & facilitat, cum det viam & ingressum undiquaque spiritibus per universa membra.

6. Curat omnes affectus ex causa frigida ortos, quia excalfacit vehementer, & multiplicat spiritus omnes, tum vitales & animales.

Cap. XXXIV.

De quinta essentia Gattariæ, seu Nepetæ.

Gattariæ essentia, vires & usus.

Gattaria, quam & alii dicunt Nepetam, colligenda est tempore verno, & contundenda est, & exprimendus ejus succus torculari & prælo, & reponendus in cella vinaria per mensem, in vasis vitreis ut deferveat: postquam deferbuerit, distillādus erit succus lentissimo igne, ad separandum spiritum æthereum qui primo ascendet, & strias faciet quandiu distillabit: cessantibus striis cessabit & ascendere spiritus: tunc temporis mutandum est vas recipiens, & reiiciendum phlegma, quod postea ascen-

aſcendit; niſi pro aqua eius ſtillatitia reſervare cupias, quæ pluris eſt efficaciæ & virtutis; quàm aliarum aquarum quæ communi methodo cum alembicis plumbeis diſtillantur: phlegmate egreſſo & aſcenſo, magmati, quod reſidet in fundo alembici adhuc humenti, & non ſicco & arido, reaffundendus eſt ſpiritus æthereus, qui primo aſcendit, & digerendus in balneo tepido, per aliquot dies, unà cum magmate. His tranſactis diebus diſtillandus eſt ſpiritus æthereus leniſſimo igne, & mutandum eſt vas recipiens poſtquàm aſcenſus fuerit ſpiritus; & ſeparandum erit phlegma ab ſpiritu. Spiritus verò iterum affundendus erit magmati; & digerendus, & diſtillandus; has iterando operationes ter aut quater, donec ſal volatile aſcendat, quod erit ter aut quater iterum rectificandum, una cum ſpiritu volatili æthereo, qui rectificationem antea nõ receperat. Deinde Gattaria ſicca & arida ſumenda erit, & eâ implendâ erit urna, & diſtillanda erit per deſcenſum, ſecundum artem antea declaratam, in capite trigeſimo ſecundo, de eſſentiâ Menthæ; & oleum rectificandum erit per retortam cum vitriolo, ad rubedinem calcinato, idque ter aut quater; mutando vitriolum, in ſingulis rectificationibus: oleum prædictum ſic depuratum, & ab empyreumate vindicatum, connectendum eſt cum foliis recentis & virentis Gattariæ, & inſolandum per aliquot dies, deinde exprimendum oleum à foliis, & iterum cum aliis novis & virentibus foliis connectendum & inſolandum; idque tertiò, donec odorem plantæ habeat oleum, quod demum erit ſali volatili, & ſpiritui ſuo connectendum. Ex cineribus verò plantæ extrahetur ſal fixum; & multis iteratis ſolutionibus, filtrationibus, & evaporationibus perducetur ad candorem ſummum, & limpiditatem;

ditatem; tunc demum erit conjungendum, & cõpulandum cum reliquis aliis quæ extracta fuerunt ex planta, & simul omnia in digestione tepida erunt unienda, ut fiant unum arcanum potentissimum, reservandum in phialis optimè clausis ad usus varios.

Vires & usus.

1. Hoc arcanum mira quadam dulcedine odoris, trahit catos & feles, ita ut juxta phialem eo arcano refertam delectentur; unde autem hoc sit, longioris est sermonis, ad alium locum lectorem remittimus, ubi de sympathia, & antipathia rerum disserimus, causasque narramus, & præsertim in Pallidio Chymico nostro.
2. In fugandis pallidis ac fœdis virginum coloribus nihil est præstantius, quòd coctionem viscerum omnium mirè roboret, & spiritus multiplicet, & sanguinem mundet, & aperiat obstructiones omnes, qua data porta ruunt spiritus undiquaque per totum corpus, & floridus apparet color.
3. Menses certissimè & tutissimè provocat, propter eandem rationem, undè & uteri affectibus ferè omnibus succurrit, & sterilitati medetur, fœcundasque reddit mulieres.
4. In sedandis ischiadicis doloribus nihil potentius, & præsertim si ex causa frigida ortum habeant, quia spiritu suo salis, tum fixi, tum volatilis, & oleo suo tanquam balsamo, fugat frigidos illos humores, & per insensibilem transpirationem foras educit, nervos roborat, musculos & tendones ad motum procliviores reddit.

5. Ele-

5. Elephanticorum remedium eſt tutiſſimum, non eo tantùm quod ſtrenuè tenues humores digerat, verum etiam quia extenuet & incidat valenter craſſos, quales ſunt, qui hunc morbũ procreant: Addam & ego quod ſanguinem repleat ſpiritibus tenuibus & ſubtilibus: hinc cicatricibus atris candorem reddit, & ſugillata digerit omnia.
6. Venenatis beſtiarum omnium morſibus, putà canis rabidi, ſerpentum, aliorumque animalium, quæ dentibus & ſpiculis venenum ejaculant, præſtò ſuccurrit per ſpiritum ſalis, & oleum ſuum, quæ venenum ipſum plagæ inditum interimunt, & in aliam mutant ſubſtantiam, plagamque coagulant & reſarciant ſpiritu vitali, quem ſecum continent turgenti copia.

Sumitur in juſculis vel aquis ſtillatitiis morbo appropriatis à quantitate ſcrupuli unius, ad drachmam, vel applicatur exterius tepidè per ſe, cum goſſipio vel linteo eo arcano madido.

Cap. XXXV.

De quinta eſſentia Ariſtolochiæ rotundæ, & Conſolidæ majoris.

Ariſtolochiæ eſſentia, vires & uſus.

Colligenda eſt Ariſtolochia rotunda, & Conſolida major, tempore verno, & præcipuè earum plantarum radices in maxima & æquali copia, & ſuccus ex radicibus, & foliis, & caulibus, torculari & prælo exprimendus, & in vaſis vitreis reponendus in cella vinaria, ut deferveat: poſtquam deferverit, diſtillandus erit leniſſimo igne, ut ſepares ſpiritum æthereũ à phlegmate: ſpiritum ſeparatũ, & aliquo modo à phlegmate ſuo vindicatum, & mũdatum,

datum, reaffundes magmati humenti, quod residet in fundo alembici, ex distillatione spiritus ætherei, & digeres, per quatuor aut quinque dies, in cineribus tepidis, in balneo tepenti. His peractis diebus, distillabis spiritum, separato phlegmate quantum fieri poterit: postquam ascensus fuerit spiritus, ex magmate quod residet in fundo alembici, huic deinde magmati adhuc humenti affundendus est iterum spiritus suus æthereus; & digerendus, & distillandus, hæcque operatio iteranda, donec sal volatile ascendat, quod erit rectificandum, unà cum spiritu suo, ter aut quater distillando: ex radicibus verò siccis, & aridis, in frustula concisis elicies oleũ per descensum, & rectificabis in retorta cùm vitriolo ad rubedinem calcinato, ter aut quater, donec omne empyreuma deposuerit: huic oleo puro, & ab empyreumate vindicato, conjunges flores verbasci, & hypericonis & insolabis per mensem; & expresso oleo à floribus, addes iterum novos & recentes flores & insolabis, idque ter aut quater iterando, exprimendo, & affundendo, donec oleum rubicundissimum acquirat colorem: ex cineribus verò harum plantarum sal fixum elicies, & mundabis ab excrementis terreis, modo & arte anteà prædicta, & candidum, & nitidum factum connectes cum reliquis aliis, quæ extracta fuerunt ex his plantis, & simul unienda per digestionem in balneo tepido, ut fiant unum: cui si addatur oleum ceræ, & thuris, & therebentinæ, absolutum erit vulnerum omnium balsamum, quod erit custodiendum in phialis optimè clausis.

Vires & usus.

1. Potentissimè curat quæcunque vulnera simplicia intrà viginti quatuor horarum spatium &, citius

citius, ita ut stupendum sit naturæ miraculum: composita verò & profunda vulnera, tã citò curat, ut potiùs miraculum videatur quàm cura, & medela; regenerat enim citissimè carnem, ossa confracta trahit, porrosque citissimè gignit, ita ut spatium quadraginta dierum vincat: nervos læsos quacunque læsione restaurat, & pristinæ sanitati restituit.

2. Ab alto devolutis & corpore fractis utiliter datur, ac etiam iis qui interna intestinave vulnera acceperint; namque illa sive sint, vel exterius, vel interius illata, mirificè sanat, propter ingentem vim balsamicam quæ in eius oleo; & sale continetur.

3. Sanguinis grumos in ventriculo, vel in alia quavis corporis parte concretos disiicit, ac dissolvit, spiritu suo salis, qui corruptum non patitur.

4. In phthisi curanda, & renum internis ulceribus maximè prodest, & cæteris omnibus medicamentis facilè anteponitur, propter vim suam balsamicam, quæ in ejus oleo coërcetur.

Sumitur à quantitate drachmæ unius; ad duarum tempore necessitatis in aquis stillatitiis vulneribus curandis appropriatis, & convenientibus; vel miscetur unguentis propriis, & applicatur tepidè super recentia vulnera; postquam vino & oleo lota fuerint, deinde gossipio, vel linteo eo arcano madido vulnera teguntur, & ligantur.

Cap. XXXVI.

De quinta essentia Papaveris, & Hyoscyami.

Essentia papaveris.

PApaver sativum colligendum est, & hyoscyamus, pari quantitate & mole, & ex his succus

torculari, & prælo exprimendus est in maxima copia: huic permiscendus est vini spiritus ad sextam saltem partem, ut citius deferveat, quia frigidi, & aquosi valdè hi succi sunt & tardè defervent, propter paucitatem spiritus ætherei, qui permiscetur eorum phlegmati: postquam deferverit succus in vasis vitreis, & in cella vinaria, reponendus est in alembico & distillandus lenissimo igne, ad separationem spiritus ætherei; qui rectificatus ter aut quater, ut mundetur à phlegmate, reaffundendus est spiritus iste magmati suo, & digerendus, per duos aut tres dies, in balneo tepido. Deinde distillandus, & iterum affundendus, & digerendus, idque ter aut quater repetendo, donec sal volatile ascendat ex magmate, quod sal erit etiam rectificandum ad ejus depurationem: deinde custodiendum unà cum suo spiritu: ex Papavere verò & Hyoscyamo sicco & arido per descensum elicies oleum, ut ex cæteris superioribus plantis elicuisti, & rectificabis eadem methodo: huicque oleo rectificato, & ab empyreumate suo vindicato, connectes flores recentes papaveris rubei vel albi, & insolabis per mensem unum, & exprimes oleum ex floribus, & novos addes flores insolando ut prius, & exprimendo, idque quater aut quinquies, tunc servabis, deinde Meconium, seu succum Papaveris in spiritu vini dissolves, & digeres per aliquot dies in balneo tepido, donec meconium hypostasin omnem deposuerit: deinde filtranda erit dissolutio ut perquam optimè mundetur à terrenis excrementis: tum demum distillanda, donec consistentiam mellis habuerit magma, quod residet in fundo alembici, cui iterum affundendus est vini spiritus distillatus, ut dissolvatur iterum meconii magma, dissolutumque digeratur, digestum distilletur,

letur, idque quater aut quinquies repetendo, donec nullas emittat in solutione feces magma quod residet in fundo alembici, post distillationem, sed totum limpidè solvatur; quod tunc temperies erit permiscendum cum oleo & sale volatili, & spiritu æthereo superiùs extractis: hisque addendum erit sal fixum, quod extrahetur ex cineribus earum plantarum, & postquam depuratum fuerit arte & methodo prædicta, cæteris omnibus connectendum erit, & in balneo tepido omnia simul digerenda ut fiant unum, cui addere poteris ad odoris gratiam, & saporis, olei cinnamomi unciam semis, extracti moschi drachmam unicam, & servare ad usus.

Vires & usus.

Essentiæ Papaveris vires.

1. Nepenthe verum, & laudandum potest dici hoc medicamentum verè laude dignum, mirum atque iterum mirum in curandis fere omnibus morbis arcanum, quod naturæ fere prostratæ, & perditæ, per amicam quietem vires pristinæ reddantur.
2. In omnibus doloribus acutissimis frigidis & calidis, ubi præ vehementia homines fere exanimantur, maximè in dolore colico, nephritico, pleuritico, & arthritico, nihil est in rerum natura præstantius, quod intemperiem omnem partium omnium temperet, & humores acres, & pungentes, in diversam mutet substantiam extincto calore partium, per intemperiem præter naturam facto.
3. In sistendis omnibus defluxionibus omnium humorum, & catharrorũ tenuium nihil efficacius quod per se somnum, quem potissimũ conciliat, calor naturalis multiplicetur in

centro, cujus gratia, omnes corporis partes refocillantur.

4. In omnibus profluviis intestinorum sive ratione humorum peccantium, sive purgantium nihil commodius dari potest, præsertim si cum essentia masticis propinetur, quia acres humores intestina pungentes eo arcano, dulcescunt, & mitiores fiunt narcotico ejus sulphure & sale.

5. In vigiliis, & inquietudinibus immodicis, in omni febrium ardentium genere, in phrenesi & mania, cæterisque melancholicis affectibus nihil potentius, propter somnum quem conciliat.

6. In hæmorrhagia narium, ubi omnia desperantur, ultimum est, & tutissimum refugiũ, quod venas calore præter naturam, aut aliquo humore acri apertas, & reseratas claudat, & obturet, refrigerato calore, & temperato humore acri, & pungenti.

7. In sanguinis excretione, & menstruorum nimia evacuatione cum croco martis, & tinctura coralli rubei utilissimè exhibetur propter eãdem rationem.

Sumitur à quantitate granorum quatuor ad sex, alvo priùs laxata, in jusculis vel cum spiritu vini, vel cum aqua cinnamomi, anisi, feniculi, gariophyllorum, vel in ovis sorbilibus, & exterius applicatur partibus dolentibus cum linteis eo arcano madidis. Nec est de ejus dosi verendum, ut de aliis laudavis quæ passim in libris chymicorum reperiuntur, quia hîc partes spumosæ, & crudi sulphuris narcotici papaveris, & hyosciami non reperiuntur in hac compositione, quia separantur, tum unà cum phlegmate quod ascendit post ascensionem spiritus,

ſpiritus, tum unà cum magmate quod proiicitur poſt ſublimationem ſalis volatilis, vel comburitur ad ſalem fixum habendum. Addam etiam quod ſal volatile,& fixum, & ſpiritus æthereus corrigant, & temperent narcoticum ſulphur, quod in eius oleo reperitur,& extracto: quæ duo ex induſtria addenda, ad narcoticam vim habendam, quia reliqua narcotica non ſunt, ſed potius cardiaca, cum vitæ fomitem & focum in ſe coërceant, & ſint vitæ fontes, in papavere,& hyoſcyamo. Sic nihil eſt in mundo, & in rerum natura univerſa adeò venenatum, quin ſecum habeat, & coërceat, quæ veneno illo inimicantur,& ſuccurrunt; nec in aliis, & diverſis mixtis quærenda ſunt venenorum remedia, quàm in veneno ipſo, cui potiſſimum Deus, & natura in centro ipſum ſuum remedium, & medicinam poſuerunt. Unde corrigentia quæ admiſcentur cæteris narcoticis compoſitionibus facilè non probo cum ex centro ipſius veneni non ſint. Papaveris, hyoſcyami, mandragoræ, ſolani, & ſimilium plantarum quæ narcotico mortifero ſulphure pollent, corrigentia non aliunde petenda ſunt quàm ex cẽtro ipſarum plantarum, & in harum ſpiritibus æthereis, ſale fixo, & volatili, verum & tutiſſimum corrigens quærendum eſt.

Cap. XXXVII.

De quinta eſſentia Aniſi.

Aniſi eſſentia.

Virentis Aniſi folia & ſemina contundenda ſunt,& torculari,& prælo ſuccus ejus exprimendus,& reponendus in cella vinaria, in vaſis vitreis, ut deferveat; citò autem defervet, propter caliditatem ſuam, poſtquam deferbuerit ut vinum, in alembico vitreo diſtillandus erit ejus ſpiritus æthereus,

reus, leniſſimo igne, qui primo aſcendet, & ſtrias in capitello alembici faciet, his ceſſantibus, mutandũ eſt vas recipiens, colligendaque eſt aqua quæ egreditur & projicienda, ut nullius valoris, niſi ad depurandum ſal fixum, quod ex cineribus plantæ combuſtæ extrahitur: diſtillabis autem donec magma ſiccari incipiat: huic demum, frigefacto vaſe, ne rumpatur affundes ſpiritum tuum aſcenſum, & digeres per aliquot dies in balneo tepenti: deinde diſtillabis leniſſimo igne, & diſtillatum ſpiritum reaffundes magmati, & digeres, idque quater aut quinquies, donec aſcendat ſal volatile, quod ut in maxima habeas copia, reaffundendum eſt ſuper ſemen Aniſi recens mediocriter contuſum, una cum ſpiritu ſuo æthereo, & digeres iterum per aliquot dies in balneo tepenti, & diſtillabis, & iterum affundes, ter aut quater, ut totum ſal volatile aſcendat, una cum ſpiritu æthereo. & illi permiſceatur inſtar nivis, quod ſal tandem ſucceſſu temporis, vel levi digeſtione in oleum flagrantiſſimum, & dulciſſimum reducitur, hoc tamen omne unà cum ſpiritu ſuo æthereo, poſtquàm aliquoties rectificata fuerunt, ſervanda ſunt, donec ſal fixum & oleum extracta ſint: ad hoc ergo ſumendum eſt ſemen Aniſi, ſiccum & aridum, & diſtillandum eſt per deſcenſum magno igne, ut comburatur omne ſemen, & in cineres reducatur, oleum hoc fœtens, & empyreuma redolens rectificandum eſt in retorta, ter aut quater, cum pauco vitriolo, ut fœtorem deponat, poſtquam depoſuerit, & vindicatum fuerit ab empyreumate ſuo, permiſcendum eſt aquæ ſtillatitiæ Aniſi recenti, quæ ex multis iteratis diſtillationibus ſuper recens ſemen Aniſi ſit diſtillata, & ſit albiſſima ut lac, huic ergo aquæ, tuum oleum permiſcebis, & digeres in phiala optimè clauſa, in balneo tepenti,

penti, per aliquot dies, donec oleum tuum, albedinem omnem ſecum traxerit, quia albedo illa eſt ſal volatile Aniſi, quod levi digeſtione, in oleum convertitur, & cum alio oleo jungitur, & odorem Aniſi huic reddit, & communicat, ex cineribus autẽ, ſal extrahes fixum, & poſtquam purgatum fuerit, & ab omni terreſtri ſpurcitia emunctum, connectes cum reliquis aliis ſuperius extractis, & in balneo tepenti digeres, ut fiant unum ſervandum in phialis perquàm optimè clauſis.

Vires & uſus.

Vires & uſus aniſi eſſentia.

1. Ad oris fœtorem commodiſſimè uſurpatur, quia fragrantiſſimum eſt medicamentum, & ſuo calore exſiccat, gingivas putrentes, & dentes, & ſuo ſale putredinem impedit.
2. Urinam ſummoperè ciet caliditate ſua, & flatus diſcutit, & ventriculum roborat, & coctionẽ omnium viſcerum, reſerat omnia obſtructa, unde hepatis obſtructionibus, & lieni medetur, & regio morbo, & aquæ intercuti.
3. Animalium venenis adverſatur, propter ſalem, tum fixum, & volatilem, quem ſecum habet, qui in genere venenis omnibus adverſatur, adverſatur autem, quod venenum ſit mortis principium, & fons, ſal verò vitæ ſcaturigo.
4. Alba fœminarum profluvia ſiſtit, interno ſuo vitali calore, qui cum partium omnium calorem refocillet, & ſpiritus omnes multiplicet, alba fœminarum profluvia, ex cruditate, & frigore orta, compeſcit, multiplicato hepatis calore, & venarum ſpiritibus adauctis.
5. Lac ad mammas elicit, & venerem ſtimulat, propter eandem rationem, & dolores capitis ex

causa frigida ortos, & intemperie frigida, aliquarum inferarum partium, quæ sursum vapores emittunt.

Sumitur ad quantitatem scrupuli vnius, in jusculis, ovis sorbilibus, aquis stillatitiis, morbo appropiatis & convenientibus.

Notandum est, quod si huic oleo à sale fixo separato, moschus, & zibeta addantur, subito dissolvuntur, & gratissimum paratur oleum in perpetuum servans odorem gratum, valdè penetrans, quo si intinguntur lintea, vel chirothecæ, vel panni fragrantissimum dant odorem, & diutissimè eundem custodiunt.

CAP. XXXVIII.

De quinta essentia Cinnamomi.

Cinnamomi essentia, vires & usus, & methodus facienda.

EX Cinnamomo quia siccum & aridum asportatur in nostras Regiones, & quia ejus folia, & flores habere non possumus, extrahi non possunt partes omnes essentiales, quæ veram & absolutam Cinnamomi constituunt essentiam, itaque ejus oleo tantùm & sale fixo, contenti erimus ut arcanum ejus absolvamus: ex Cinnamomo ergo leviter contuso, per descensum oleum elicies magno igne, ut comburatur Cinnamomum, & reducatur in cineres. Hoc oleum, ter aut quater rectificatum per retortam, cum pauco vitriolo ad rubedinem calcinato, affundes super novum & recens Cinnamomum, leviter contusum, & cum pauca aqua cinnamomi stillatitia, in retortam immittes, & distillabis per balneum ferventis, & bullientis aquæ, donec totum oleum egressum sit, quod odorem cinnamomi sic recuperabit: huic oleo addes salem fixum quē extrahes ex cineribus cinnamomi combusti; addes

autem

autem purum, & ab omni terrestri spurcitia vindicatum, & servabis ad usus.

Vires & usus.

1. Naturali balsamo correspondet in curandis recentibus vulneribus, & inveteratis ulceribus; vulnera propter ejus oleum, ulcera propter ejus sal.
2. Provocat menses, & partum tutissimè promovet, aperiendi sua facultate, & calefaciendi vi, & potentia.
3. Tollit tussim frigidam, & capitis dolorem, quia vapores è ventriculo sursum elatos fugat, & caput calfacit, & roborat, ita ut catarrhi non detur locus, unde tussis evanescit.
4. Omnia membra confortat, & inprimis ventriculum, cor, & cerebrum, eorum calorem conservando, & multiplicando.
5. In deliquiis animi singulare est medicamentum; quia cor ita exhilarat, & roborat, ut omnia quæ illi nocere possunt ab eo abigat.
6. Pallidos virginum colores abigit, quia vapores è menstruo sanguine ortos, & ex spermate corrupto, totam sanguinis massam, labefactãtes, fugat & annihilat, roborato utero, & spiritibus sanguinis multiplicatis.
7. Ad pestilentis auræ fugam & præservationem nihil est præstantius; quia omnia principalia membra ita roborat, ut resistere possint auræ venenatæ, & pestilenti.

Sumitur ad quantitatem guttarum trium aut quatuor, in aqua melissæ, vel aqua cinnamomi, & anisi, vel in jusculis, aut ovis sorbilibus, vel exterius applicatur, cum gossipio, vel linteis eo oleo madefactis.

CAP. XXXIX.

De quinta essentia nucis Moschatæ.

Nucis moschatæ essentia.

SAl volatile, & oleum nucis Moschatæ (quam & alii myristicam dicunt) copiosa sunt, ita ut facili negotio extrahantur, hac methodo, postquam contusæ leviter erũt nuces moschatæ, & vaporem ferventis aquæ perceperint, aliquandiu, prelo & torculari in sacculis, committẽdæ erunt, & succus earum exprimendus, qui & oleum earum censetur, ut multis terrenis excrementis implicatum, quocirca est iterum, & multoties rectificandum hac methodo, oleum istud, permiscẽdum est, cum optimo spiritu vini alchoolisato, & ambo simul digerenda in balneo tepido, per quindecim dies, obturato vase: his peractis diebus distillanda erunt omnia per balneum ferventis aquæ quicquid distillari poterit, in hac distillatione duo simul ascendunt, spiritus scilicet vini infusus, & spiritus nucis moschotæ ad modum spiritus therebentinæ clarissimus, & limpidus gratissimi odoris, qui sæpissime supernatat aquæ ardenti, & dignoscitur tantùm spissitudine, & crassiori albedine, nec invicem permiscentur, etsi agitentur simul. Magma verò & oleum crassum quod residet in fundo alembici, in hac distillatione custodiendum est cum magmatẽ, ex compressione olei primi, prelo & torculari facti, donec per descẽsum omnia magmata distillentur, spiritus autẽ hic connectendus est, cum novo oleo recẽter extracto, prelo & torculari, & ambo digerenda sunt, in balneo tepenti, per quindecim dies, deinde distillanda per balneum ferventis aquæ, & iterum affundendũ magmati quod residet, quicquid distillat, per hanc distillationem ferventis aquæ, & hanc operationẽ quater aut quinquies iterabis distillando, affundendo, &

do, &

do, & digerendo, donec ſal volatile, nucis moſchatæ aſcēdat, una cum ſpiritu in forma nivis, aut ceræ albæ, quæ leviſſimo calore liquatur, & eſt fragrātiſſimi odoris: magmata verò omnia quæ reſident ex omnibus diſtillationibus, & expreſſionibus ſimul permiſcenda, & in alembico ad deſcenſum proprio collocanda, & diſtillanda, donec comburantur, & in cineres reducantur: oleum quod egreditur rectificandum per retortam, cum pauco vitriolo, ut ab empyreumate vindicetur, & à fœtore, & ex cineribus ſal fixum extrahendum, & depurandum arte & methodo communi, & ſimul omnia tunc temporis permiſcenda, & in balneo tepenti unienda, ut fiant unum ſervandum ad uſus.

Vires & uſus arcani prædicti.

Vires eſſentiæ moſchatæ nucis.

1. Oris ſuavitatem commendat, & fœtentis animæ exhalantis virus abolet, propter gratiſſimum, & fragrantiſſimum odorem, quem ſuo ſpiritu, & ſale volatili coërcet.
2. Lentigines, & faciei & maculas omnes tutiſſimè emendat, propter ſalis ſui abſterſionem, & penetrationem, & quod ſanguinem laudatum ad faciem convocet, & ſpiritus qui corruptū lentiginum & macularum ſanguinem digerunt, & diſcutiunt, multiplicet.
3. Viſum acuit, ventriculum, & jecur roborat, lienem abſumit, urinam ciet, fluentem alvum ſiſtit, flatus diſcutit, frigidisq; uteri affectibus, mirificè prodeſt, nervorū, & articulorum diuturnis doloribus à frigore excitatis utiliſſimū eſt, & ad Veneris excitandos ſtimulos maximè expetitur, quia ſummopere excalfacit, & auget calorem nativum, & ſpiritus vitales & animales, qui ſunt omnium actionum & functionum authores.

Su-

Sumitur ad quantitatem guttarum decem ad duodecim in juſculis, vel in aquis ſtillatitiis morbo appropriatis, & convenientibus: vel miſcetur unguentis, aut per ſe applicatur exteriùs tepidè, partibus affectis cum linteis eo arcano madidis.

Cap. XL.

De quinta eſſentia Cariophyllorum.

Cariophyllorũ eſſentia.

ARtem & methodum quam obſervavimus in extrahenda Cinnamomi eſſentia, eandem ſervandam in Cariophyllorum extrahenda eſſentia præcipimus, ut & in extrahenda piperis, gingiberis, macis, & croci eſſentia, omniumq; ſeminum ſiccorum, & aridorum, & lignorum; una enim & eadem eſt methodus, cujus ope & induſtria, quicquid extrahi poteſt eſſentiale opera chymica, ex his mixtis extrahitur, præſertim oleum per deſcenſum, & ſal fixum per combuſtionem: cætera verò quæ deſunt ad perfectam eſſentiam conſtituendam, non poſſunt extrahi, quia ſicca & arida habetur hæc mixta in his regionibus. Eſt tamen mea methodus, abſit faſtus & vaniloquium, cæteriſque omnibus acutior, quia per eam ſal volatile, quamvis non apparenter, & viſu ipſo cernatur extrahi, extrahitur; quia oleum rectificatum dum infunditur aquæ ſtillatitiæ cinnamomi, ut iterum per balneum unà cum aqua egrediatur, ut odorem recipiat cinnamomi, ſal volatile omne quod inviſibiliter eſt diffuſum, & diſſolutum intra poros aquæ connectitur oleo; unde & aqua inſipidior redditur: & quod in cinnamomo obſervatur, in reliquis aliis obſervare licet; ſic ſal volatile quod ex plantis, & ſeminibus, lignis, & fructibus ſiccis & aridis ſeparari non poteſt, viſu ſaltem ut appareat, hâc induſtria ſeparatur, & adhuc fieri poteſt, ut viſu appareat: nam ſi idem,

idem,& ſimile oleum cinnamomi multoties affunditur aquæ novæ & recenti, & poſt digeſtionem diſtilletur, tandem oleum coagulatur, virtute ſpiritus ſalis, in loco frigido, & ſolvitur in calido, inſtar ſpiritus ſalis volatilis: itaque hanc eandem methodum obſervare oportet, ſi perfectam quodammodo, & abſolutam cariophyllorum eſſentiam habere cupias, cujus vires & uſus ſunt.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentiæ Cariophyllorum.

1. Jecori, ventriculo, & cordi maximè auxiliatur, quia calorem conſervat naturalem, & perditum reſtaurat, & ſpiritus hinc multiplicat vitales.
2. Dentium doloribus quibuſcunque ſummum eſt, & ultimum refugium, quia cum cauſticæ ſit virtutis, nervum ferit dentis, & humorem acrem, & mordacem, dentis nervo illabentem mitiorem reddit, & in aliam mutat ſubſtantiam, ut in conjunctione duarum, & diverſarum aquarum fortium contingit, una extinguit aliam, & tertiam gignit mitiſſimam, quæ non eſt urentis, & pungentis virtutis.
3. Ulcera quæcunque curat, propter eandem rationem, ſal enim urens, & cauſticum ulcus conſtituens, diſſolvitur, & annihilatur per ſalem arcani hujus, ſimiliter urentem, & ambo in aliam convertuntur ſubſtantiam, ulceri non improbam, deinde natura ſuo balſamo naturali cicatricem inducit.

Sumitur in juſculis, vel aquis ſtillatitiis morbo appropriatis, ad quantitatem guttarum ſex, ad decem vel miſcetur unguentis, & exterius applicatur, per ſe cum linteis, vel goſſipio noſtro arcano delibuto.

Cap. XLI.

De quinta essentia Gummi Caranna.

Gummi Caranna excrementa quid sint.

OMnia gummi excrementa sunt humidi arborum, ut diximus in Palladio nostro chymico, capite de distillatione mineralium, quia autem humidū radicale tribus constat, sale, sulphure, & Mercurio, videndum est an gummi sint trium illorum excrementa, vel tantùm unius: Sunt quidem trium illorum, quia simul una excretice facultate ad corticem sua excrementa deponunt, nihilominus alia dicuntur sulphurea excrementa, alia mercuralia, alia salita, quod aliis prædominetur sulphureum quid, aliis mercuriale, aliis verò salitum. Sulphurea ergo dicemus, excrementa omnia gummi, cum in his plus sulphuris reperiatur, quam aliarum duarum substantiarum, mercurii scilicet & salis, unde olea videntur esse concreta, & resinæ & therebentinæ: hinc facili negotio in oleum reducuntur, summè penetrans, & excalfaciens, quia semper retinet naturam sui principii, excrementa enim sulphurea, omnia ætherea sunt & subtilissima, cum sint sulphuris alimentitii crudi, & infixi partes, spiritus æthereos, & igneos infixos habentes, unde propter nimiam subtilitatem, & ætheream eorum substantiam, separantur calore naturali, à partibus alimenti fixi, & quia permiscentur mercuriali, & salito excremento, statim in sublimatione dum aërem frigidum tangunt, condensantur evaporatis subtilioribus partibus, calore solis, unde etiam iterum dissolvuntur, substantiis tantum æthereis, & igneis eis permixtis, ut sunt olea omnia, & spiritus, quia simile in sicale habet ingressum. Gummi itaque Caranna dictum ab Hispanis ejusmodi erit, & adhuc propter loci temperiem calidissimam, & arbo-

arborem ex qua exſudat, quæ & calidiſſima eſt, ſulphuream majorem habebit ſubſtantiam,& ſubtiliorem, advehitur enim ex partibus Indiæ Occidentalis, quæ Zonæ torridæ ſubjacent, ex arbore cedro ſimili exſudat, arbor nunquam folia ſua deponit,ſed ſemper, vireſcit fructuque ut ajunt perenni gravida eſt,quod eſt ſignum ſuæ caliditatis,& ſulphuris turgentis ſignum,incolæ id ipſum gummi,experientia ipſa calidiſſimum exiſtimant, & affectibus frigidis curandis, & tumoribus ejuſdem naturæ reſolvendis proſpero & felici ſucceſſu admovent. At nos quia ipſummet gummi virens, & veſicans reperimus,in eſſentiam reducere duxit ratio, ut amoveretur illa cauſticans & urendi facultas, & mitigaretur ſal illius pungens arte chymica; ita ut feliciori, & tutiori effectu, ſolatium ſit multis qui morbis cruciantur incurabilibus: hac autem methodo id conſequetur. Sumatur gummi Carannæ, libra unica aut altera, & diſſolvatur optimo vini ſpiritu alchoolizato, & à phlegmate aquoſo vindicato, in phiala oblongi colli optimè clauſa,in balneo tepenti per quindecim dies: deinde in cineribus diſtilletur ſervatis ignis gradibus; quod primò egreditur cum ſpiritu vini, eſt ſpiritus gummoſus carannæ,qui ſubtiliſſimus eſt, & æthereus: deinde ſtillat oleum flavum, tertiò oleum rubeum: hæc olea omnia ter aut quater rectificanda ſunt, & feces quæ remanent in fundo retortæ aut alembici, poſt unam quamlibet diſtillationem comburendæ ſunt fortiſſimo igne, ut reducantur in cineres:ex his arte & methodo communi extratrahendum eſt ſal fixum,hoc ſæpiſſimè calcinandũ & ſolvendum,ut deponat urendi facultatem,donec dulce ſit,& candidum, & limpidum: tunc temporis omnia, hæc olea putà, & ſal,ſimul permiſcenda

ſunt,

ſunt, & connectenda; & in balneo tepenti unienda, & ſervãda ſunt iñ phialis perquàmoptimè clauſis ad uſus.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentiæ Garannæ.

1. Arcanum eſt arthriticum; ſolvit enim dolores omnes ex cauſa frigida ortos, quod ſuo ſpiritu humores in nervos, tendones, & muſculos ſtillantes fuget, & roboret ſuo vitali calore, partes frigiditate humorum extinctas.
2. Diſſolvit, & emollit quoſcunque tumores frigidos, duros & ſcirrhoſos; quia ejus ſpiritus coagulatum omne, & tartareum diſſolvit.
3. In colico dolore nihil eſt præſtantius; quia ſæpe ſæpius hic affectus ex pituita, & glutinoſis, & flatulentis humoribus ortum habet: hoc autem arcanum ſuo illitu diſcutit, & diſperdit, quicquid frigidum eſt, glutinoſum, & flatulentum.
4. Ulcera inveterata etiam curat propter balſamũ ſuum quod continet, & ſal quod abſtergit, & ſal aliud ulcus faciens, & nutriens, corrumpit, & in aliam mutat ſubſtantiam
5. Hemicraniam & dolorem capitis ex flatibus frigidis, & copia pituitæ ortam ſanat ſolo temporum illitu, quia flatus diſcutit, & omne frigidum diſperdit, tanta eſt vitali caliditate, & ſubtili præditum.

Poteſt ſumi interius à quantitate guttarum decem ad duodecim in ovo ſorbili, vel ſyrupo violaceo, aut papaveris; vel exteriùs applicatur, partibus affectis per ſe illinendo tepidè, ſuperpoſitis linteis calidis, aut lana ſuccida, vel miſcetur unguentis, ulceribus, & morbis appropriatis, & cum his applicatur.

Ad

Ad ſimilitudinem hujus extracti & eſſentiæ, poſſunt extrahi eſſentiæ omnium gummi, quæ virtutes ſequentur, earum ſubſtantiarum ex quibus extrahentur.

Cap. XLII.

De quinta eſſentia Therebentinæ.

Therebentinæ eſſentia, & quid ſit.

THerebentinæ fontem, & ſcaturiginem pauci ſunt qui ſciant, exiſtimant omnes ferè medici, & philoſophi, eſſe therebenti liquorem aut aliarum multarum arborum reſinoſarum, glutinoſum humorem quendam, qui exſudat ex his arboribus, liquor quidem eſt, & humor, at qualisnam liquor ſit, ex quibus conſtet ſubſtanciis, cur ignem concipiat, & amarus ſit, & cur calore arboris, qui potens eſt, dulcis non fiat, id ſcitu arduum eſt, & philoſopho dignum: Ad primum dicimus, liquorem eſſe alimentitium arboris, ex humido radicali terræ originem ducens, quod radicibus arboris, tanquam ſanguiſugis in altum trahitur, ad alimentum, & calore centrali arboris digeritur, forti quidem digeſtione, & acri, ita ut præ violentia dulce quidquid eſt in ſucco terræ, radicibus arboris in alimentum tracto, amarum fiat, ut apparet in coctione mellis, quod ſi violentiſſimè coquatur, & acri calore digeratur, amaritudinem acquirit ſummam quamvis dulce ſit, dulcedo enim eſt, ex temperata coctione, & digeſtione humorum trium primorum, amarities verò ut ſuum contrarium ex forti, & intemperata digeſtione, therebentina ergo cum conſtet ex tribus ſubſtantiis primis ſale, ſulphure, & mercurio, & ſulphur prædominetur cæteris duobus, hinc fit, quod interno ſuomet calore, & calore nativo arboris ex qua exſudat, & cujus eſt alimentum, dum digeritur, & coquitur amareſcat, & ignem conci-

piat, propter sulphur, ei prædominans, quodque est maximæ virtutis, & penetrandi summam habet facultatem propter spiritum subtilem, & tenuem quem continet. Qui adhuc si separetur à glutinosis suis excrementis quæ penetrationem retardant, & impediunt, majorem certè acquiret penetrandi virtutem, & erit menstruum, in quo flores omnes suũ colorem, una cum virtute sua deponent, per insolationem, & gummi omnia possunt dissolvi, & in oleum converti, separatur autem oleum, & ejus spiritus ex corpore therebentinæ, ejusque sal volatile sequenti methodo. Capiatur therebentinæ cujusvis generis, veneta tamen cæteris præcellit, libra una aut altera, & misceatur cum alia libra, aut altera spiritus vini optimi alchoolizati, & optimi, misceãtur simul bacculo agitentur, donec unita sint, deinde phialæ vitreæ satis amplæ & magnæ, ita ut tertia ejus aut media pars non sit plena, & agitentur ibi diu, & longo tempore, donec in albedinem summam reducantur, tunc seponentur in loco frigido, ut hypostases demittant, postquam sepos uerint, supernatabit omnibus, spiritus vini, deinde sequetur therebentina, in oleum dissoluta flavi caloris, ultimo sequetur sal therebentinæ quoddam, albissimi coloris qui separatus, & exsiccatus, catharticæ est virtutis, & potentissimè purgat per inferius, nulla molestia, nulloque sanitatis incommodo, spiritus vini, & oleum possunt simul permisceri, ut digerantur in balneo tepenti, per quindecim dies, phiala optimè clausa, ne spiritus exhalet, Tum demum distillare oportet igne cinerum servatis ignis gradibus, primo lento, donec spiritus therebentinæ, unà cum spiritu vini, & phlegmate egressi sint, & distillati: tunc augendus ignis, & mutandum recipiens, quia oleum therebentinæ egredietur fla-

vi co-

vi coloris; & ignem augendo, & continuando oleum egredietur rubei coloris: ubi cessandum est, & quiescendum à distillatione. Olea autem flavi & rubei coloris, simul connectenda sunt, & bis aut ter rectificanda per retortam. Magma autem, quod residet in fundo alembici eximendum est, & contundendum, & in pulverem tenuissimum reducendum, & ponderi suo, plus duplo aut amplius addere oportet spiritum therebentinæ, qui in prima distillatione egressus est, una cum spiritu vini, & simul digerere in balneo tepenti, per quindecim dies, ut dissolvatur omnino magma; tum distillare, levissimo igne, distillatum digerere iterum, & iterum distillare, donec ascendat spiritus, unà cum sale volatili therebentinæ, quod ultimò egredietur, & in capitello alembici coagulabitur in forma mellis, aut in fundo recipientis in forma olei residebit. Magma autem quod ex hac distillatione residebit, poterit comburi, ut in cineres reducatur, ex quibus etsi paucis poterit extrahi aliquid salis fixi, quod paucum est; quia hæc substantia tota sulphurea est, & volatilium partium, ideoque inter comburendum tota ferè evanescit: si quis tamen salem fixum desiderat in hoc arcano, poterit magnam copiam resinæ addere magmati, & unà comburere, & in cineres reducere, & ex his deinde salem extrahere fixum, & depurare arte & methodo communi, & depuratum connectere, sali volatili, deinde sumere unciam, unam aut alteram, aut quicquid erit residuum ex omnibus distillationibus, & sublimationibus, salis volatilis, & salis fixi, si simul sint conjuncta, & ad pondus eorum, addere spiritus therebentinæ, sextam tantùm partem aut septimam, olei verò flavi, & rubei rectificati novam aut decimam tantum partem, & simul

miſcere, & ſervare in phialis optimè clauſis, tanquam arcanum mirandum, & ſtupendæ virtutis in morbis chronicis, & inſanabilibus curandis, aut ſaltem demulcendis.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentiæ therebentina.

1. Arcanum ſtupendũ in comminuendis, & rumpendis renum arenulis, & calculis, diureticũ enim ſummum eſt, & ſecum defert ad renes ſal volatile, & fixum, quæ arenulas comminuunt, & calculos rumpunt, & in mucaginẽ diſſolvunt.
2. In ulceribus omnibus malignis, & peſſimi moris curandis, & agglutinandis nihil eſt efficacius, propter ejus oleum, quod balſami naturalis vires æmulatur; & ſuum ſalem qui corrodentes humores alterat, & in mitiorem mutat ſubſtantiam.
3. Frigidis nervorum, & articulorum affectibus ſummum eſt ſolatium, hinc eſt arthritide miſerè laborantium tutum confugium.
4. In percurandis venereis gonorrhæis, nihil eſt potentius, cum renes potentiſſimè expurget, & totam meſſenterii molem, & jecur roboret, & ſanguinem depuret.
5. Pituitam, & ſeroſos humores, & glutinoſos potenter nulla tamen moleſtia expurgat, & educit, hinc eſt ſenum omnium laudabile medicamentum, quo ſaburram humorum ſuorũ ſingulis menſibus deponant, ut longius, & durabilius trahant ævum.
6. Vermes etiam, & puerorum lumbricos, & ventris tineas interimit ſuo ſale tum volatili & fixo, & propter eius amaritudinem ſummam.

Sumitur ad quantitatem drachmæ unius in juſculis,

culis, vel in ſucco limonum, vel ſyrupo eorundem, manè, jejuno ſtomacho, ſervato regimine & cuſtodia, vel exterius applicatur partibus affectis cum goſſipio, eo arcano madefacto, ad modum balſami.

CAP. XLIII.

De quinta eſſentia Myrrhæ, Thuris, & Maſtichis.

MYrrhæ, Thuris, & Maſtichis ſumes ad quantitatem libræ unius, & poſtquam ſpiritu vini lota fuerint, affundes ſuper ipſa, in phiala aut in retorta, ſpiritum therebentinæ, ad pondus omnium quantum ipſa ponderant, & digeres in balneo tepenti per quindecim dies, deinde diſtillabis leniſſimo igne, ut ſeparetur ſpiritus therebentinæ affuſus, & iterum affundes, & digeres per quatuor dies, his peractis; diſtillabis leviſſimo igne, ut ſpiritus iterum therebentinæ ſeparetur, deinde mutato recipiente continuabis diſtillationem, donec nihil amplius diſtillari poſſit: magma quod reſidet, extrahes, & combures fortiſſimo igne, ex cineribus ejus extrahes ſalem fixum, quem depuratum arte & methodo communi oleo conjunges, tincturam autem florum verbaſci & hypericonis, ſpiritu therebentinæ extractam his addes, vel ut labore iſto careas, ſpiritus therebentinæ qui affunditur & digeritur unà cum myrrha, thure, & maſtiche tinctus erit floribus illis, verbaſci, & hypericonis, ut diſtillando deponat tincturam in oleo eorum, ſic ſervabis illud oleum balſami naturale vires proximè æmulans.

Vires & uſus.

Vires eſſentiæ Myrrhæ.

1. Si iſtud oleum connectitur cum arcano Ariſto-

logiæ rotundæ, & consolidæ majoris superius extractum, capite 35. hujus libri, perfectissimũ, & absolutum erit balsamum, ad curãda quæcunque vulnera recentia, & inveterata, & in ulcus transmutata, simplicia, & composita, propter oleum suum, quod calore nativo tẽperatissimum, humido radicali nostro, amicissimum est, & ferè simile, unde citò deperditum reparatur, apposita eadem aut saltem simili natura.

2. In curanda dysenteria, lienteria, & quocunque alvi fluxu, cũ oleo martis, aut croco ejus permixtum nihil est potentius, quia sistit catarrhos omnes, & humores acres temperat, ulcusque, si quod sit in intestinis, brevissimo agglutinat tempore, tum iniectum per clysteres, tum per os assumptum.

Sumitur à quantitate scrupuli unius, ad duos in aquis morbo convenientibus, & appropriatis, vel applicatur exterius per se solum tepidè cum gossipio, vel miscetur unguentis, & balsamis vulnerariis, & applicatur arte, & communi methodo.

CAP. XLIV.

Conclusio hujus libri secundi.

Laus Alchymiæ, & potestas.

OMnes vegetantium essentias persequi velle, non solum infinitum esset opus, sed & multo tædiosum, & nullius utilitatis studiosis chymicis, quia sufficiunt capitula præcedentia, ut quicquid ex vegetantibus educi potest, opera chymica educantur, simili servata methodo, & arte: ita ut modo lin-

do linceos habeant oculos chymici ſtudioſi, œconomiam omnem internam vegetantium omnium, hiſce antecedentibus patefactam habebunt, ex his facilè percipient omnes philoſophi: quantum laudis honoris & gloriæ, ſupra aliàs ſcientias omnes mereatur alchymia, quæ tanta ſecreta, & arcana abſtruſa, denſâ caligine circumfuſa, in lucem promit, ita ut obſcurum, & atrum elementorum pallium, & tegumentum non ſufficiat, quum lumine ſuo ad intima naturæ penetralia detur aditus, itaque æquo, & juſto matris philoſophiæ, & luminis naturæ nomen mereri aſſeremus, cum quicquid eſt in rerum natura ſcitu dignum, ejus luminis ope verè, & propriè ſciatur, & per eius cauſam cognoſcatur, ejusque operibus, & artibus Mathematicè manifeſtentur omnia abſtruſa.

MYROTHECII SPAGYRICI,

LIBER TERTIUS.

Cap. I.

De mineralium spiritu extrahendo.

Spiritus mineralium, quid.

MUlti sunt philosophorum, qui mineralium spiritus nō admittunt in rerum natura, quod sint corpora adeò terrestria & dura, ut simplicem persistendi facultatem habeant, nullaque vivant anima, nihilominus experientia ipsa contrarium cernitur in mineris, & terræ focis, aërisque spatiis, ubi sæpissimè metalla & mineralia, ut & animalia generantur, pluviaque decidunt in terras, unde necesse est ut habeant spiritus, quorum ope generationes eorum in tanta abstrusa, & longinqua spatia protendi possint, nec opus proinde, ut vivant anima, ut arbores & animalia, quia eorum spissum igneum non adeo copiosum est, & purum, ut in eo gradum perfectionis, & puritatis attingat, ut hinc deinde vita & anima exsurgat, similis, & æqualis animæ plantarum & animalium, at vivunt mineralia, anima mundi, quæ inseparabilis est ab spiritu mundi, at communiter loquendo. Aliud est habere animam & vivere, & aliud est habere spiritus, differt enim toto cœlo spiritus ab anima, nec quicquid habet spiritus, animā habet, ut clarissimè patet, in spermate animali, & semine vegetantium, quæ omnia habent spiritus, & tamen non vivunt, nec animam habent actu, sed poten-

potentia tantùm, ſimili eloquio ſpiritus admittimus in mineralibus, dicimusque ſpiritum iſtum eſſe ſubtiliſſimam partem volatilem humidi radicalis mineralium omnium. Qui tantæ eſt virtutis, & efficaciæ in chymia facienda, ut eo abſente, pereat omninò totius alchymiæ ſupellex, induſtria & opus, in eo ergo extrahenda tota ars conſiſtit, & arcanum omne concluditur, copioſiſſimè extrahes ex vitriolo fortiſſima diſtillatione, eumque ſpiritum diſtillatũ cum ſuo phlegmate, putrefacies, in phiala oblongi colli peroptimè clauſa, in balneo tepidiſſimo, donec phlegmati permiſceatur, & fiat aqua, tũ demum à phlegmate, & aquoſo humore, putrente, & fœtido, vindicabis per rectificationes, ſeptimo iteratas, cum eo ſpiritu ſic rectificato miranda patrabis, ut in ſequentibus videre licebit; reſerat enim omnes metallorum compagines, & in ſuam naturam liquidam reſolvit.

Per vitriolum intelligo ſal metallorũ.

Cap. II.

De quinta eſſentia Auri.

AUri compago, quamvis omnium metallorum, omniumque rerum naturalium vincat compages, attamen diſſolvitur, & in liquidam convertitur ſubſtantiam ſequenti methodo, poſtquam aurum purum, & purum antimoniali cemento purgatum, & cineritio diſſolutum fuerit per aquam regiam fortem, & oleo tartari in fundo ſolutionis ſuæ præcipitatum, in pulverem tenuiſſimum, edulcorandus eſt hic pulvis multis lotionibus per aquã fontanam factis, donec tota acrimonia aquæ fortis evaneſcat: deinde exſiccandus erit leviſſimo calore Solis. Cave ne exſicces igne, quia citò ſuſcipit ignẽ, & flammam tonitru plenam, tum demum fulminantem hũc pulverem diſſolves in ſpiritu, ſeu oleo

Auri eſſentia quid, & qua ratione fiat.

vitrioli nostri rectificato, ut dictum est in cap. 1. hujus libri. Dissolutionem fovebis balneo tepenti, per dies quindecim. Tinctum hunc spiritum, & rubicundissimum clarum, & limpidum separabis per inclinationé, & servabis in phialis peroptimè clausis ad usus ferè infinitos. Potest etiam dissolvi hic pulvis auri, hac methodo præparatus, in balneo tepenti, cum spiritu salis, de cujus præparatione inferiùs dicemus peculiari capite, dissolvitur etiam cum sale tartari volatili facto, & dissoluto, & omnes hæ dissolutiones perquàm optimæ sunt, & pari donantur virtute, extrahitur autem ejus tinctura beneficio olei alchoolysati vitrioli communis, convertitur etiam aurũ igne continuo in furno vitrariorũ, in calcem intra sexdecim aut quindecim dies, quæ calx facillimè liquescit, in spiritu acido salis, vel in spiritu acido mercurii, & hæc sunt secreta artis.

Vires & usus.

Vires, essentia auri.

1. Summum est confortativum, & superat omnia alia arcana in roborando, corde, cerebro, hepate, & reliquis omnibus partibus nostri corporis, quæ ad vitam conservandam conferũt, habet enim humidum suum simile nostro, unde convertuntur citò in unam & eandem substantiam, & fortiori compagine ligatur humidum nostrum, compagine duriori alterius, hinc fortiùs deinde resistit omnibus vitæ incommodis.
2. Senectutem summoperè retardat, renovato & restaurato humido radicali nostro, propagatque vitam in longius ævum quam credi fas sit, quod arcanum prædictum fixet humidum nostrum, & durissima compagine coaguleт; ita ut, calore naturali suo, ne facilè evanescat,

ut fieri

ut fieri aſſolet, propter infirmam ſui ipſius compaginem.

3. Omnibus morbis poteſt commodiſſimè exhiberi, & nullis adverſatur, quia roborata per ipſum natura, ipſamet deinde, à ſuis liberatur malis.

4. Virtutes adhuc poſſunt exaltari, & ſublimiores fieri, modo ſolutio ipſa arte, & induſtria coctionis in altum ſublimetur, & iterum ſoluta coaguletur, & rota phyſica per calores tranſeat omnes.

Sumitur in aquis ſtillatitiis cinnamomi, aniſi, & in juſculis reſtaurantibus, ad quantitatem ſcrupuli unius, omni tempore, & quacunque hora, & quacunque data occaſione, in omnibus morbis, & vitæ incommodis, regium eſt medicamentum, & principibus dignum, verum eſt aurum potabile, cujus virtutes infinitæ ſunt, nec libro integro comprehendi poſſunt, beatiſſimus eſt Medicus qui eo uti poteſt, ut honoris culmen acquirat, & oculos omnium, & linguas, laudes & encomia prædicantes in ſe convertat.

Poteſt hoc arcanum in oleum verum cogi, & in ſalem rubicundiſſimum ita ut rubedinis ſplendorem imitetur, ſed ſemper habet eaſdem virtutes, & ſimili propinatur doſi, & cum iisdem mediis & vehiculis.

Vitriolum illud ex quo ſpiritus aurum & metalla diſſolvens, extrahitur ex mercurio, per mercurium, & deinde miris modis putrefactione ſolvitur, & diſtillatur, & ſummoperè purificatur, & eo utimur, ut aurum ſolvamus.

CAP.

Cap. III.

De quinta essentia Argenti.

Argenti essentia. ARgentum non inferiores admodum possidet auro virtutes, at in liquidam substantiam convertendum est, ut in nostram possit mutari substantiam, & suas promere virtutes, quandiu enim substantia sua, firmissimo illo repagulo, & malleabili coërcetur, nullas ostendit efficacias, postquam autem repagulum istud, & vinculum confractum est, & liquido coërcetur vinculo, tum demum mirandas promit ex centro suo virtutes, & proprietates, istud autem vinculum pari rumpitur methodo. Argentum postquam cineritio purgatum fuerit, ab omnibus heterogeneis excrementis, ita ut tanquam plena luna clarescat, dissolvendum est aqua forti, dissolutionem per octo dies, aut quatuor saltem fovebis, in balneo tepenti, deinde huic dissolutioni addes oleum tartari purissimum, ut argenti in fundo præcipitetur in pulverem albissimum, hunc lotionibus multis aqua dulci edulcorabis, deinde dissolves hunc pulverem in oleo vitrioli superius præparato capite primo, vel in oleo salis, dissolutionem fovebis balneo tepenti, per mensem unum, donec oleum salis, vel vitrioli in cæruleum tinguatur colorem. Quod oleum sic coloratum separabis, & phialis vitreis inde optimè clausis, & servabis, ad usus.

Vires & usus.

Vires & usus essentiæ argenti.

1. Epilepticum est arcanum & quascunque epilepsias, veteres & recentes, nulla difficultate curat, quia adeò roborat cerebrum, & spiritus animales multiplicat, ut humores omnes, & vapores, tum per sympathiam alicujus partis infe-

inferioris in caput,aſcendentes, vel per ydiopachiam in capite ipſe ſtagnantes expellat, & foras accendet.

2. Maniam,Lycanthropiam,melancholicos omnes alios affectus, phreneſim & delirium omne tutiſſimè ſanat, propter eandem rationem.

3. Hecticos & pthyſicos evidentiſſimè juvat, & labentes eorum vires refocillat, & reſtaurat, & in priſtinam reſtituit ſanitatem; ſi auri potabilis guttulis quibusdam admiſceatur, & propinetur, in aqua cinnamomi, bis in hebdomada.

4. Cerebri omnes affectus, & paſſiones certiſſimè ſanat, quia argentum verum, & unicum eſt, cerebrum microcoſmicum, ita ut cerebrum cerebro junctum conſtituant fortiſſimum cerebrum, ut reſiſtat omnibus morbis.

Sumitur in juſculis reſtaurantibus, vel aquis ſtillatitiis meliſſæ, & cinnamomi, vel miſcetur, cum eſſentia meliſſæ, & cinnamomi, & potentiùs agit, ad quantitatem guttarũ decem vel quinq;, utriusque arcani, cinnamomi ſcilicet, vel meliſſæ, & omne deinde permiſcetur juſculo, & propinatur manè, jejuno ſtomacho, iteratur doſis bis in hebdomada, donec ceſſet affectus.

Cap. IV.

De quinta eſſentia Ferri.

Ferri eſſentia.

FErrum limatum candefaciendum eſt igne valido, in crucibulo ſeu tigillo, huic ferro candefacto, affundendum acetum acerrimum; donec peroptimè extinguatur, extinctum iterum candefac, & candefactum aceto extingue, idque ſepties repetendo, donec in rubicundiſſimum crocum ferrum convertatur, deinde dum phialæ inditum eſt oblongi

longi colli, huic affundenda est aceti stillatitii acerrimi permaxima quantitas, ita ut septem aut octo digitis superemineat croco, & totum omne phiala optimè clausa, collocandum est in furno cinerum, ad digestionem lentam, per mensem unum, agitando phialam singulis quibuscunque diebus, donec acetum tinguatur in rubeum colorem, acetum tinctum deponendum est per inclinationem in vas aliud vitreum, novum autem acetum stillatitium, magmati residuo affundendum, & iterum digerendum in cineribus tepidis, donec tinguatur. Hoc iterum separandum est, & priori conjungendum, magma autem tunc temporis residuum calcinandum est, & candefaciendum in tigillo, & aceto ut prius extinguendum quater aut septies, donec iterum in crocum convertatur, huic croco phialæ imposito affundendum est acetum acerrimum iterum stillatitium, & digerendum, ut priùs, donec tinguatur, & tinctum separandum, & magmati residuo, iterum affundendum est novum acetum stillatitium, & digerendum donec tinguatur: hoc toties repetendum est, quoties per digestionem tingetur acetum. Postquam autem non amplius colorabitur, acetum omne tinctum distillandum est in balneo levi igne, donec tinctura remaneat in fundo alembici in consistentia mellis, huic affundendus est spiritus vini alchoolisatus, & ab omni phlegmate aquoso vindicatus, donec dissolvatur omne magma, per digestionem levem in balneo tepenti, spiritus vini tinctus separandus est per inclinationem, & magmati residuo, quod solutum non fuit affundendus est novus spiritus vini alchoolisatus, & iterum digerendus, hocque repetendum est, donec omne magma solutum sit, & non amplius tinguatur spiritus vini, colore rubicũdissimo Spiritus omnis

tinctus

tinctus distillandus per retortam levissima distillatione, donec omnis spiritus conscensus sit. Tunc demum augendus est ignis, & forti distillatione mutato recipiente, colligendum est oleum ferri, perquàm optimè rubeum, & ter aut quater, per retortam rectificandum est: magmata verò residua, cujuscunque distillationis simul colligenda sunt, & simul ignienda in tigillo, tandiu donec albescant. Ex his deinde salem elicies album per lotiones, & evaporationes multoties iteratas cum calcinationibus, salem hunc purum, putum, & candidum addes oleo tuo rectificato, & servabis ad usus in phialis vitreis optimè clausis.

Vires & usus.

Vires & usus Ferri essentiæ.

1. Balsamum est mirum ad curanda ulcera omnia, vetera & recentia, & vulnera quæcunque, quia potentissimè agglutinat, humores corrodentes dissolvit, & in aliam mutat substantiam, & putredinem suo sale fixo impedit, & partes præservat, sanguinem laudatum convocando, & spiritus.
2. Alvi quoscunque fluxus compescit simili ratione, & quia præterea ventriculum astringendo roborat, & eius calorem multiplicat.
3. Gonorrhœam etiam sistit quamcunque sive veneream, sive aliam, quia hepar mirificè roborat, ejus spiritus multiplicando, & sanguinem ab omnibus mucosis humoribus & putrefactis emungendo.
4. Hepaticum fluxum sistit, quia dum orificia venarum mesenterii reserata attingit sua astringendi facultate claudit & compescit.
5. Immodicos uteri fluxus etiam sistit, propter eandem rationem, & partus debiles, & labentes

bentes confortat, roborat, & in utero retinet, obserato uteri osculo.

Sumitur ad quantitatem scrupuli unius, cum aqua acetosæ, aut portulacæ, aut cum syrupo de limonibus, de granatis, de succo verberis acetoso, & reliquis similibus morbo curando appropriatis, vel applicatur exterius tepidè cum gossipio eo oleo madefacto.

Cap. V.

De quinta essentia Veneris, seu Cupri.

Cupri essentia.

Cuprum subtilissimè limatum permiscendum est cum pari quantitate florum sulphuris & salis tartari tertia parte, & ollæ terreæ vitreatæ imposita, cum sufficiente aquæ quantitate bulliant per duas horas, & inter bulliendum agitentur spatula lignea, donec totum cuprum sulphur, & sal tartari dissoluta sint, vel si fortius & citius cuprum dissolvere vis, non aquam impones, sed ollam cum floribus sulphuris, & sale tartari una cum cupro, superpones igni, donec omnia liquata sint, & peroptimè permixta: quibus tunc temporis affundes aquam fontanam bullientes, & simul igne bullire permittes, donec omnia soluta sint, addendo aquam novã, quoties opus erit, si inter bulliendum evanescat solutionem deinde frigefactam, ollæ vitreatæ impones in cella vinaria, vel in aliquo loco frigido, ut ex illa solutione limpida, & clara concrescat vitriolum colore cæruleo coruscans. Collecto hoc vitriolo omni, aquam superstitem, ad mediam partem evaporando consumes igne levi, & iterum repones in loco frigido, ut rursus concrescat in vitriolum, & sic iterando perages ebulitiones, & in loco frigido repones, donec tota dissolutio in lapillos vitriola-

triolatos abierit, quos collectos igne ſiccabis, in cupreo, aut ferreo vaſe, & ſemper ſpatula ferrea agitando, & movendo in pulverem reduces albiſſimũ, huncimpones retortæ luto perquàm optimè munitæ, & impones furno carbonibus hinc utrinque ſurſum deorſum impoſitis, ita ut retorta maneat ſemper ardens, & candens mediis ignibus: furnus ad hanc ſolam & particularem diſtillationem proprius, & peculiaris eſſe debet, quia ignis in hac ſola diſtillatione fortiſſimus ſit oportet, & fortior quã in aliis omnibus diſtillationibus, alioquin ſpiritus æthereus egredi non poſſet, quod fortiſſima compagine ligetur ſali ſuo fixo, itaque excogitandus eſt furnus in quo ignis fortiſſimo fortior fieri poſſit; quod fiet ſi retorta luto munita in medio furni alicujus cruci terreæ, aut ferreæ collocetur: deinde cooperiatur retorta capitello terreo fortiſſimo capaciſſimo, ita ut carbonum maximam quantitatem coërcere poſſit furnus, & ignem eo pacto ſuis parietibus violentiſſimũ fovere, & ſic retortam ignitam ſemper, & candentem retinere, donec ſpiritus omnis egreſſus ſit in vas recipiens, quod collo retortæ perquàm optimè junctum, & lutatum eſſe debet, ne exeant ſpiritus qui ſubtiliſſimi eſſe ſolent. Poſtquam autem ſpiritus omnis in forma, & ſpecie fumi albi egreſſus fuerit, quod reſidet in fundo retortæ rubicundiſſimum, aut nigrum, aquæ fontanæ perlimpidæ imponendum eſt, & bullitione ſolvendum in vaſe æneo. Solutionem, ſepoſita hypoſtaſi, filtro trajectam, ut optimè clareſcat, evaporandam præcipimus in vaſe æneo, & in pulverem tenuiſſimum ut prius omne quod in ſolutione continetur, reducendum, & retortæ vitreæ luto munitæ, ut prius imponendum, & diſtillandum ſimili methodo, donec egrediantur omnes ſpiritus, qui

 fir-

firmiſſimo repagulo cuſtodiendi ſunt ne pereant. Quod reſidet in fundo retortæ iterum ut prius ſolvendum aqua limpida bulliente, & ut prius iterum evaporandum, & in pulverem diſtillandum; hoc repetere oportet, donec quod reſidet in fundo retortæ poſt diſtillationem, albiſſimum ſit, neque colorem mutet & variet per ignem quemcunque. Hunc ſalem benedictum aqua fontana ſepties diſtillata diſſolves, & quod eſt ſali heterogeneũ quod non liquatur, ſed fundum petit, & facit hypoſtaſim albam, ſeponendum eſt per filtrum, & ſeparandum ad ſolutionem claram & limpidam, per alembicum vitreum in cineribus leviſſima diſtillatione, ad ſiccitatem uſque: deinde iterum per aquam diſtillatam eandem ſolvere, & filtro traiicere ut feces omnes ſeponat, & limpidiſſima ſit ſolutio; quam iterum diſtillabis ut prius: hoc repetes, donec nullas emittat feces in ſolutione ſal tuus benedictus, & colorem rubeum acquirat pedetentim, quem quãvis tardè acquirat, tamen tandem acquiret: hic deinde cuſtodiendus eſt, donec ſpiritus ſuus depuratus ſit, quod ſequenti methodo fiet. Spiritum omnẽ egreſſum ex prioribus diſtillationibus, phialæ oblongi colli impones, oſculoque clauſo luto firmo, balneo tepenti fovebis per menſem unum, cave ne invaleſcat ignis, quia evaneſcerent ſpiritus: hoc cognoſces naribus impoſitis oſculo vaſis tui, feriunt enim ſpiritus illi cerebrum fortiſſimè: & ſic prudenter ignem lentiſſimum continuabis, aucto vel diminuto ſecundum exigentiam ſpiritus, ſic enim ſpiritus illi pedetentim in aquam tranſeunt, & ignẽ pati diſcunt. Menſe peracto tuam aquam ſpiritibus plenam retortæ impones, & diſtillabis per balneum, quicquid diſtillari poterit: deinde cineribus quod reſidet diſtillabis fortiſſima diſtillatione, ut omne

omne aſcendat, & hoc ſolum quod in cineribus diſtillatur ſepties rectificabis, mutata retorta in ſingulis diſtiliationibus, quia ſæpiſſimè franguntur retortæ: hunc ſpiritum ſic rectificatum impones ſali tuo rubeo, & in balneo tepenti collocabis, donec diſſolvatur ſal rubeus, & fiat aqua: deinde diſtillabis, & quod ex diſtillatione flavum, & aurei coloris egreditur, ſervandum eſt, & cuſtodiendum tanquam arcanum ſummum ad curandum omnes ferè morbos, ſi aurum ſolutum ei addatur: ſal verò quod reſidet in fundo retortæ iterum depurãdum eſt, & in colorem rubicundiſſimum reducendum methodo prædicta, & dulcorandum, & tunc temporis ſervandum in phialis vitreis vel aureis, peroptimè clauſis, ad uſus ferè infinitos. Sunt qui tincturam huic ſali rubeo adhuc reddant, & iterum putrefaciant & diſtillent, & ſic omnem tincturam auferunt, & ſalem omnem liquidum & volatilem reddunt, & volatilem levi calore & tempore longo fixum faciunt, quod ego maximè probo & laudo; eſt enim tunc temporis arcanum ſummum chymicum, & lapidis phyſici æmulatur vires, modò ſal hic vera putrefactione ſolvatur, & depuretur.

Vires & uſus.

1. Omnes cerebri affectus curat, ſive ex cauſa frigida, ſive calida ortum habeant, quia mirificè roborat, humidum radicale naturale reſtaurando & depurando, ſi læſum ſit: itaque eſt lepræ unicum remedium. *Vires & uſus cubri eſſentiæ.*
2. Febres omnes continuas & intermittentes certiſſimè ſanat, quod ſanguinem depuret per vias criticas, corruptionem impediat, & factam expellat, viſcera omnia roboret, calorem omnium reſtaurando, & roborando.

3. Cutis omnes excoriationes tutiſſimè ſanat: vulnera ulceraque quæcunque vetera, & recentia, ad cicatricem perducit, ſolo illitu; quia per ſuum ſalem, ſalem noſtri corporis corruptum, & in acrem & mordacem reductum mitigat, & dulcem reddit, ſua exuberanti dulcedine, & temperato calore vitali.
4. Dolores omnes arthriticos ex quacunque cauſa ortos mitigat & ſolvit, quia catarrhos omnes ſiſtit, & exſiccat, roborato cerebro, articulosq; mirificè fovet, mucoſam & tartaream ſubſtantiam, eis impactam, ſuo ſale & ſpiritu ſolvendo, & expellendo.
5. Tumores omnes ſcirrhoſos & præduros emollit, ſuo ſpiritu ſalis ſoluto & liquido, qui omnia lapidoſa & tartarea ſolvit & diſcutit.
6. Nimis longum eſſet percurrere omnes hujus arcani virtutes, & proprietates, ſufficiet hoc tibi unum, quòd omnibus morbis accommodari poſſit, quòd ſit arcanum reſtaurans, & roborans.

Sumitur in juſculis, in aquis ſtillatitiis cinnamomi, aniſi, vino hippocratico, & in ovis ſorbilibus, & panatellis, & ſimilibus aliis, ad ægrotantis libitum & ſaporem, à quantitate ſcrupuli unius ad duos, quovis tempore, & quacumque hora, nullóque ſervato regimine, quia non eſt opus, cum ſit reſtaurans arcanum & roborans.

Cap. VI.

De quinta eſſentia Plumbi.

Plumbi eſſentia.

PLumbum poſtquam liquatione, & ſpatulæ ferreæ agitatione, ſuper ignem calcinatum fuerit, & in pulverem tenuiſſimum reductum, & calcinationibus iteratis in minimum redactum, ſolvendum

dum eſt aceto acerrimo ſtillatitio ; poſtquam ſolutum fuerit, ſolutio clara & limpida evaporanda eſt in vaſe æneo, donec magma quod reſidere debet, habeat conſiſtentiam mellis : hoc magma iterum novo aceto acerrimo ſtillatitio, ſolvendum eſt, ſolutum in balneo tepenti fovendum eſt, per menſem unum; deinde evaporandum, donec magma habeat mellis conſiſtentiam: hoc iterum ſolvendum & digerendum in balneo, quater aut ſepties; deinde evaporato aceto, optimo vini ſpiritu alchoolizato ſolvendum magma eſt, & digerendum in balneo tepenti, per quindecim dies, phiala optimè clauſa, ne pereat & evaneſcat vini ſpiritus; hanc ultimam ſolutionem retortæ imponendam, & diſtillandam leviſſimo calore præcipimus, donec egreſſus ſit omnis ſpiritus: tunc mutato recipiente ignem augebis, ut exeant plumbi ſpiritus albi & dulces, & tandem oleoſa ſubſtantia flavi coloris, & tandem rubei: hoc oleum quater aut quinquies rectificabis: feces quæ in fundo retortæ relinquuntur ex diſtillatione nigræ & atræ, eximendæ ſunt, & comburendæ, & fortiſſimo igne calcinandæ, donec candore ſummo induantur; tum demum aqua ſepties diſtillata perfundendæ, & in balneo bulliente fovendæ, ut quicquid eſt ſalis fixi in his fecibus ſolvatur, & in aquam tranſeat : hanc aquam deinde hypoſtaſi facta per inclinationem ſeparabis, aut filtro trajicies, ut clareſcat, & evaporabis, evaporatum calcinabis, calcinatum iterum ſolves, & ſolutum evaporabis iterum & iterum calcinabis, has operationes ſæpiùs iterando, donec ſal iſtud candidum ſit, & dulce, & facilis ſit liquationis calore levi, velut cera, aut butyrum: hoc ſal deinde conjunges, & connectes ſpiritui albo plumbeo, qui ante oleum rubeum plumbi egreſſus eſt, & ſimul con-

juncta fovebis in balneo tepenti, per quindecim dies: tum demum distillabis, & distillatum magmati addes & redistillabis, donec ascendat sal fixum, & fiat volatile, quod septies sublimatum conjunges oleo rubeo septies rectificato, & digeres in balneo tepenti per mensem unum, donec hæc tria fiant unum, quod servabis in phialis perquamoptimè clausis.

Vires & usus.

Vires & usus essentiæ Plumbi.

1. Hoc arcanum plumbi, est verum & unicum ulcerum & vulnerum omnium balsamum; sua enim dulcedine acre omne & mordax quod in corpore nostro stagnatur, resolvit & dulce facit, & est pabulum & nutrimentum humidi radicalis læsarum partium.
2. Combusta omnia citissimè sanat, ex eadem ratione, & dolorem perquàm citissimè compescit, quia suo temperamento partes solutas igne, ad temperamentum naturale reducit, humidum radicale fovendo, & partes solutas agglutinando.
3. Hecticos, phthisicos, tabidos & macilentos omnes mirificè recreat, & restaurat, febrem eorum extinguendo, humidumque depastum refocillando & reparando, spiritusque omnes tum naturales, tum vitales, & animales multiplicando.
4. Uterinos omnes affectus, syncopes, strangulationes, deliria, epilepticos insultus, maniam & furorem, pallidos fœdosque calores tutissimè sanat; quia uterum ab omnibus heterogeneis excrementis, & præter naturam vindicat & liberat, spiritibus multiplicatis tum seminis, tum sanguinis, & evacuato

cuato ſanguine menſtruo aut ſemine putrente.

Sumitur in juſculis, vel aquis appropriatis, vel ſyrupis convenientibus morbo curando, ad quantitatem ſcrupuli unius, manè, jejuno ſtomacho, ſervato regimine & cuſtodia, quia aliquando potentiſſimè purgat, ſurſum & deorſum, aliquando per urinas, aliquando per ſudores, ſecundum naturæ exigentiam & neceſſitatem, quò ducendum eſt roborata natura educit.

Cap. VII.

De quinta eſſentia Stanni.

Eſſentia Stanni.

STannum perquamoptimum non adulteratum plumbo, nec aliis rebus ſtanno heterogeneis, liquandum eſt in forti tigillo, aut ſcutella terrea forti admodum, ut ignem pati poſſit, vel ferrea quæ melior eſt omnibus: poſtquam liquatum fuerit ſtannum, ſpatula ferrea agitandum eſt, donec in pulverem tenuiſſimũ, & albiſſimum convertatur: hic pulvis phialæ vitreæ impoſitus, ſolvendus eſt aceto acerrimo ſtillatitio. Paratur optimè acetum ad hanc operationem faciendam, & metalla omnia ſolvenda ex amalgamatione ſtanni, cum mercurio, & ſublimato, omnium æqualibus partibus, & hæc diſtillando in retorta leviſſimo igne: liquor egreſſus fumoſus valdè, conjungitur cum æquali quantitate ſpiritu vegetabili alchooliſato pedetentim, & cum magna induſtria, & cum tartaro ſuo, quod remanſit in fundo retortæ connectitur, & diſtillatur in acetum verum philoſophorum, quo uti poteris ad metallorum animas extrahendas impoſito, ad eminentiam quatuor digitorum, & balneo bulliente fovendum omne eſt per duos aut tres dies, ſæpiſſimè phialam agitando,

ut melius ſolvatur ſtanni calx. His diebus transactis, quod clarum eſt ex aceto per inclinationem affundendum in aliud vas vitreum, & magmati reſiduo aliud acetum novum ſtillatitium affundendũ, & digerendum per alios duos dies in balneo bulliente, agitando phialam ut priùs, has operationes continuando donec tota plumbi calx ſoluta ſit: tũc temporis ſolutiones omnes ſimul conjunctas evaporabis, donec magma reſideat in conſiſtentia mellis, in fundo vaſis evaporatorii: hoc magma iterum aceto acerrimo ſolvendum ſtillatitio, & ſolutum digerendum per tres quatuórve dies, deinde evaporandum ad conſiſtentiam mellis, iterumque ſolvendum & digerendum ut priùs, idque quater ſaltem repetes, ſolvendo magma quod reſidet per acetum ſtillatitium, & digerendo, ut melius ſolvatur: tum demum in ultima evaporatione, magma quod reſidet, ſpiritu vini alchoolizato ſolvendum erit, & per quindecim dies, in phiala oblongi colli optimè clauſa, in balneo tepenti digerendum erit. Tum demum retorta diſtillandum levi calore in cineribus, donec aſcenſus ſit omnis vini ſpiritus, deinde mutato recipiente, juncturis optimè clauſis, augebis ignem, ſervatis ignis gradibus, donec aſcenſus ſit omnis ſtanni ſpiritus in forma aquæ lacteæ albiſſimæ: ceſſantibus hiſce guttis, prodibit oleum ſubalbidum ſubflavi coloris: peraucto fortiſſimo igne, usque ad finem diſtillationis, oleum ſepties rectificabis, unà cum ſuo ſpiritu albo, & ſervabis, donec ex fecibus quæ relinquuntur ex hac diſtillatione ſalem fixum extraxeris, eumque depuraveris arte & methodo communi multoties declarata, eumque depuratum & ab omni excremento vindicatum, fuſilem factum conjunges ſpiritui volatili albo, & rectificationem ſpiritus ſuper ipſum multoties iteratam,

ratam,

ratam, volatilem facies & volatilem factam aliquoties ſublimabis, tum demum conjunges oleo ſuo & ſpiritui, & digeres in balneo tepenti, donec tria fiant unum, & ſervabis ad uſus.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentiæ Stanni.

1. Omnibus morbis quibus & eſſentia plumbi convenit, convenit & hæc ſtanni eſſentia, ſed potentiori & virtuoſiori effectu, quia ſal, & mercurius qui latitant in centro ſuæ ſubſtantiæ perfectiores ſunt, quàm qui in plumbo reſident.
2. Æmulatur proximè virtutes & proprietates eſſentiæ argenti, quia mercurius ejus & ſulphur puritatem ſaltem, ſi non fixionem æquam habent, unde cerebri omnibus affectibus medetur.
3. Maniam, melancholiam omnem, phreneſim, carum, & ſoporiferos omnes affectus certiſſimè curat; quia cerebrum roborat; & ab omnibus excrementis, & vaporibus præter naturam qui ſurſum efferuntur liberat, & vendicat.
4. Hepatis etiam affectus ſanat, quia ſanguinem depurat, & calorem naturalem hepatis adauget evacuatis ſeroſis ex ſanguine humoribus, per urinas & per ſudores, & inſenſibilem tranſpirationem.
5. Confert ſummoperè hydropicis, quia ſalem ſolutum, & liquatum evacuat, reliquum autem fixat & coagulat, & in corruptionem ire non permittit.

Sumitur in juſculis, in vino optimo, in aquis ſtillatitiis morbo cõvenientibus à quantitate ſcrupuli unius ad duos, manè, jejuno ſtomacho, ſervato

regimine & custodia, quia purgat sursum & deorsum, sed nulla molestia.

Cap. VIII.

De quinta essentia Argenti vivi.

Essentia argenti vivi.

Latitat in mercurio medicamentum summum, modò ritè præparetur, infinitos curans morbos, quorum cura, & remedium unicum & solum in centro mercurii delitescit: præparabitur autem ritè sequenti methodo. Postquam sublimatum fuerit argentum vivum, ter aut quater, ex vitriolo, & salepetra, via communi & methodo vulgari: septies iterum sublimabis ex sale communi decrepitato, & ad summum candorem depurato. Hunc sublimatum mercurium purissimum & album phialæ vitreæ oblongi colli indes, eique affundes ad eminentiam quatuor aut quinque digitorum spiritum salis ab omni phlegmate vindicatum, & rectificatum, & digeres obturato vase in balneo tepenti, per mensem unum integrum: hoc peracto solutum extrahes per inclinationem & in aliud vas vitreum vel retortam vitream repones: magmati quod residet in soluto addes iterum novum spiritũ salis rectificatum, & ut priùs digeres, donec solum mercurium sublimatum solutum habeas. Solutiones omnes in retorta collocabis & distillabis levissimo calore, donec egressus sit omnis salis spiritus: ultimò augebis pedetentim ignem donec oleum subalbidum mercurii ascendat: feces quæ remanent in fundo retortæ eximendæ sunt, & cum priori spiritu salis iterum conjungendæ, donec iterum solvantur, solutæque distillandæ erunt, donec omnes ascendant in oleum album & feces nigræ remaneãt in fundo retortæ, quæ violentissimo igne calcinatæ candorem aliquem acquirunt, ex quibus tunc temporis

Solvitur perquam optimè in aceto suo superius declarato, cap. de Stanni essentia, vel in oleo salis.

poris poteſt, arte & methodo vulgari, ſal fixum extrahi, idque depurari, depuratum oleo ſuo ſepties rectificato, & diſtillato, poterit conjungi, & ſervari ad uſus in vaſis vitreis peroptimè clauſis: hanc operationem non perficies niſi ſolutionem mercurii putrefacias in ſpiritu alchoolizato vini.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentiæ mercurÿ.

1. Purgat omnes humores præter naturam in corpore ſtagnantes, nulla moleſtia nulloq; vitæ, ſanitatisq; incommodo, imò cum earum maxima utilitate; quia eſt vitæ peculiaris fomes, & perennis humidi radicalis fons, unde reliqua omnia quæ non ſunt hujusmodi expellit.
2. Catharri materias omnes, & perennes fontes exſiccat, & exhaurit, propter eandem ſuperiorem rationem.
3. Pallidos & fœdos virginum colores pellit & fugat, quia ſaburram omnium humorum tum in utero & ſtomacho ſtagnantium purgatione educit, ſanguinem purificat, ſeroſosq; humores ex eo depellit.
4. Icterum omnem etiam curat, quia aperit, & hepar roborat, calorem naturalem reparando & ſpiritus multiplicando, evacuatis è corpore frigidis humoribus, reliquisque omnibus quę nativum calorem diſperdere ſolent.
5. Luem Veneream funditus & radicitus evellit, quia totum humidum radicale ad minima uſque corporis penetrando depurat, ichores ejus & putrentes humores depellendo.
6. Scrofulas & tumores omnes ſcirrhoſos, frigidos & humidos diſſolvit, & diſcutit, & ulcera omnia ad cicatricem laudatam conducit ſuo ſale.

Sumi-

Sumitur in jusculis, vel ovo sorbili, vel reducitur in pillulas cum mica panis, à quantitate guttarum quinque ad 6. & 7. manè, jejuno stomacho, servato regimine & custodia artis.

CAP. IX.

De quinta essentia Sulphuris.

Essentia sulphuris.

SUblimari debet sulphur ex vitriolo ad rubedinem calcinato, bis aut ter, deinde septies sublimari ex sale communi decrepitato, & ad candorem summum calcinationibus, solutionibus, & evaporationibus deducto, mutato sale & renovato in singulis sublimationibus, donec sulphuris flos conscendat albissimus. Hunc florem impones phialæ oblongi colli, obturato vasis osculo, in furno reverberii igne mediocri, per mensem integrum, aut donec, perauctis pedetentim ignis gradibus ne liquetur flos, flos acquirat colorem rubeum rubini instar: tunc oleo amygdalarum dulcium multoties rectificato, perfundos tuos flores, & digeres igne cinerum per quindecim dies, sæpissimè phialam agitando, donec tinctum & coloratum sit amygdalarum oleum. Hoc separato aliud novum & recens affundes floribus, & ut prius digeres, donec iterum coloretur oleum, & solvatur pedetentim, nullis iterationibus, totus sulphuris flos: tunc accipies peroptimum vini spiritum alchoolisatum, & conjunges æquali in quantitate oleo tuo amygdalarū tincto & colorato, & digeres ambo in cineribus tepidis, donec tingatur spiritus vini, & totam ex oleo amygdalarum extrahat tincturam sulphuris; quod fiet, mutato spiritu vini, postquàm coloratus est, & recenti non tincto affuso: spiritus deinde vini tinctus & coloratus in balneo mariæ extrahendus est per distillationem; tinctura autem in fundo remanens

nens in cineribus eſt extrahenda rubicundiſſimi coloris, quæ per retortã rectificata ſervanda eſt ad uſus. Cum hoc deinde oleo, ſi flores ſulphuris habeas rubicundos ſecundum præparationem ſuperiorem, diſſolves hos flores, & per rectificationem habebis maximam olei copiam odoris gratiſſimi, cujus virtutes inenarrabiles ſunt, ut experientia ipſa quisq; comprobare poterit. Sulphur etiam poteſt in aceto mercurii ſolvi, & præparari ut metalla antea dicta, & ſimili methodo in eſſentiam reduci, & ſic evadit in medicamentum ſummum.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentiæ ſulphuris.

1. Medicamentum & cardiacum ſummum, & venenoſis animalium ictibus & morſibus, in vulneribus venenatis, nihil prorſus fortius in veneno extinguendo, vulnusque agglutinando, propter ſalem ſuum dulcem, & ſolutum quem continet, qui eſt vitæ fomes, & humidi radicalis pabulum.
2. Hecticis, phthiſicis, ſuſpirioſis, & difficulter anhelantibus in genere ſubvenit, quia ulcera interna pulmonis ſanat, & humidum radicale depaſtum reſtaurat, & calorem præter naturam extinguit, cauſa ejus ſublata.
3. Lepram recentem, & inveteratam, & confirmatam, ſi auro potabili connectetur, certiſſimè curat; qui renovat totum ſanguinem, eumq; depurat ab ichoribus, & putridis aliis rebus ſanguini heterogeneis.
4. Doloribus arthriticis omnibus ſuccurrit, & ſola perunctione ſedat ſuo ſale rubeo ſoluto, anodyno, & balſamico, qui acres & mordaces humores dulces reddit, & nervos roborat & muſculos, adaucto & multiplicato partis naturali & vitali calore.

5. Au-

5. Aurium tinnitus, dolores, & surditatem tollit, quia exsiccat serosos humores, tympanite laborantibus succurrit, & catarrhos omnes exhaurit, multiplicato calore naturali.

Sumitur à quantitate drachmæ semis, ad drachmam unam in jusculis, vel restaurantibus, aliisque rebus roborantibus, manè, jejuno stomacho: vel cogitur in pillulas, cum mica panis, & voratur eodem tempore, vel miscetur unguentis & applicatur partibus affectis, calidè.

CAP. X.

De quinta essentia salis Petræ.

Essentia salis Petræ.

SAlpetra perquamoptimè depurata, permiscéda est cum æquali quantitate salis communis decrepitati, & ad summum candorem deducti & imponenda retortæ, & in cineribus fortissimo igne, servatis ignis gradibus, distillandus est ejus rubeus spiritus, juncturis perquamoptimè clausis cum luto optimo, quia subtilissimus est hic spiritus, nec citò in aquam transit: itaque postquam finita est distillatio, linquendum est recipiens collo retortæ junctum & unitum per diem integrum antequam disjungantur, ut mora illa, spiritus tandem fiat aqua, dum retinetur in recipiente: hic spiritus distillatus, super magma suum quod residet in fundo retortæ, septies est rectificandus, & à phlegmate suo per distillationem vindicandus. Tum demum conjungendus sali fixo extracto ex magmate suo, ad summum depurato, & per artem dulcorato, & ad rubedinem deducto, si ad perfectionem ultimam, arcanum deducere cupis. Hic spiritus tali sali connexus, virtutes æmulatur auri potabilis; quare sedulò servandus est. Totum arcanum perficiendæ essentiæ salis petræ consistit in putrefactione ejus; nisi

nisi enim putrefiat ejus occultum, manifestum fieri non potest. Sales autem putrefieri non possunt, nisi dissolvantur cum spiritu eorum acido, & spiritui vegetabili conjungantur.

Vires & usus.

Vires & usus essentiæ Saluspetra.

1. Renovat totum sanguinem, adeoque depurat ut intrà paucos dies totum hominum renovatum esse credas spiritui suo vitali & fixo, qui sympathiam quàm maximam habet, cum nostro spiritu.
2. Canitiem retardat, quia humidum radicale à frigidis & serosis humoribus vindicat, qui ad cutem depulsi ut sint pilis nutrimento, albos nutriunt pilos.
3. Sensus omnes, tum internos, tum externos roborat, quia multiplicat spiritus internos, reparando humidum radicale & renovando.
4. Scabiem, impetiginem omnem, & reliquos cutaneos affectus promptissimè curat, suo sale, qui internum salem corruptum cutem excoriantem foras pellit, & dulcem facit, & ad temperamentum reducit.
5. Tophos omnes, & scirrhosos tumores, duros & frigidos melancholicos, qui impossibilis sunt resolutionis discutit, & resolvit sola perunctione, suo spiritu soluto, qui lapidea omnia resolvit.
6. Lapides & calculos in vesica, & renibus, successu temporis, & sæpissimè utendo tandem rumpit, & foras pellit, propter eandem rationem
7. Arcanum est summum in curanda arthritide, & sedandis citissimè ejus doloribus, quia ejus spiritus solvit salis acrimoniam qui arthriti-

thritidem conſtituit, & foras ejicit, nervosq; deinde, & muſcúlos, refovet, adaucto calore vitali partium quibus applicatur.

Sumitur à quantitate ʒ j. ad duas in juſculis vel aquis ſtillatitiis morbo appropriatis, & id manè, jejuno ſtomacho; vel per ſe applicatur exterius cum goſſipio, vel linteis, eo arcano madidis.

CAP. XI.

De quinta eſſentia Salis communis.

Eſſentia ſalis cōmunis.

SAl commune decrepitandum eſt calcinatione & combuſtione in tigillo, vel olla terrea fortiſſima, ut ignem pati poſſit, quam cooperies operculo aliquo terreo, ne inter calcinandum abeat in fruſtula dum decrepitat. Poſtquam decrepuerit ſolvendum erit aqua fontana limpida, & ſepties diſtillata: hanc ſolutionem filtro commiſſam, ut peroptimè depuretur ab omnibus terrenis excrementis, evaporabis ad ſiccitatem: ſalem iterum ſolves, & ſolutionem filtrabis, & filtratam evaporabis ad ſiccitatem tantùm, & has óperationes toties iterabis, quoties aderunt in ſolutione tua feces terreſtres, quæ ſolvi non poterunt, & aquam perturbant. Poſtquam autem abierint, ſalque tuus perquam limpidus erit, & ferè dulcis, impones retortæ luto munitæ, & fortiſſimo igne, (veluti in diſtillatione eſſentiæ Veneris factitatū eſt ſuperius, capite quinto hujus libri) ſpiritum extrahes quantum pôteris, adauctis ignis gradibus quantum fieri poterit: hunc ſpiritum rectificabis, & ſeparabis à phlegmate ſuo; & conjunges cum pari pondere ſalis ex magmate ſuo in fundo retortæ permanſo, extracti & ad ſummum depurati, donec ſolvatur ut cera vel butyrum leviſſimo calore, & rubeum acquirat colorem & dulcedinem ſummam, & ſic ambo conjuncta digeres

geres in balneo, per mensem unum, in retorta, obturato eius osculo, donec spiritus colorem acquirat rubeum, & extrahat salis sui tincturam & solvat eum solutione firma, & physica; tum demum distillabis, & omne volatile facies, & rectificabis, ter aut quater, & recondes ad usus. Ut habeas absolutam salis essentiam, dissolve salem tuum optimè depuratum, in spiritu salis rectificati, & hoc omne conjunge cum pari quantitate spiritus vini alchool, & putrefac, & distilla, & purifica, & purum & homogeneum conjunge simul & serva.

Vires & usus.

Vires & usus essentiæ salis communis.

1. Præservat ab omni corruptione corpora omnia, tum viva, tum mortua, & est balsamum vulnerum omnium, & ulcerum, & vires antecellit balsami naturalis, quia sal & sulphur suum quæ balsamicam continent naturam puriora sunt in hoc arcano, quàm in balsamo naturali: hinc etiam virtutes efficaciores, & potentiores habet.
2. Arcanum est summum in expellendo vesicæ, & renum calculo, & in agglutinandis colli vesicæ ulceribus, & renum suo oleo, & sale.
3. In aperiendis hepatis, lienis, & viscerum omniũ obstructionibus nihil est in medicina potentius, propter spiritum salis qui omnia reserat.
4. Purificat omninò sanguinem, ichores eius expellendo, unde in curandis omnibus sanguinis affectibus, febribus omnibus putridis nihil est efficacius: unde lepram tollit, & successu temporis curat, renovato sanguine, & purgato ab omnibus ejus ichoribus.
5. Scabiem omnem, lentigines, impetigines, ignẽ sacrum, herpetes omnes, aliosque cutis affe-

ctus, qui decorem humani corporis inficiunt, tollit & curat, propter rationem allatam.

6. Tumores etiam omnes externos, tum frigidos, tum calidos curat; frigidos, duros, & scirrhosos sola perunctione discutit: calidos autem ad maturationem & suppurationem perducit brevissimo tempore.

7. Arcanum etiam est in curanda arthritide, & in sedandis ejus cruciatibus, tophos & nodos dissolvit, nervos fovet & musculos, calorem auget naturalem, & spiritus multiplicat quoscunque.

8. Reparat humidum radicale ex quacunque causa depastum, unde senectutem retardat, miro juventutis fotu, & canitiem depellit, & sensus omnes externos & internos acuit.

Sumitur à quantitate drachmæ unius ad duas in jusculis, vel aquis stillatitiis cinnamomi, anisi, & imperialibus, quocunque tempore & hora, secundum necessitatem ægrotantium; in reparanda verò juventute, manè, jejuno stomacho singulis diebus.

CAP. XII.

De quinta essentia Vitrioli.

Essentia Vitrioli.

Vitriolum depuratum ab omnibus suis heterogeneis excrementis, desiccandum est igne levi, in cupreo vase, spatula ferrea agitando, donec in pulverem album convertatur: hic pulvis imponendus est retortæ, luto perquamoptimo munitæ, & retorta plusquam dimidio plena in furno ad hanc distillationem apto collocanda est, in mediis ignibus, & servatis ignis gradibus distillandus est vitrioli spiritus, fortissimo igne, ita ut dum fumi albi egrediuntur, semper maneat candens retorta, ad finem

nem usque distillationis & cessent fumi omnes egredi. Recipies oportet ut sit perquamoptimè junctum collo retortæ ne respiret ullo pacto, ne exeant spiritus: hic spiritus egressus custodiendus est & servandus in retorta obturato ejus osculo peroptimè, dum habeas maximam quantitatem, repetitis distillationibus ex eodem vitriolo, donec non amplius exeant spiritus ex eo, per has repetitas distillationes, sed vitriolum ipsum quod in fundo remanet retortæ albissimum deveniat, relicto colore nigro, aliisque multis, antequam ad album deveniat: in singulis enim distillationibus magma quod residet, solvendum est aqua limpida, & clara, solutum clarificandum, & filtro committendum, donec optimè depuratum sit à terrenis excrementis, quæ non solvuntur: solutum deinde evaporandum, & in pulverem reducendum; & pulvis hic distillandus fortissimo igne, ut dictum est; & sic repetita hac operatione vitriolum pedetentim amittit colorem cæruleum, & album induit, & depuratur summoperè, ita ut in fine depurationis illius feces sint albæ, & supernatent solutionibus. Postquam autem tuum vitriolum depuraveris, & suo spiritu, & anima privaveris, spiritus omnis egressus putrefaciendus est per digestionem lentam in balneo tepido, in retorta, per mensem unum: eo peracto, distillandum est in balneo mariæ ferventis aquæ, quicquid poterit distillari humiditatis fœtentis & putridæ; reliquum autem quod ascendere non potest, in fundo retortæ remanens, distillandum est per cineres, & septies rectificandum, servatis fecibus quæ relinquuntur in singulis distillationibus, in fundo retortæ, & sali albo priori connectendæ sunt, ut simul depurentur eadem arte, & methodo. Est enim depurandum solutionibus, desiccationi-

 bus,

bus, seu evaporationibus, aut distillationibus humidi solventis, in retorta vitrea factis, donec sal colorem acquirat rubeum summum. Tum demum connectendum est suo spiritui rectificato, multiplici pondere, ut abundantia & copia spiritus solvatur sal, & spiritus extrahat tincturam suam, & volatilem faciat. Hæc demum omnia cum spiritu vini alchool conjungenda sunt, & putrefacienda, & post putrefactionem depuranda, & ad tincturam rubeam conducenda. Hæc deinde tinctura cũ pauco sale rubeo puro conjuncta, & levissimo igne continuo fixata, & coagulata, est summum arcanũ, & arcanorum omnium summum, cujus vires, virtutes, & proprietates experientia comprobabis ad omnes morbos.

Vires & usus.

Vires & usus essentia Vitrioli.

1. Est theriacarum omnium summa theriaca: venena omnia, animalia, vegetalia, & mineralia fugat, & extinguit; quia ejus mercurius, sal, & sulphur, quæ in sua compositione inveniuntur, perfectissimè depurata, & cocta reperiuntur, & plusquam in auro ipso; unde & virtutes omnes auri ipsius superat & antecellit.
2. Est cardiacorum, cephalicorum, hepaticorum omnium medicamentum præstantissimum; superat omnia sublunaria medicamenta, &, si hominem mori non oporteret edicto divino, in perpetuas æternitates posse trahere vitam hoc arcano affirmarem.
3. Beatissimus est Medicus qui arcanum possidet. tantũ est enim morborum omnium ῥηξότομον verum, & absoluta cura & medicina, in omnibus morbis cutaneis, & solutione continui quacunque, eo uti potest tutissimè.

Sumi-

Sumitur in juſculis, in ovis ſorbilibus ad quantitatem drachmæ unius, quacunque hora, & tempore, ſecundum neceſſitatem morbi curandi: ſi tamen morbus det eligendi temporis copiam & facultaté, melius eſt mánè, jejuno ſtomacho & præcipuè in conſervando ætatis & roboris flore.

CAP. XIII.

De ſpiritu viridi vitrioli ad curam Epilepſiæ.

EX vitriolo elicitur ſpiritus cæruleus & viridans, qui eſt arcanum epilepticum; ſed in eo extrahendo eſt peculiaris, & ſumma induſtria; eſt enim ita procedendum: Vitriolũ cum æquali pondere ſalis petræ indendum eſt retortæ luto munitæ, & retorta collocanda eſt in furno ad diſtillandã aquam fortem proprio & apto, & diſtillanda eſt hæc aqua fortis, juncturis optimè clauſis recipientis & retortæ, ne exeant ſpiritus. Poſtquam diſtillata eſt hæc aqua, & dum adhuc rubet recipiens ſpiritibus aquæ fortis, ſeu ſalis petræ, connectendum eſt ſubito, & ſumma cum induſtria collo alterius retortæ, vitriolo deſiccato, & pulveriſato ſemiplenæ, & juncturis optimè clauſis, diſtillandus eſt vitrioli ſpiritus, qui dum egreditur in ſpecie, & forma fumi albi, invenit in recipiente ſpiritum rubeũ ſalis petræ, & ſe invicem fixant, magno murmure, nubibusque multis per aëris vacui recipientis ſpatium volitantibus, & tandem ſolvuntur in aquam cæruleam, & viridantem, ponderoſam ſummopere: hæc aqua deinde poſtquam per aliquot dies in ipſo recipiente optimè clauſo quieverit, ut ſpiritus omnes in aquam transeant, imponenda eſt retortæ obturato oſculo, & per menſem putrefacienda in

Vitrioli ſpiritus viridis.

digeſtione balnei tepentis: tum demum diſtillanda per cineres leviſſimo igne, in qua diſtillatione primò egreditur ſpiritus cæruleus & viridans vitrioli, & ſtillant guttæ viridantes & cæruleæ. His ceſſantibus, mutandum eſt recipiens, & ſpiritus tuus in phialis optimè clauſis ſervandus ne reſpiret: alia verò aqua quæ remanet eſt aqua fortis, & ad fiſtulas, ulceraque mali moris curāda poteſt reſervari, poſtquam rectificata fuerit ter aut quater: & ſi ſpiritui vini rectificato connectatur & putrefiant ſimul & diſtillentur: ſummum efficies ex aqua forti medicamentum deobſtruens & reſerans omnia.

Vires & uſus.

Vires & uſus ſpiritus vitrioli viridis.

1. Epilepticum eſt arcanum, curat omnes epilepſias, ſive per ſympathiam, ſive per idiopathiam; quia roborat cerebrum ſummopere, & ſpiritus ejus multiplicat, & exſiccat ſuperfluam ejus humiditatem, adaucto ejus calore vitali: putrefieri etiam humores in corpore non permittit, ſuo ſale volatili.
2. Curat præterea lentigines, herpetes, & ſcabiem omnem, ſola perunctione, & fiſtuloſa ulcera nullo dolore; quia ejus ſal qui reſidet in ſua ſubſtantia dulcis eſt, nec ullo pacto cauſticans & urens.

Sumitur in aqua pœoniæ, vel in tinctura florum pœoniæ, ad quantitatem ſcrupuli unius, manè, jejuno ſtomacho, ſingulis diebus iterando doſim, per menſem unum, & bis purgando corpus, ſale vitrioli in eo menſe, & ſic fit abſoluta cura cujuscunque epilepſiæ.

CAP.

Cap. XVI.

De quinta essentia Marchasitæ aureæ.

Marchasitæ aureæ in pulverem reductæ cum æquali pondere salis communis decrepitati & depurati, imponendæ sunt in retorta luto munita cum suo recipiente, juncturis optimè clausis: inchoanda est distillatio, servatis ignis gradibus, donec exeant omnes spiritus sulphurei tum salis, tum marchasitæ in vas recipiens, & fiant aqua acetosa valdè: his peractis magma quod residet in fundo alembici erit à sale vindicandum per lotiones aquæ dulcis multoties iteratas, donec aqua saporem salis non habeat: marchasita sic depurata cum pari quãtitate & pondere simili sali s petræ erit connectenda, & vasi fictili fortissimo imponenda, & igniendа cum carbonibus, donec salpetra omnis abierit, & detonaverit, tunc iterum marchasita erit lotionibus aquæ dulcis ut prius à sale vindicanda, & depuranda. Pulvis deinde tenuissimus marchasitæ, phialæ oblongi colli impositus, obturato osculo luto optimo, in igne reverberii, per mensem erit custodiendus, donec colorem rubeum acquirat; tunc auferes, & huic pulveri rubeo affundes suum spiritum, septies rectificatum, & digeres simul in balneo tepenti, donec spiritus coloretur, coloratum per inclinationem auferes, & novum addes spiritum. ita ut quatuor digitis emineat, & digeres ut prius, donec coloretur: postquam totam tincturam habueris, digeres in balneo per quindecim dies: deinde distillabis per retortam ter aut quater, & oleũ rubicundissimum ex his distillationibus egrediens, servabis ad usus, unà cum suo spiritu, qui à phlegmate vindicatus facili negotio cum tinctura connectitur, & difficillimè separantur.

Essentia Marchasita.

Vires & usus.

Vires & usus essentia Marchasita.

1. Arcanum est mirum in curandis scrofulis, ulceratis, & non ulceratis; resolvit enim durum, & cancrosum omne extinguit & mortificat, suo tenui spiritu, & sale volatili, qui residet in eius oleo, non est causticum & urens medicamentum si rite præparetur, & intrà corpus sumi potest.
2. Purificat interius sumptum sanguinem, purgando eum à mucosis & serosis ejus humoribus per sudores, & urinas, calore centrali suo, qui in ejus sulphure liquido, & in oleum verso, & sale latitat: hinc vitia totius sanguinis corrigit, & emendat.
3. Scabiem omnem tollit, & cutis omnes excoriationes, solo illitu exteriori; quia salitum humorem cutem excoriantem, dulcem facit, suo sale dulci, & oleo perfectissimè cocto.

Sumitur ad quantitatem guttarum decem in jusculis, vel applicatur exterius, & miscetur unguentis, vel aliis oleis scabiei convenientibus.

Cap. XV.

De quinta essentia Antimonii.

Antimonii essentia.

ANtimoniatas, seu stibiatas potiones eliminant ferè omnes Medici Hippocratici ab eorum antidotariis, quòd sint venenatæ, & sursum deorsumque evacuent, non solùm humores peccantes in corpore, sed & optimos, & laudatos, non minima sanitatis fraude, sed cum ipso vitæ periculo; nihilominus tamen in nostrum Myrothecium Spagyricum eas admittemus, quæ modò debitam & physicam subeant præparationem non venenatæ, nec hypercatharticæ reperiuntur, at benignæ admodũ, & car-

& cardiacæ, ita ut non solum cathartica vis omnis ei auferatur, sed etiam omnis præter naturam qualitas, quæ nobis nocumento esse potest, ut experientia ipsa fiet clarius; nam rationibus contendere non mihi in hoc opere necessarium videtur, cum sciant omnes, mercurium crudum qui inest antimonio totaliter & radicitus auferri à nostris præparationibus, & ideò nocendi omnis potestas & venenosa si quæ est, aufertur: quocirca ad præparationem nostram nos accingemus, sequenti methodo. Antimonium pulverisatur, in alchool tenuissimum reducitur & permiscetur cum æquali pondere salis petræ, & in tigillo forti ad ignem ponitur, & comburitur, donec tota detonaverit salpetra, & in massam sanguineam & hepaticam reductum fuerit antimonium: quam massam tritam permiscebis denuo cum æquali pondere salis petræ & sulphuris, & iterum ignies, donec detonaverit sal petra, & remanet tunc temporis antimonium album & peroptimè calcinatum: hoc indes phialæ oblongi colli luto munitæ, & osculo vasis clauso, totum omne collocabis per mensem unum in igne reverberii satis magno, & potentissimo, donec antimonium rubeum adeptum fuerit colorem. Hoc coloratum antimonium impones vitro, huicque affundes spiritum vini alchoolizatum, & depuratum à phlegmate suo, & digeres in balneo tepenti, per octo dies, donec coleretur spiritus & tinguatur: tunc per inclinationem auferes, & novum addes spiritum, digerendo ut prius, vitro clauso & obturato, nec inter digerendum exeat spiritus vini, & evaporetur, hocque toties repetendum, donec ab spiritu per vices affuso abstrahatur tota tinctura ab antimonio, quod iterum erit reverberandum donec coloretur, & solvendum aceto acerrimo stillatitio. Acetum

Antimonii perquàoptima essentia paratur cum aceto. Mercurii supra dicti & digeritur cum eo antimonium crudum, donec tinguatur acetum, ex quo per distillationem cum spiritu vini rectificato perficitur vera antimonii essentia, naturæ humanæ verũ & tutũ confugium.

autem erit evaporãdum, & quod remanet in fundo multoties solvendum aqua rosacea multoties rectificata, donec nullas emittat feces in solutione, sed clarum remaneat omnino, & splendescat (veluti rubinus) quod omne sic limpidum & clarum, connectendum erit cum tinctura superiori, in oleum conversa, sequenti methodo: Accipies tincturam omnem, & separabis per balneum id omne quod poterit ascendere per balneum, in retorta; retortam deinde transferes è balneo in cineres, & distillabis oleum rubicundissimum preciosissimum, quod rectificatum ter aut quater, connectes cum suo sale rubeo puro, & ab omni terrestri excremento vindicato, & servabis ad usus. Hoc idem & simile oleum, & tinctura eadem, & sal possunt extrahi ex floribus antimonii fixatis, & reverberatis, donec colorentur, & deinde procedendo, ut superius dictum est, at difficiliori negotio. Possunt ex antimonio multa alia parari medicamenta, ut vitrum ex quo pocula fieri possunt, quibus vinum infusum per quatuor tantum horas, catharticum est, nec poculum inde diminuitur, & tabescit, sed virtutes catharticas in perpetuas ferè servat æternitates. Sed has ego improbo potiones, ut naturæ infensas, & inimicas, quod violentæ sunt. Parantur etiam flores ex quibus formantur pillulæ, pro peste, & febribus omnibus; sed id omne improbatur, quod nimis violentum sit, & naturæ inimicum, quòd crudi multum habeat mercurii, cuius ope violentissimas excitat illas actiones, & hypercatharses: si quod ex antimonio citissimè præparato medicamentum à me probari mereatur, est sequens, quod fit ex vitro antimonii in alchool redacto, super quòd effundatur oleum vitrioli non rectificatum ad eminentiam duorum digito-

digitorum, & per duos dies digeratur in balneo, aut in cineribus, donec nigrescat oleum: hoc oleum deinde separatum per inclinationem potentissimè purgat, per inferiora tantùm, sumptum ad quantitatem octo aut decem guttarum in jusculo, manè, servato regimine, & custodia: vel reducitur in pilulas cum mica panis & deglutitur manè eadem methodo servata, & regimine. Oleum hoc præparatum attrahit tantùm aliquid salis fixi antimonii, & fixat & coagulat perfectissimè mercurium crudum antimonii, itaque cessant omnes illius hypercatharses; vitrum enim remanens postquam lotum est, & desiccatum nullo modo purgat; at est sudorificum medicamentum, veluti pulvis albus antimonii per combustiones multas salis petræ iteratas factus, & flores ipsi postquam combusti sunt, & calcinati & fixati cum sale petra. Quod ego medicamentum sudorificum, valdè probo & laudo, cujus dosis est granorum duodecim ad viginti. Multa alia possent dici de antimonio, sed ea tanta sunt, quanta nemo mortalium excogitare potest, est enim flos totius terræ, & metallorum semen in eo.

Vires & usus essentiæ Antimonii.

Vires & usus essentia Antimonii.

1. Hoc secretum non est cartharticum medicamentum, sed roborans & restaurans adeò naturam, ut si læsa sit, reparetur quàm citissimè, virtute balsami dulcis præsentis arcani.

2. Purificat totam massam sanguinis à mucosis omnibus & serosis humoribus, propter salem suum solutum & dulcem, qui heterogenea alimenti remoti, & proximi fugat, desiccat, & in fuliginem vertit, & adaucto calore naturali,

rali, per poros pellit ad cutem in ſudores, craſſum autem per urinas.

3. Sic lepram curat, & in eo ſolo arcano conſiſtit ejus cura; reparat enim totum hominem, ejusque humidum radicale depurat, ita ut nullas lepræ detur locus.

4. Febres omnes intermittentes quotidianam, tertianam, & quartanam, naturam roborando, & humores quoscunque coquendo, & mitigando, curat; coctos humores foras ejiciendo, per cutis ſpiracula, reliquaque naturæ emunctoria.

5. Dolores omnes ſive ex cauſa frigida, ſive ex cauſa calida ortos quàm citiſſimè ſedat, exterius tepide applicatum propter vim ſuam balſamicam, unde arthritidem perfectiſſimè ſucceſſu temporis curat, aſſumptum & admotum; quia catarrhos omnes ſiſtit, ſalitum humorem dolorem cauſantem temperat & foras educit, tophos, & nodos diſcutit, ſuo ſpiritu, undè eſt in eo arthritidis perfectiſſima cura.

6. Senſus omnes acuit, calorem naturalem multiplicando, & ſpiritus animales refovendo, & multiplicando, quia ſubtiliſſimum & puriſſimum ſanguinem generat, refocillatis omnibus naturalibus coctionibus.

7. Omnia principalia membra corroborat, unde dolores eorum & pathimata omnia cerebri, cordis, ventriculi, hepatis, & lienis ſanat, multiplicato eorum membrorum calore vitali, & humido eorum radicali quo vivunt depurato, & ab omnibus heterogeneis vindicato.

8. Vulnerum omnium eſt verum balſamum; per-

quam citissimè enim ad cicatricem conducit, suo sulphure soluto & liquido, quod balsamum internum convocat ad partem vulneratam, & unà cum eo vulnus agglutinat.

9. Ulcera omnia cujuscunque generis cavernosa, depascentia, & fistulosa, aliaq; ejusmodi, imò & cancrum, & scrophulas ulceratas, brevissimo tempore sanat; quia salem solutum acrem & mordicantem cutis illas apertiones & deformationes causantem mitigat, & dulcem facit, nec corruptionem pati sinit.

10. Uteri omnes affectus tutissimè tollit, & fertilitatem inducit, causas omnes sterilitatis fugando, putà temperamentum frigidum, & supra nimis calidum: spiritus seminis adaugendo, & ulcera omnia uteri agglutinando, & temperando, & serosos omnes ejus humores evacuando, uterumque corroborando.

Sumitur ad quantitatem drachmæ unius in jusculis restaurantibus, vel in aquis stillatitiis cardiacis, & imperialibus, & theriacalibus omnibus, omni tempore, & hora, secũdum necessitatem morbi id postulantis, & præcipuè manè, jejuno stomacho, si morbus det inducias.

Cap. XVI.

De quinta essentia Arcenici.

ARcenicum cristallinum cum pari pondere salis petræ conjunges, & in alchool tenuissimũ omnia reduces, & indes retortæ vitreæ fortissimæ, cui annectes recipiens satis capax, & amplum, juncturisque benè clausis, igne cinerum distillabis, servatis ignis gradibus, primo levis, ultimo fortissimus, & violentissimus, donec exeant omnes Arcenici, & salis petræ spiritus: his egressis, & frigefactis

Arcenici essentia.

vasis,

vasis, recipiens disjungendum est à collo retortæ, & cavendo ab spiritibus qui intrò sunt, quia venenati sunt, ideo illico occludendum est cum luto fortissimo os recipientis, deinde frangenda est retorta, & quod in fundo est pulverandum est, & in novam retortam inducendum, & supra illum pulverem retortæ inditum, spiritus arcenici retenti intra vas recipiens, sunt affundendi, & iterum distillandi, juncturis optimè clausis, ut prius, idque ter aut quater repetendum; donec arcenicum cum salpetra sit perquam optimè calcinatum, tunc temporis adhuc tuum arcenicum forti sigillo impones, & per diem integrum dabis ignem fortissimum, ut quicquid in distillatione calcinari non potuerit, tandem aperto igne calcinetur & comburatur: calx illa arcenici aqua pluviali stillatitia est solvenda; & solutio à terrestribus excrementis depurata & vindicata, clara & limpida filtro facta evaporanda est & desiccanda, & iterum calcinãda fortissimo igne; donec nullas in solutione emittat feces sed tota solvatur calx; & limpida & clarissima permaneat aqua, tunc temporis desiccanda est evaporata aqua, huic denuo affundendus est & connectendus eius spiritus supra reservatus, sed prius oportet ut sit septies rectificatus: hanc conjunctionem facies in matratio, vase vitreo sic dicto, propter rotunditatem quam habet in fundo, & longum collum idq; in balneo tepenti, donec calx suum biberit spiritum, tum demum in alembico vitreo, per balneum separabis quidquid poterit separari humiditatis aquosæ; & remanebit in fundo calx butyrosa Arcenici, miræ virtutis, quam servabis in vasis vitreis optimè clausis.

Vires & usus.

Vires & usus ef-

1. Si calcem solam absque connexione spiritus sui; repe-

repetitis solutionibus & depurationibus in calcinatione levi sæpius iteratá, ad dulcedinem summam reducere possis; & rubedinem summam, aut saltem albedinem; theriacam habes contra omnia venena, tum animalium, tum plantarum, tum mineralium. Si verò connectetur cum suo spiritu, intrà corpus sumi non potest; propterea cave ab ejus dosi interna.

sentia arceni-ci.

2. Exteriùs applicatum valet contra morsus omnes venenatos, & citissimè rabidi canis morsum sanat & curat, tutò & jucundè, absque ulla molestia, quia per causticam suam virtutem & adurentem, venenum parti inditum & ejaculatum comburitur, nec ulteriùs rapit & serpit.

3. Cancrum absque ullo ferè dolore extinguit, & mortificat, & ad cicatricem laudatam reducit, modò corpus & sanguis roboretur; & purificetur arcano antimonii superiùs declarati.

4. Fistulas omnes, & cavernosa omnia ulcera & depascentia curat & sanat, quia corrodit omnē carnem muscosam & spongiosam & fungosam ulcera foventem, & abstergit, & humorem acrem causticat & urit; unde modò corpus perpurgatum sit, facili negotio ulcera seipsa ferè ad cicatricem perducuntur laudatam per balsamum internum partis.

5. Herpetes omnes, scabiem, & cutis omnes asperitates & excoriationes desiccat, & sanat, imò & lentigines, & faciei maculas delet; at est in ea cura cautela adhibenda summa, sunt enim lentigines solæ & maculæ baculo levi & acuminato ea butyrosa substantia intincto tangen-

tangendæ; deindè aqua fontana lavandæ, & posteà oleo tartari tota facies colluenda, donec pedetentim cutis illà lentiginosa & maculosa auferatur; & in furfureos atomos abeat.

Applicatur exterius per se, tepidè, ulceribus omnibus, vel miscetur unguentis appropriatis, donec ulcera omnia ad cicatricem perducantur laudatam, perlotis ulceribus interdum vino optimo & oleo simul mixtis.

Cap. XVII.

De quinta essentia Auripigmenti.

Auripigmenti essentia.

AUripigmentum est species Arcenici, differt autem ab Arcenico, colore tantùm & coctione. Auripigmentum percoctum est fortiùs in centro terræ, unde sulphur ejus, rubeum habet colorem à calore diuturniore: hinc etiam minus venenum est, quàm ipsum Arcenicum quod propter cruditatem sui sulphuris & mercurii potentissimum est venenum. Ex ejus autem centro, educuntur multa medicamenta chymica, quæ venenata non sunt, at mitissima & naturæ amica, inter quæ est potissimum sequens. Auripigmentum pulverandum est & permiscendum cum duplo sui ponderis Salispetræ, & igniendum in tigillo, donec tota detonaverit Salpetra, & Auripigmentum sit perquàm optimè calcinatum, quod adhuc est igniendum in tigillo eodem per diem integrum, ut spiritus omnes auripigmenti exeant & abeant, cavendo interim ab his & dũ calcinatur, & dum ignitionem patitur, quia venenati sunt. Frigefacto tigillo calx auripigmenti à Salepetra vindicanda est per lotiones multas aqua limpida fontana factas, tum demum calx illa dènuo pulveranda & cum pari pondere florum sulphuris, & Sa-

& Salispetræ iterum calcinanda, & ignienda in tigillo forti, donec albiſſimum habeat colorem. Lota tandem calx, & vindicata à Salepetra, reverberanda eſt per menſem unũ integrum in vitro clauſo luto munito, in furno reverberii, donec colorem adepta fuerit rubeum; tunc quieſcendum à reverberio, & calx rubea ſolvenda eſt cum ſpiritu ſalis, à phlegmate ſuo vindicato, in balneo tepenti donec tinguatur ſpiritus ſalis & ſolvat partem calcis: hunc ſpiritum tinctum ſeparabis per inclinationem, & novum addes, donec tota calx ſoluta fuerit & in ſpiritum ſalis verſa. Solutiones illas omnes vitro impones, hoc eſt retortæ, & dabis ignem cinerum, & pelles per diſtillationem levem primo ſpiritum ſalis, tandem ultimo augendo ignem, ſtillabit tinctura rubicundiſſima auripigmenti, quã recipies mutato recipiente, & ſepties rectificabis, & ſervabis in phialis optimè clauſis ad uſus.

Vires & uſus Arcani prædicti.

Vires & uſus eſſentiæ auripigmenti.

1. Mirum eſt quod è ſummo veneno, fiat ſumma theriaca: iſta tinctura certiſſimè quæcunque venena, & quaſcunque venenatas & peſtilentes in corpore noſtro latitantes qualitates extinguit, ſuo oleo, quod ſulphur ſummoperè coctum & depuratum habet.
2. Vires auri potabilis æmulatur in reparanda juventute; & humido radicali, à cauſis præter naturam depaſto, quod humidum ſuum ſit æquale noſtro humido radicali in ſubſtantia materiali & elementali ſpermate.
3. Vulnera omnia venenata curat ſuo balſamo, quod peculiari quodam ſulphure, quod continet, venenum omne extinguit, unde etiam in febribus omnibus peſtilentibus & conta-

giosis sanandis nihil commodius adhibetur.

4. Ulcera quoque maligna, & malæ qualitatis depascétia, cavernosa, fistulosa, cancrosa, & scrofulosa mirè curat, nullo dolore, quia humores illos malignos ulcus facientes extinguit, & mutat, & partem læsam restaurat, reparato illius humido radicali & depurato.

Sumitur cum jusculis à quantitate ℥ j. ad ℥ ij. manè jejuno stomacho, vel exteriùs applicatur, partibus læsis, per se cum gossipio, vel miscetur butyro, & tepidè applicatur.

Cap. XVIII.

De quinta essentia Rubini.

Essentia Rubini.

Frustula Rubinorum seu granatorum accipies, & ter aut quater cum pari quãtitate sulphuris, & salis petræ in tigillo ignies, & calcinabis, repetitis ignitionibus seu calcinationibus, donec pulvis albissimus sit: tunc lavabis tuum pulverem aqua tepida, & à sale vindicabis: pulverem tuum probe depuratum & desiccatum ignies, per duos aut tres dies in tigillo forti, hunc pulverem ita calidum, & igne cãdentem, si fieri potest, injicies in vitrum spiritu salis rectificato plenum, pedetentim injiciendo tuum pulverem ne nimis ebulliat, & ebulliendo limites & ora transeat spiritus salis, & effundatur: cessata ebullitione matratio indes tuum pulverem cum liquore suo, & orificio clauso digeres per quindecim dies in balneo bullienti, donec solvatur pulvis, qui si in prima digestione totus non solvatur, effuso per inclinationem primo spiritu, affundatur necesse est novus spiritus & digeratur ut prius, donec solutus fuerit totus pulvis: has omnes solutiones vitro claudes, & digeres per mẽsem in balneo tepenti, ut melius solvatur, & in aquam transeat quicquid tem-

Melior solutio est cum spiritu mercurii arido.

pore

pore breviori solvi non potuerit: deinde per retortam distillanda est aqua spirituosa salis: ultimò augendo ignem mutato vase, colligenda est rubini essentia rubicundissima, quę si tota non ascendat, sed maneat aliquid in fundo retortæ quod habeat aliquid consistentiæ, iterum id omne dissolvendum est cum egressò spiritu salis, & per aliquod dies digerendo, & distillando per retortam, donec tota substantia rubini ascendat, quæ si benè non rubeat, cum novis rubinis pulveratis connectenda est, & digerenda donec coloretur: tunc servanda est ad usus medicos in phialis optimè clausis.

Vires & usus.

Vires & usus essentiæ Rubini.

1. Cardiacum est summum medicamentum, & aërem venenosum ac pestiferum fugat, à peste præservat, & ab omnibus morbis venenatis & contagiosis propter suum salem dulcem, & summè temperatum & digestum.
2. Sanguinem summoperè depurat, & emundat, ab omnibus ejus vitiis, & hepar roborat, & omnia viscera interna, calorem vitalem & humidum radicale multiplicando, per suum balsamum nostro univocum & æquale.
3. Vires auri potabilis æmulatur, & valet ad juventutem restaurandam, canitiemque retardandam, & melancholicos humores & affectus, tristitias & angores omnes fugandos & depellendos per suum humidum radicale.
4. Valet exteriùs applicatum ad vulnera omnia curanda, & ulcera quæcunque, quia impedit humores à corruptione quacunque, & convocat humidum radicale laudatum, & balsamum naturale, quo pars dissoluta brevi tem-

pore ad cicatricem & naturalem unionem perducitur.

Sumitur in juſculis, à quantitate ʒ ß. ad ʒ j. omni hora, & tempore ſecundùm neceſſitatem morbi curandi, vel applicatur exteriùs in vulneribus & ulceribus curandis tepidè, cum goſſipio vel linteo; eo arcano nadefacto, vel miſcetur butyro, & perungitur pars tepidè.

Cap. XIX.

De quinta eſſentia Smaragdi.

Smaradi eſſentia.

In calcinatione ſmaragdi poteſt addi aliquid cupri limati, ſic cũ metallis melius & fortius calcinatur lapides omnis generis, & eorũ eſſentia fortior eſt.

Smaragdi pulverati connectendi ſunt cum pari quantitate ſalis petræ, ſulphuris, & igniendi, ter aut quater repetita ſemper doſi ſalis petræ & ſulphuris, donec peroptimè calcinati ſint ſmaragdi: tunc demum aqua tepida perlimpida lavandi ſunt, & ſale vindicandi; totiesque repetenda eſt lotio, quoties guſtu percipitur acrimonia & ſalſedo quædam. Pulvis demum ſmaragdinus à ſale vindicatus, qui inter lavandum fundum ſemper petit, hypoſtaſis inſtar, deſiccandus eſt, & per duos dies integros aut quatuor igniendus eſt igne continuo; & fortiſſimo, quantum fieri poterit, cavendo tamen ne materia vitrificetur, & in vitrum abeat: deinde ſolvenda eſt calx hæc, aceto acerrimo ſtillatitio, donec tota abeat in acetum per repetitas effuſiones aceti recentis ſtillatitii in pulverem qui fundum petit: hæ omnes ſolutiones ſunt digerendæ per quindecim dies in balneo tepenti, in phiala vitrea optimè clauſa: deinde evaporandum eſt acetum in vaſe argenteo aut vitreo: Salem qui remanet in fundo, depurandum præcipimus per repetitas ſolutiones cum optimo vini ſpiritu alchoolizato; & ejectis fecibus in ſingulis ſolutionibus filtro commiſſis, donec peroptimè candeſcat ſal ſmaragdinus, & lique-

Cũ ſpiritu rectificato ſalis aut mercurii fiet optima ſolutio.

tur

tur in calido, leviſſimo calore, inſtar butyri aut ceræ, tunc demum connectendus eſt cum duplo ponderis ſpiritus ſalis communis rectificati, & à phlegmate vindicati, & cum pondere uno pulveris ſmaragdini recentis non calcinati, & ſimul in vitro omnia collocando, & orificio clauſo digerendo, ut ſpiritus ſalis vireſcat, ut ſmaragdus: tunc demum per inclinationem evacuandus eſt ſpiritus ſalis tinctus & coloratus, & novus effundendus, donec non amplius coloretur. Spiritus deinde tinctus & coloratus omnis diſtillandus leviſſimo calore, donec remaneat in fundo retortæ tinctura ſmaragdi veluti mel ſpiſſa & denſa, quæ demum erit diſtillanda, & ſervanda in phialis peroptimè clauſis ad uſus medicos varios ſtupendæ virtutis.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentiæ Smaragdi.

1. Viſum defatigatum ex intuitu, ſolo aſpectu, ad hunc mirandum arcani præſentis colorem reſtaurat ac conſervat, propter viridem ſuum colorem.
2. Omnes ſenſus acuit, & præcipuè viſum quem maximè fovet & reſtaurat multiplicatis ſpiritibus animalibus, & calore vitali cerebri adaucto & multiplicato.
3. Omnes cerebri affectus & pathimata, & præcipuè epilepſiam, & lethargum tutiſſimè & certiſſimè ſanat, quia cerebrum omnibus cerebri ſpurcitiis depurat & mundat, evacuatis omnibus ſeroſis humoribus, & vaporibus atris diſſipatis per ſuum ſpiritum æthereum vitalem aut vitali ſimilem & univocum.
4. Dæmoniacas illuſiones & melancholicas, & phantaſmata omnia, & ſomnia melancholica, diſſipat & avertit, propter eandem & ſimilem rationem.

5. Hemitritæum ſanat & curat, & reliquas febres intermittentes, quia humores putrentes in corpore & præcipuè bilem per inſenſibilem tranſpirationem educit ſudoribus & urinis, narcotico ſuo ſulphure vitrioli & martis univoco & ſimili.

6. Manias omnes, & phrenitides domat & temperat, quia bilis utriusque fervorem & ebullitiones edomat, & refrigerat.

7. Fluxus omnes ventris, dyſenterias, & lienterias, & diarrhœas omnes, cum hepatico fluxu, & menſtruis copioſioribus, cum ipſomet abortu prohibet, & compeſcit, propter ſalem & ſulphur, quod continet ferri, ſalis, & ſulphuris ſimile & æquale.

8. Ulcera etiam omnia phagædenica, & depaſcentia, fiſtuloſa, & cancroſa ad cicatricem laudatam conducit breviſſimo tempore, propter balſamicum oleum quod in ſe continet, ex ſulphure ſuo perfectiſſimè cocto & ſummè depurato.

9. Venenoſis animalium morſibus, & præcipuè canis rabidi ſummum eſt medicamentum ex ſulphure ſuo & ſale cardiaco.

10. Leproſis ſummoperè convenit, quia mirificè ſanguinem depurat ſuo ſale perfectiſſimè cocto, & puro, qui omnia ſanguinis vitia delet, & corruptiones omnes impedit.

Sumitur à quantitate ʒ j. ad ʒ ij. in juſculis, vel ovis ſorbilibus, vel in aquis imperialibus & theriacalibus ſtillatitiis, morbo curando convenientibus, idque omni tempore, & hora, ſecundum neceſſitatem morbi curandi.

CAP.

CAP. XX.

De quinta essentia Lapidis Magnetis.

ESsentia ferri superius tradita, capite suo peculiari, sumenda est, ut essentia magnetis integra, & incontaminata haberi possit, in eamque essentiam puram & limpidam, magnetem affundes pulveratum & in alchool reductum in phiala oblongi colli: orificioque obturato in balneo tepenti digeres per noctes & dies quindecim. His peractis impones retortæ, luto munitæ, & ad cineres distillabis, servatis ignis gradibus, primò lentus erit ignis, medio mediocris, ultimò fortissimus: caput mortuum seu magma, quod remanet in fundo retortæ post distillationem eximendum est fracta retorta, & pulverandum, & in tigillo, fortissimo igne, & per diem integrum continuò calcinandum: tum demum fortissimo, & acerrimo aceto solvendum, & sal ex calce extrahendum est, & permultis lotionibus, & calcinationibus ad summum candorem perducendum, aut tandem ad majorem perfectionem ad rubeum colorem, & solutionem facilem conducendum: hoc ultimò sal connectendum est cum essentia ferri, spiritu magnetis impraegnata, & digerendum per tres aut quatuor dies in balneo tepido, & per balneum abstrahendum est distillatione quicquid poterit ascendere. Reliquum verò digerere oportet in igne levi & continuo, donec fixum sit omne, ita ut per distillationem fortem ascendere non possit, at in fundo vasis distillatorii maneat fusum, & liquatum tanquam metallum, aut Salpetra liquata, cujus humidum adeò ligatum est suo sicco, ut vi ignis separari non possit, nisi carbonibus immediatè tangatur: hoc prædictũ dein-

Magnetis essentia.

Magnetis essentia citus fit, si cũ aceto mercurii, ferrũ solvatur, & in illa solutione depurata, magnes solvendus imponatur, & per digestiones varias ad perfectionẽ deducatur.

deinde arcanum summoperè custodiendum est tã-quam miraculosum in curandis vulneribus & si-stendis omnibus sanguinis fluxibus, ut experientia certum fiet.

Vires & usus.

Vires & usus essentia Magnetis.

1. Ferrum quocunque modo ligatum ligno, & parietibus affixum violentissimè ad se trahit, ita ut magicum videatur instrumentum, propter sympathiam quam hęc essentia cum ferro habet.
2. Cum hoc arcano artificium quod stupendum & miraculosum descripsimus in nostro Palladio spagirico, capite quinto de calcinatione mineralium, perficitur, & stupendos vides effe-ctus.
3. Dysenterias, Lienterias, diarrhœas omnes certissimè & tutissimè sanat & curat, propter adstringentem & stipticum salem quem in se continet, qui catharros omnes sistit, & humores aquosos & serosos exsiccat & exhaurit, & propter oleum dulce, quod acrimoniam humorum temperat & emulcet.
4. Sanguinis etiam omnes excretiones, & eiectiones, hepaticum fluxum, & vulnerum hæmorrhagiam ingentem & stupendam compescit, & exsiccat propter eandem rationem.
5. Vulnera etiam & ulcera quæcunq; agglutinat & ad cicatricem laudatam perducit brevissimo tempore, propter oleum suum dulce, quod virtutes balsami naturalis æquat, imò superat, propter suam coctionem perfectam & depurationem.
6. Spasmum & stupores omnes membrorum curat, quia spiritus animales multiplicat & adauget,

auget, & calorem naturalem & vitalem partim fovet & nutrit.

7. Hydropiſim curat, quia ſeroſos omnes humores, & aquoſos exhaurit & exſiccat ſua ſiccitate, & in corruptionem abire non ſinit propter ſalem & balſamum.

8. Spleneticis ſummoperè prodeſt, imò tandem curat, propter eandem rationem, & quia attenuat ſanguinem & depurat, exhauſtis ejus ichoribus & ſeroſis humoribus corruptis & putridis.

9. Alopeciam curat inuncto capite, quia calorem naturalem & vitalem pericranii adauget & fovet, & ſic convocat humores nutriendis capillis idoneos & aptos.

10. Si domus fumigetur hoc arcano, omnia ſusque deque verti videbuntur; ita ut fugiant omnes morantes in ea, quia fumus ejus ad cerebrum devectus inebriat, & ſpiritus animales adeò multiplicat & adauget, ut cerebri ipſius ſubſtantia, & oculorum tunicæ & humores ſubſultent.

Sumitur in quantitate modica, ad ſcrupulum nempe dimidium, aut ad guttulas decem aut duodecim in vino optimo, vel in aquis appropriatis morbo curando, idque manè, jejuno ſtomacho; vel applicatur exteriùs per ſe vulneribus & ulceribus, & partibus dolentibus calidè, ſuperpoſitis linteis, vel miſcetur unguentis, aut butyro, aut oleis & eſſentiis, & arcanis aliis morbo curando appropriatis, vel majorem efficaciam: & ſic ſtupendos videmus effectus.

CAP. XXI.

De quinta eſſentia Margaritarum.

MArgaritæ in alchool tenuiſſimum redactæ ſolvendæ ſunt aceto acerrimo ſtillatitio multoties rectificato. Solutionem omnem in balneo tepenti per menſem integrum digerendam præcipimus, ut melius margaritarum diſſolvatur compago: digeſta materia per balneum diſtillanda eſt, reliquum verò evaporandum in ſcutella argentea, & ſiccandum. Siccatum iterum ſolvendum aceto acerrimo, & iterum evaporandum eſt omne humidum, ſalque margaritarum qui remanet in fundo purificandus eſt, & ſummopere depurandus, donec dulcis ſit, & fundatur & liquetur facillimè ſicut cera: tunc demum cum vini alchoole puriſſimo circulandus eſt per octo dies in vaſe clauſo, deinde diſtillandus eſt ille liquor precioſus & coobando ſublimandus eſt ſal margaritarum donec aſcendat nive candidior & ſaccharo ipſo dulcior, qui per ſe ſervari poteſt in phialis optimè clauſis, aut cum liquore aureo permiſceri & ſervari ad uſus miraculoſos. Margaritarum eſſentia optimè fit in aceto antimonii quod extrahitur ex ejus gummi quod ſtillatur ex ſublimati & antimonii æqualibus partibus: gummi hoc in maximam aquæ fontanæ quantitatem proiicitur, ut in ea deponat acetoſitatem ſuam, quæ deinde per diſtillationem ſeparatur, & ad coralla & margaritas ſolvendas conſervatur.

Vires & uſus.

Vires & uſus eſſentiæ Margaritarū.

1. Cardiacum eſt potentiſſimum & auri virtutes fere æquat, omnibus morbis curandis adhiberi poteſt, quod humidum radicale noſtrum robo-

roboret, & depaſtum à cauſis præter noſtram reſarciat, ſuo oleo dulci perfectiſſimè cocto & depurato.

2 In contracturis, reſolutione nervorum, convulſione, & phrenitide, omnibusque cerebri inflammationibus commodiſſime adhibetur, quia cerebrum mirificè roborat, ſpiritus vitales auget, & multiplicat animales.

3 Prophylacticum eſt Apoplexiæ, & vertiginis, & omnium reliquorum cerebri affectuum, quia roborat cerebri calorem vitalem ſummoperè, & omnes frigidos humores & viſcoſos ab eo expellit.

4 Contra calculum eſt ſingulare remedium, propter ſpiritum ſalis ſui, qui coagulata omnia diſſolvit & in aquoſam vertit ſubſtantiam.

5 Certiſſimum eſt præſervativum contra paralyſim, & curativum, ſi bis in die ſumatur cum vino optimo, aut ſpiritu vini propter rationes anteà dictas & declaratas.

6 Fortificat humorem vitæ, & naturam in omnibus membris, unde curat omnes fere affectus, aut ſaltem mitigat propter reparationem humidi radicalis.

7 Fœtum in utero mirifice roborat, & reſtaurat, uterumque adeo roborat, ut ab omnibus ejus affectibus continuo utendo tandem liberet: ſterilitatem præcipue fugat.

Sumitur à quantitate 3 ß. ad 3 j. in juſculis, vino optimo, ſpiritu vini, ovis ſorbilibus, aquis ſtillatitiis cinnamomi, aniſi, & imperialibus & theriacalibus, mane, jejuno ſtomacho, & quocunque tempore & hora, ſecundum neceſſitatem morbi curandi.

Cap. XXII.

De quinta essentia coralli rubei.

Coralli essentia. Vtere loco aceti communis aceto antimonii & mercurii & videbis optatum hoc n. acetũ miras efficit solutiones.

Sal fixus & purus coralli acquirit per se coctione longa colorem rubeum.

CORalla minutissimè trita, & in alchool, tenuissimum reducta, dissolvenda sunt aceto acerrimo, & digerenda in balneo tepenti per aliquot dies, donec repetitis solutionibus omnia coralia dissolvantur: tunc demum dissolutiones claræ & filtro commissæ evaporandæ sunt in vase argenteo aut aureo, ad siccitatem. Sal deinde solvendum aquis fontanis aut pluvialibus stillatitiis, & purificãdum evaporationibus, desiccationibus & solutionibus multoties iteratis, donec apprime mundetur & vindicetur ab omnibus terrestribus excrementis, & fundatur sicut cera, & dulce fit tanquam saccharum, & clarum tanquam crystallus: tum demum coralla de novo sumenda sunt & pulveranda sunt, & cum pari quantitate salis ammoniaci connectenda, & simul sublimanda sunt, donec sal ammoniacus rubicundissimus ascendat, attracta secum tinctura coralli, quam separabis à sale ammoniaco, cũ optimo vini spiritu alchoolisato, & ab omni phlegmate vindicato, donec sal ammonicus albus remaneat ex affusionibus spiritus vini, qui spiritus levissimo igne abstrahendus per distillationem, & quod remanet in fundo erit connectendum cum sale superiùs præparato & dulcorato; & sic habebis salem coralli rubicundissimum, admirandas habens virtutes, servandum in phialis optimè clausis ad usus.

Vires & usus.

Vires & usus essentiæ coralli.

1. Hujus arcani tanta vis est in mundificando & depurando corporis universo sanguine, ut omnibus morbis & affectibus ex corrupto sanguine

guine oriundis, exhiberi possit; quia ex suo sale id potest & tinctura, unde leprosis summoperè convenit.

2. Sistit omnes fluxus muliebres immodicos in aqua plantaginis suo stiptico sale, & tinctura; ut & omnes ventris fluxus; & alios omnes sanguinis præter naturam.

3. Confortat & roborat cor summoperè, & stomachum, & calidum innatum restaurat, propter suum humidum, nostro humido ferè æquale.

4. Concretum sanguinem dirimit ex spiritu suo & sale soluto, qui omnia concreta dissolvit, unde & calculosis, & sabulosis peroptimum est remedium in aqua ononidis.

5. Vulneribus venenatis & aliis simplicibus, & ulceribus omnibus summum est medicamentum, si balsamo alicui permisceatur; quia suo sale sanguinem mundante, & stiptico, cicatricem accelerat.

Sumitur à quantitate ʒß. ad ʒj. in jusculis, ovis sorbilibus, aquis morbo curando idoneis, & aquis theriacalibus & imperialibus: vel miscetur oleis balsamicis, & applicatur exteriùs, ad curanda vulnera, & ulcera, tepidè illinendo.

Cap. XXIII.

De quinta essentia lapidis Aquilæ.

Lapis Aquilæ contusus & pulveratus connectendus est cum pari quantitate salis nitri & sulphuris, & in tigillo forti ad ignem fortissimum igniendus est, & per tres aut quatuor dies cõtinuos in eo igne retinendus, donec optimè calcinetur & comburatur. Tunc demum à sale nitro per lotionem

Lapidis Aquilæ essentia.

hem

nem aquæ dulcis multoties iteratam calx est vindicanda, & huic calci probe lotæ & ad ignem desiccatæ affundendum est in vitro acetum acerrimum stillatitium, & vitro clauso digerēdum est id omne per quindecim dies in balneo tepenti: tum demum evaporandum est acetum affusum in vitro magni oris, aut in scutella argentea; deinde post desiccationem iterum calcinandum est sal illud, in fundo remanens, & igniendum per tres aut quatuor horas; ignitum solvendum est aqua pluviali stillatitia, solutum filtrandum est ut probe depuretur, ab excrementis omnibus, filtratum evaporandum est, & desiccandum, desiccatum igniendum, & calcinandum ut prius, donec sal habueris probe purum & nitidum, sicut cera fundens, & dulce sicut saccharum: tandem sal illud limpidum & clarum, & ad hanc perfectionem deductum connectendum est cum spiritu vegetabili æthereo ex succo ononidis, aut saxifragiæ extracto, in balneo tepenti per duos dies; deinde servandum in phialis optime clausis ad curam absolutam calculi, tum renum, tum vesicæ. Simili autem methodo poterit parari arcanum ex lapidibus calculorum microcosmi, ex lapide Judaico, Lyncis, spongiæ, Crystalli & silicibus omnibus ad eosdem usus, at sufficit hoc unicum arcanum ad viam & methodum aliorum præmonstrandum; si quis ex lapidibus prædictis habere cupiat, propter copiam fortasse horum lapidum, qua abundat unusquisque in sua patria.

Vires & usus.

1. In omnibus calculorum generibus, in quibuscunque

cunque ſint locis & membris mirè efficax, ſumendo ſingulis lunæ quadris, cum aqua ononidis, ſummo manè, jejuno ſtomacho, à quantitate drachmæ unius ad duas: poteſt ſiphunculo injici in veſicam ad calculum diſrumpendum, & miros, & ſtupendos præſtat effectus.

Vires & uſus eſſentiæ lapidis aquilæ.

Poteſt eadem methodo extrahi quinta eſſentia ex omnibus aliis lapidibus, tum precioſis, tum aliis communibus, quorum virtus & efficacia centupla multiplicatur, dummodo tenui ſubſtantia includatur: craſſæ enim elementorum partes, virtutes & proprietates mixtorum obtundunt.

Finis libri Tertij.

DE

DE OLEIS CHYMICIS ARTE PYROTCHENICA PRÆPARATIS,

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

De Oleo Rosaceo & Violaceo; Nymphaæ, Papaveris; Hyoscyami, & Mandragoræ.

Oleum Rosaceũ Violaceum, Nymphæa.

OLea hæc omnia una & eadem methodo præparari possunt quæ multò potentiùs agunt, & efficaciores multò habent virtutes; quàm communi & vulgari præparatione, quæ fit per insolationem florum prædictarum plantarum in oleum olivæ infusorum; unde meritò dici potest; oleum olivæ potius quàm rosaceum aut violaceum. Quidquid enim ex floribus & plantis in oleũ olivæ infusis relinquitur in prædicto oleo olivæ, adeò paucum est & futile, ut hæc olea nihil habeant virtutis spectatæ. Ex floribus enim, foliis, caulibus, & radicibus plantarum, per istam infusionem & insolationem nihil expectatæ virtutis elici potest, quòd oleum olivæ nihil recipere valeat, quod non sit eiusdem substantiæ, & sibi homogeneum: oleũ verò quod residet in ipsis plantarum substantiis, non ita facilè attrahitur ab oleo olivæ per solam infusionem; in nonnullis saltem plantis, quibus valdè paucum est oleum, & humido

aquoso

aquoso adhuc inseparabili nexu commixtum. Ex aliis verò quibus est copiosum & turgens, ut in seminibus nonnullarum plantarum extrahi, & attrahi quidem potest per oleũ olivæ: at cum illi permisceatur, diminutæ est semper virtutis, propter illam permixtionem. His itaque de causis methodum excogitavimus, quâ olea pura & integra, absque ulla permixtione ex omnibus plantis elici possunt, integro & inviolato ipsius plantæ odore, & proprietate quacunque. Est autem methodus sequens. Ex gemmis rosarum, vel Violarum, Nymphææ, Papaveris, & Hyoscyami, vel ex collecta tota Mandragoræ substantia, siccis omnibus & aridis, replenda est concha, ad descensum propria, & ignibus suppositis extrahendum est quicquid olei potest extrahi, per combustionem & incinerationem omnium quæ in concha terrea, aut cuprea, aut ferrea reperiuntur. Oleum distillatum separabis ab aqua fœtida, & empyreuma summoperè redolente, & separatum oleum conjunges cum certa quadam quantitate vitrioli ad rubedinem calcinati, ita ut oleum ferè totum imbibatur à calce, idq; omne impones in retortam vitream luto munitam, & distillabis igne cinerum, servatis ignis gradibus, donec totum oleum ascensum & distillatum sit. Quod si in prima distillatione totum empyreuma non deposuerit, calci iterum connectendum est, novæ & recenti, & retorta iterum distillandum, donec omne deponat empyreuma, quod tertia saltem distillatione continget. Postquam autem deposuerit totum empyreumatis odorem, flores rosarum recentium (si sit oleum rosaceum) infundendi sunt in istud oleum, & insolandi sunt per quindecim dies, donec oleum, gratissimum rosarum odorem recuperaverit, qui odor multiplicari

poteſt reiteratas infuſiones. De Violis, Nymphæa, Papavere, Hyoſcyamo, & Pomis Mandragoræ, eadem methodus ſervanda eſt.

Vires & uſus.

Olei Ro-ſacei [illegible] ei, & Vi-res.

1. Oleum [illegible] ſic præparatum putum & putum eſt, & guttula unica æquipollet, imò antecellit viribus libræ unius, alterius communiter, & vulgariter præparati.
2. Iuflammationes omnes, & ſtomachi ardores extinguit, propter ſulphur narcoticum, quod in ſe continet, mediocriter frigidum; propter pinguedinem aquæ, & aëris quam præpollentem aliis elementorum pinguedinibus habet.
3. Roborat, denſat, fluxionesque ſiſtit, propter ſalem ſtipticum, & aſtringentem quem continet, ex ſale terræ.

Oleum autem violaceum, easdem ferè habet vires in ardoribus extinguendis, & inflammationibus omnibus, juvat ultrà pleuriticos, pulmonisque vitia lenit propter catarrhos quos ſiſtit, ex ſulphure ſuo narcotico, & propter ſalem ſuum, qui ulcera abſtergit & agglutinat; unde balſami imitatur vires.

Oleum Nymphææ magis refrigerat, ardoresq; præcipuè renum, veſicæ, & capitis, ac etiam delirium compeſcit, accerſitque ſomnum; quia ſuũ ſulphur magis narcoticum eſt: eſt autem tale, propter majorem copiam pinguedinis aquæ quam in ſe habet, quæ multò præpollet aliis elementorum pinguedinibus.

Oleum verò Papaveris, Hyoſcyami, & Mandragoræ, omnia efficacius præſtant, quàm Nymphææ oleum; quia adhuc hæc olea ſulphur magis narcoticum habent quàm prædictum, ex co-

ex copiosiori aquæ pinguedine quam secum habent crudam & incoctam, unde est calori vitali contrarium, eumque calorem vitalem extinguit propter contra-[illegible]tatem.

Sumuntur ad quantitatem g[illegible]arum decem aut duodecim interiùs: exteriùs verò ad quantitatem drachmæ unius applicantur.

Cap. II.

De Oleo Cydoniorum.

Cydoniorum oleum.

PAratur hoc oleum ex cortice, semine, & magmate, quod residet ex expressione succi: cortices, semen, & magma colliguntur in maxima quantitate, & sole siccantur, & siccata concha cuprea aut ferrea includuntur, & per descensum distillantur ignibus superpositis secũdùm artem, vasisq; dispositis secundùm methodum descendendi communem & vulgarem: extrahitur oleum simul cũ aqua; aqua separatur ab oleo, oleum rectificatur per retortam cum vitriolo ad rubedinem calcinato ter aut quater, singulis vicibus vitriolum mutando, donec fœtorem omnem & empyreuma oleum rectificandum deponat: nec in hac rectificatione timendum est, quòd oleum novas quasdam & peculiares acquirat proprietates, & virtutes ex connexione vitrioli; quia vitriolum in calcinatione forti & violenta suos spiritus exhalavit, ita ut in hac rectificatione solum exeat oleum purum & mundum, retentis partibus terrestribus empyreuma redolentibus in fundo retortæ, unà cum calce vitrioli, quæ cùm sicca sit, & arida valdè, siccas illas olei partes combustionem sapientes secum rapit, & retinet. Quod si sint aliqui adhuc, qui hanc methodum nõ probent, & gaudeant [illegible] puris oleis, modò non recusent laborem, [illegible]terunt hoc oleum cydonio-

rum habere purum nitidum, nullo pacto fœtens, & empyreuma redolens; si postquam per descensum distillatum fuerit, rectificent illud per retortam cum cineribus eorundem cydoniorum, tum pomorum, tum arborum, ad albedinem summam calcinatis, & unà cum oleo in retorta permixtis loco vitrioli, servata eadem & simili methodo, cohobando ter aut quater prædictum oleum super recentes & novos cineres, donec totum deponat fœtorem: huic deinde oleo connectenda sunt cydonia cortice, carne, & semine tusis, & permixtis cum prædicto oleo, in vase vitreo, ita ut oleum supereemineat cydoniis uno aut altero digito: & vas clausum & obtusum insolandũ est per quindecim dies: his transactis in vase cupreo omnia bulliant horis quatuor, aut donec humiditas omnis in fumũ abierit: expressis tandem cydoniis, & ab oleo probe emunctis, in hoc oleo iterum succus incoquendus est, donec in fumum abeat, idque ter aut quater repetendum, & tandem ultimò servandum est oleum summoperè efficax, cujus guttula unica, præpollet viribus libræ unius alterius olei vulgariter præparati.

Vires & usus.

Vires & usus olei Cydoniorum.

1. Refrigerat summoperè & astringit, ventriculo, jecori, intestinisque imbecillis accommodatum; hinc vomitum, alvi profluvium, sudoremque illitu sistit, & cholericos omnes affectus curat, propter salem crudum & incoctũ terrestrem quem secum continet.

Sumitur per se in ovis sorbilibus, vel in aquis stillatitiis morbo appropriatis ad quantitatem triũ aut quatuor guttarum, vel exteriùs applicatur permixtum aliis oleis communiter præparatis, vel misce-

miſcetur unguentis morbo curando appropria-tis.

Cap. III.

De oleo Myrtino.

Paratur hoc oleum ſimili methodo, ac via ut cydoniorum, ex myrti baccis, foliis, & trunco; in concham cupream ad deſcenſum propriam impoſitis, & combuſtis, donec omne humidum ſive oleoſum & aquoſum expreſſum ſit per ignem, & infra concham demiſſum. Quod deinde ſeparatum ab aquoſo humore, rectificandum erit ſuper tuos cineres ad albedinem calcinatos in retorta vitrea, donec totum depoſuerit fœtorem & empyreumatis odorem, quod in tertia aut quaterna rectificatione contingit. Huic deinde oleo puro, & nitido & ab empyreumate vindicato, myrtum floridum & recentem, contuſum mediocriter infundes, & inſolabis in vaſe vitreo peroptimè clauſo, per quindecim dies: deinde digeres per quatuor horas in cineribus calidis, uſq; ad ebullitionem, & exprimes, oleumque ſic mundum, & à magmate ſuo probè emunctum ſervabis ad uſus.

Oleum myrt. & vires & uſus.

Vires & uſus.

1. Refrigerat, aſtringit, & roborat, propriè verò, cor, ventriculum, cerebrum atque nervos: unde affectionibus calidis harum partium medetur ſummo cum adminiculo, & ægrotantium ſolatio, propter eaſdem & ſimiles rationes quas retulimus de viribus olei cydoniorum.

Sumitur ad quantitatem guttularum trium aut quatuor in aquis morbo appropriatis & convenientibus, vel applicatur exteriùs per ſe, vel miſcetur unguentis refrigerantibus.

CAP. IV.

De oleo Mastichino.

Masti-cha o-leum.

MAsticha pura & munda colligenda est & ad quantitatem libræ unius permiſcenda est aquæ roſaceæ libra unica, & omnia ſimul commixta indenda ſunt retortæ vitreæ, & juncturis optimè clauſis cum recipiente collocanda eſt retorta in ſummo cinerum, & igne ſuppoſito, primò levi, ſecundò fortiori, ultimò fortiſſimo, & violentiſſimo, abſolvenda eſt diſtillatio: oleum ſeparandum eſt ab aqua, & cum aqua roſacea recenti & nova rectificandum eſt ter aut quater, mutando aquam roſaceam in ſingulis rectificationibus, donec omnem depoſuerit fœtorem.

Vires & uſus.

1. Corroborat ventriculum ſummoperè, ſale ſuo aſtringenti eodemque impedit corruptiones alimenti in ſtomacho, unde lienteriæ ſuccurrit, & omnibus alvi fluxibus ex indigeſtione ventriculi provenientibus, idque admotum exteriùs & interiùs aſſumptum cum ſucco limonum ad quantitatem guttularum trium aut quatuor.
2. Defluxiones etiam capitis in partes inferiores mirifice prohibet; quia ſuo balſamo cerebrum corroborat, ſpiritus multiplicat, & calorem vitalem fovet & ſuo ſale exſiccat humidas excretiones: dolores quàm citiſſimè uteri ſedat.
3. Roborat etiam ſummoperè hepar, & lienem; unde omnibus harum partium affectionibus ſuccurrit, & præcipuè hepatico fluxui, propter eaſdem rationes: eius adhuc vires multi-

plicari

plicari possunt si conjungatur aliis essentiis & arcanis, superiùs secundo libro enumeratis, ut videre est clarius capite 4. libri secundi, ubi de quinta essentia mastichis tractatur.

Sumitur exteriùs & interiùs, exteriùs applicatur per se tepide, regioni ventriculi, hepatis, & lienis, ad harum partium affectiones curandas: aliquando miscetur unguentis appropriatis & morbo curando convenientibus: sumitur etiam interiùs ad dysenterias lienterias, & capitis defluxiones exsiccandas & sistendas ad quantitatem guttarum decem in succo limonum aut granatorum aridorum.

Cap. V.

De oleo mentæ & absynthii.

Mentha & absynthii oleũ vires & usus.

MEnta & absynthium verno tempore colligenda sunt & postquam Sole siccata sunt conchæ cupreæ aut terreæ indenda sunt, ut per descensum distillentur more & methodo communi lippis omnibus & tonsoribus notissima: Postquam combusta sunt, & incinerata ea omnia quæ conchæ distillatoriæ indita sunt, separandum est oleum distillatum ab aqua, quod reperitur in fundo vasis recipientis, & rectificandum est per cohobationes ter aut quater iteratas, super salem extractum ex cineribus plantæ ex qua oleum extractum est: si oleum sit ex menta, super salem ex cineribus mentæ extractum rectificandum est oleum, salem purum & nitidum in singulis mutando distillationibus; sic fœtorem demittet omnem & empyreumatis odorem. Potest etiam omne oleum qualecunque sit per descensum distillatum empyreuma redolens super calcem vivam rectificari, ut fœtorem deponat; nec timendum est ut à calce recipiat aliquid nocumenti, & extraneæ qualitatis, quia à calce

 nihil

nihil aſcendere poteſt, propter firmam fixionem, quam ſal & terra (quæ in calce reſident) habent. Poſtquam autem oleum ejusmodi ſic præparatum eſt, & ab empyreumate vindicatum, permiſcendũ eſt in phiala vitrea cum foliis recentis & virentis mentę, ſi ſit oleum mentæ; ſi verò ſit abſynthii cum foliis virentis & recentis abſynthii permiſcendum erit oleum rectificatũ, & ſimul inſolandũ per quindecim dies, aut in cineribus mediocriter tepidis, & ad calorem ſolis accommodatis digerendum per idem temporis ſpatium, ut odorem menthæ, & abſynthii recuperet, deinde exprimendum & ſervandum in phialis optimè clauſis ad uſus medicos.

Vires & uſus olei mentæ.

1. Ventriculum ſummoperè roborat, aliasque partes frigida qualitate aliqua marcidas: in ſenibus maximè convenit ad concoctionem juvãdam ventriculi, & calorem naturalem propter ſulphur diſſolutum quod continetur in ipſo oleo, quod modò aliqua ratione digeſtum ſit, & mediocriter coctum, calorem naturalem & vitalem maximè fovet, propter ſympathiam, & ſimilitudinem ſubſtantiæ quam inter ſe habet.
2. Dolores arthriticos ex cauſa frigida ortos, lenit & ſedat, ſtupores membrorum & paralyſes etiam curat, frequenter illinendo, & tumores frigidos & ſcirrhoſos, duros & difficillimè ad maturationẽ pervenientes diſcutit aut emollit, & ad ſuppurationem perducit propter allatas rationes.
3. Cerebrum etiam mirificè roborat, & facultates omnes animales copia pituitæ & humorum

frigi-

frigidorum abundantia ſopitas reſtaurat, & ad vigorem ſummum perducit ſolo aurium & narium illitu, & temporum, propter easdem rationes.

4. Partes nimio frigore emortuas, & calore vitali ferè privatas, ſolo illitu ad calorem naturalem perducit.

Sumitur etiam interiùs ad quantitatem guttarum decem aut duodecim cum aqua cinnamomi ad ventriculum frigidum refocillandum, & reſtaurandum.

Vires & uſus olei Abſynthii.

1. Corroborat ventriculum & concoctionem illius adjuvat, & in eo appetẽtiam excitat, quia orificium ejus ſuperius ab omnibus frigidis humoribus & mucoſis appetentiam dejicientibus vindicat, abſtergendo, propter ſalem ſolutum quem in ſe continet.
2. Obſtructa ſolvit omnia, undè omnibus affectionibus ab obſtructione provenientibus ſuccurrit aſſumptum, & admotum, propter ſalem illum ſolutum quem continet qui omnia reſerat & aperit, naturali ſua virtute & efficacia.
3. Lumbricos enecat omnes, ſale ſuo, qui putredinem illum lumbricorum patrem & originem impedit, humiditatem ſuperfluam inteſtinorum, & ventriculi exſiccando.

Sumitur ad quantitatem guttarum decem, aut duodecim cum ſucco limonum, aut aqua portulacæ ad lumbricos enecandos, vel cum aqua fœniculi & aſparagi, aut graminis, vel cũ ſyrupis magiſtralibus ad aperiendum compoſitis, in deobſtruendis viſceribus omnibus.

CAP. VI.

De oleo Iasmino, Anethino, Rutaceo, Salviæ, Rorismarini, & Thymi.

Olea͞rū Iasmini, Anethi, Rutæ, Salviæ, & Rorismarini, vires & usus.

OLea hæc omnia possunt parari simili methodo ac via, ac olea menthæ, & absynthii superius præparata per descensum; nihilominus tamen ut chymiæ artis copiam, & ingenii fertilitatem in excogitandis methodis variis ad idem scopum tendentibus ostendamus, methodum aliam in hoc capite proponemus. Plantas has floridas & virentes accipiemus verno tempore, & conchæ cupreæ imponemus in frustula concisas, donec his tota repleatur concha: tum aqua fontana clara & limpida imponenda est, usque ad medietatem conchæ; hanc deinde concham cooperies cooperculo seu capitello suo, ad distillandum per refrigerium apto, & accommodato, & juncturis optimè clausis, impones tuam concham cupream, super formam in mediis flammis, & ignibus, aqua frigida capitello suo superimposita, & sæpissimè mutata per vices dum incalescit, dum aqua cum plantis conchæ distillatoriæ imposita ebullit, & sursum ascendendo stillat, unà cum oleo quod forti ebullitione, ex plantis exprimitur in aqua, & sursum simul ascendunt simul commixta. Plantas has non simul omnes confusas in concham proiiciendas esse censeo, quia non oleum purum esset unius plantæ, sed commixtum ex multis plantis, sed singulas plantas seorsim esse reponendas existimo, & hanc post aliam esse distillandam: & oleum singularum ab aqua separandum post distillationem beneficio & ope infundibuli, quod oleum & aquam recipit, oleum-

oleumque ſupernatat aquæ, & aqua per os infer- num infundibuli primò egreditur, oleumque purum ſic relinquitur, quod rectificatione non indiget, nec in novis & virentibus plantis inſolatione quia empyreuma nullo pacto redolet, nec odorem plantæ amittit per hanc diſtillationem, imò ſecum ita retinet, ut fragrantiùs multò redoleat quàm ipſa planta; hoc autem oleum copioſiſſimum haberi ſolet, ſi poſtquam aqua omnis & oleum diſtillatum fuerit, aqua egreſſa & diſtillata unà cum oleo ſuo iterum affundatur herbis per foramen, in ſupernis conchæ partibus factum ad latera magni oris conchæ, quod capitello ſuo refrigeratorio occluditur, per quod vapores omnes aſcendunt, & in capitello abeunt in aquam & ſtillant, per naſum capitello junctum. Ad latus ergo iſtius magni oris, debet eſſe iſtud foramen (de quo eſt ſermo) quod occluditur & aperitur, ſecundùm neceſſitatem & operis indigentiam. Per iſtud ergo foramen reponitur aqua, & oleum quæ ſtillant, ad oleum majori copia extrahendum. Oleum etiam & aqua prædicta, ſi novis & recentibus plantis in concham impoſitis iterum affundantur, copioſius multò ſtillabunt, quæ poſtquam diſtillata fuerint, & ſeparata, ſervanda erunt ad uſus.

Vires & uſus olei Iaſmini.

1. Oleum hoc ſic præparatum multò efficacius eſt, oleo illo Jaſmino, quod in myropoliis vulgaribus divenditur, quod per macerationem florum Jaſmini, in oleum Amygdalarum dulcium, vel oleum dulce olivarum præparatur; nihil enim ferè habet virtutis, ut ipſa experientia teſtatur; at noſtrum guttula unica ſolo illitu, thoracis, renum, veſicæ, nervorum,

Vires olei Iaſmini.

vorum, articulorumque dolores compescit.

2. Catarrhos sistit & exsiccat, humiditatem superfluam, suo sale soluto exsiccando, & calorem naturalem refocillãdo, suo balsamo, per sympathiam & similitudinem substantiæ quam inter se habent humidum radicale nostrum, & ipsum oleum; unde etiam facultates omnes nostri corporis mirificè roborat, tum senio debilitatas, tum ex frigidorum humorum affluxu.

3. Vulnera & ulcera omnia agglutinat exteriùs illinendo, propter balsamum suum & salem solutum, quia humorum corruptionem impedit, & corruptione impedita, vis balsamica olei, calorem naturalem convocando, & humidum radicale internum, quod est vulnerum & ulcerum omnium verum & unicum balsamum, vulnus & ulcus facillimè ad cicatricem laudatam perducuntur.

Sumitur ad quantitatem guttarum decem aut viginti, ad internos affectus curandos; ad externos verò, miscetur unguentis convenientibus, vel per se applicatur, ut in vulneribus recentibus.

Vires & usus olei Anethini.

Vires olei Anethini.

1. Oleum anethinum tumores frigidos discutit illitu suo, quia calfacit & digerit, suo sulphure interno soluto, quod continet, quod Vulcani & ignis naturalis vires æmulatur.

Cephalalgiam, nervorumque dolores lenit, & somnum conciliat quod roboret facultates animales, nervorumque genus & membranarum fortificet, multiplicatis spiritibus, & roborato calore naturali.

Dosis & usus olei Anethini.

Applicatur externis affectibus per se illinendo, aut per-

permiſcendo unguentis morbo accommodatis, & ſumitur ad curationem internorum affectuũ à quantitate guttarum decem ad quindecim in ſpiritu vini.

Vires & uſus olei Rutacei.

Potentius calfacit oleum rutaceum oleo anethino: hinc craſſos humores attenuat, flatusque diſcutit, & hinc etiam colico dolori, paralyſi, & ſpaſmo ſuccurrit, propter innatum ſuum ſulphur quod in oleo ſuo diſſolutum eſt, quodque poſſidet ſubtilem & tenuiſſimum ignem. *Vires olei Rutacei.*

Uteri etiam ac veſicę perfrigerationi ſubvenit: hinc ſterilitatem à frigida cauſa ortam curat, exteriùs illinendo umbilicum, & interiùs aſſumendo. *Vſus & doſis olei Rutacei.*

Sumitur à quantitate guttarum decem ad duodecim cum vino optimo, aut aquis ſtillatitiis imperialibus aut theriacalibus, morbo convenientibus.

Vires & uſus olei Salviæ.

1. Tot & tantas poſſidet vires, & facultates oleum ſalviæ, ut merito vulgo dicatur & circumferatur, *Cur moritur homo, cui ſalvia creſcit in horto*, excalfaciendo & mediocriter aſtringendo, exhauſtos ſpiritus vitales & naturales partium, à cauſis omnibus præter naturam, reſtaurat, & reparat, reparatosque & reductos continet, & ne pereant ſuà aſtrictione fovet & coërcet: arcanum eſt pleuritidis omnis, veræ & nothæ. *Vires olei Salviæ.*
2. Hinc plurimum valet ad humidum radicale partium ſuo illitu reparandum, & motum earum liberum & promptum conſervandum, multiplicatis ſpiritibus, & aucto calore naturali, & fugatis *Pleuritidis arcanum.*

fugatis humoribus ſeroſis, mucoſis, & frigidis.

3. Arthritidis eſt vera cura, paralyſeos, & ſpaſmi, & membrorum omnium ſtuporis, propter easdem rationes.

Memoria arcanum.

4. Facultates omnes cerebri potentiſſimè roborat: hinc ſenſus omnes acuit, memoriã, intellectũ, & reliquos omnes ſenſus tum internos tum externos, exteriùs illinendo capitis ſuturas, tempora, aures, & nares.

Doſis & uſus olei ſalviæ.

Sumitur à quantitate guttarum quatuor ad octo, in ſpiritu, aut vino optimo, aut in aqua cinnamomi: exteriùs autem applicatur per ſe illinendo partes affectas, eas cooperiendo linteis calidis ſuperpoſitis.

Vires & uſus olei Roriſmarini.

Roriſmarini olei vires.

Omnibus quibus inſervit, & prodeſt oleum ſalviæ, prodeſt & oleum roriſmarini, & præterea, dolori dentium ſuccurrit, & quartanam curat, ſi poſt debitas purgationes, & humoris melancholici præparationes, tum aſſumptis apozematibus morbo appropriatis, tum ultimò balneo tepenti & calido, oleum iſtud roriſmarini proponitur, ad quantitatem ℨ ß. in aqua cinnamomi in principio paroxiſmi, & in lecto ſe continendo, expectando ſudores, & ferendo, quantùm fieri poterit.

Quartanæ arcanum.

Roriſmarini olei doſis & uſus.

Ad curationem autem aliorum affectuum, ſumitur eadem doſi, ac oleum ſalviæ: & exteriùs eadem & ſimili methodo applicatur externis affectibus curandis.

Vires & uſus olei Thymi.

Thymi olei vires.

1. Orthopnoicis & difficulter ſpirantibus, phthiſicis

ficis summoperè convenit, solo externo illitu, quia thoracis poros aperit & dilatat; hinc aliquid semper exsudat humoris & fuliginis, quod semper est ad pulmonis motum solatium maximum: interiùs etiam assumptum iisdem affectibus maximè prodest, quod humores crassos attenuet, & discutiat ex interno suo calore.

2. Tineas ventris exigit ex sale suo soluto amaro, qui corruptionem impedit, & animalcula ex corruptione enata enecat.

3. Menses, partus, & secundas pellit, roborato utero, per illitum externum adaucto ejus calore, & roborata facultate expultrice uteri, ope ignis sui.

4. Urinas etiam ciet convocato sero humorum omnium ad renes & vesicas, per calorem quem in his partibus adauget.

5. Verrucas thymi colorem reddentes, & pensiles tollit, quod humores illos frigidos & melancholicos partibus, veluti terræ fungos adnascentes, innato suo calido dissipet, & roboret partem, ita ut verrucæ alimento quotidiano & communi privatæ decidant.

6. Visum hebetem apprimè acuit in potu sumptũ, quod cerebrum roboret, & spiritus animales, humoresque frigidos in cerebro stagnantes; spirituum animalium vigorem extinguentes dissipet, spiritibus suis, animales æmulantibus.

Visus hebetis arcanum.

Sumitur in potu à quantitate guttarum sex ad decem cum aqua cinnamomi; & exteriùs per se applicatur affectibus externis curandis.

Thymi olei dosis & usus.

CAP.

Cap. VII.

De oleo Liliorum alborum.

Oleum liliorum quomodo fiat.

Flores liliorum alborum in maxima quantitate æstatis tempore colliguntur, & contunduntur in mortario lapideo marmoreo, & torculari exprimitur ſuccus: ſuccus expreſſus reconditur in phialis mediocriter clauſis, & phialæ reponuntur in cellis vinariis, usque ad menſem Ianuarium aut Februarium, in quibus menſibus ſuccus ille diſtillatur in alembicis vitreis, leviſſimo igne, ut ſpiritus liliorum extrahatur qui primò aſcendit & in capitello alembici ſtrias facit, ceſſantibus ſtriis mutandum eſt recipiens, & aqua phlegmatica colligenda, donec magma habeat conſiſtentiam mellis in fundo alembici, poſtquam magmata omnia collecta fuerint, & alembico unico repoſita, his affundendus eſt ſpiritus primò diſtillatus, & cohobiis multis iterum diſtillandus, donec tandem prodeat oleũ albiſſimum & fragrantiſſimum aquæ ſpirituoſæ ſupernatans, quod per infundibulum ſeparandum erit ab aqua ſpirituoſa: aqua autem hæc ſpirituoſa quater aut quinquies rectificanda erit, in ſingulis diſtillationibus, colligendo tantùm quod primò egreditur & aſcendit, ſtrias faciendo; reliquum verò quod aſcendit, ſtrias non faciendo, projicere oportet, ſpiritum autem ſervare & oleum, tanquam liliorum medicamenta efficaciora, poſſuntque ſimul unà doſi propinari ad varios morbos curandos.

Vires & uſus olei Liliorum.

Olei liliorum vires.

1. Thoracis dolores ſummoperè lenit, quia humores frigidos in muſculos thoracis, & partes carnoſas delabentes, diſſipat & coquit, muſculos-

sculosque roborat, & alias partes, suo mitissimo calore.

2. Suspiriosis & difficulter anhelantibus & phthisi affectis summoperè etiam convenit exteriùs admotum, & interiùs assumptum, quòd balsami naturalis vires æmulatur, ulcera agglutinando, & catarrhos sistendo, humoresq; crassos attenuando, hincque roborata thoracis expultrice facultate expectorationem humorum adjuvat. *Phthyseos solatium.*

3. Nervorum dolores sedat, & arthritidi convenit, propter allatas rationes; & tumores discutit frigidos & duros, reliquosque omnes, ad maturationem & suppurationem laudatam & brevem conducit. *Arthritidos solatium.*

4. Contra serpentium ictus, & reliquorumque animalium venenatos morsus maximè auxiliatur, solo calido illitu externo, ex vi sua balsamica quia vulneribus recentibus omnibus medetur. *Cura venenati morsus.*

5. Vulvam emollit, eiusque duritias apprimè tollit ex eadem ratione.

Dosis & usus olei liliorũ.

Sumitur à quantitate guttarum decem in potu, cum suo spiritu, ad quantitatem drachmæ unius, majorem & promptiorem efficaciam, & applicatur etiam externis affectibus cum suomet spiritu, linteis madidis & eo medicamento delibutis, partibus affectis superimpositis.

Cap. VIII.

De oleo amygdalarum dulcium.

Olea chymica amygdalarum dulcium & amararum, & similium fructuum omnium & seminum quæ copiosam & abundantem suorum elementorum pinguedinem habent, variis possunt *Methodus varia, qua chymica olea ex*

extra-

fructib. lignosis, & seminibus oleis putent extrahi.

extrahi & separari methodis, vel per ascensum in cineribus, modò aqua fontana copiosa fructus & semina contusa perfluantur, & imbuantur, ut forti ebullitione, unà cùm aqua infusa ascendat oleum distillandum, separandum per infundibulum ab aqua cum qua stillaverit. Potest etiam separari, & extrahi per descensum, & deinde rectificari & ab empyreumate suo purgari, methodo prædicta, & multoties decantata in Capitulis præcedentibus, & sic oleum purum & simplex amygdalarum & fructuum similium omnium & seminum habebis. Datur etiam methodus facillima alia, quam nos excogitavimus, & publicè damus sequenti methodo, ad cujus similitudinem omnia alia semina, & fructus omnes, qui cortice lignoso, & membranosa cute circumteguntur, in olea chymica poterunt reduci.

Methodus qua extrahitur oleũ chymicũ amygdalar. dulcium.

Postquam æmygdalæ dulces aut amaræ cortice lignoso, & membranosa cute purgatæ fuerint & denudatæ, terantur & contundantur, & affusa modica aqua calida & bulliente, foveantur calidè & tepidè per quatuor aut quinque horas in vase æneo super cineres tepidos: deinde sacculo conclusæ torculari & prælo premantur, ad expressionem olei: oleum hoc expressum conjungatur & connectatur cum spiritu vini optimè à phlegmate omni vindicato, & simul digerantur in phiala optime clausa in cineribus tepidis per diem unum: die transacto, distilletur spiritus vini superposito alembico phialæ, in qua oleum unà cum spiritu digeritur, levissimo igne, ita ut non ascendat oleum amygdalarum; at in fundo phialæ remaneat, quod è phiala frigefacta permutabis in retortam luto munitam in æquali pondere sui ipsius, salis communis perquàm optimè calcinati, decrepitati, & per solutiones varias, & de-

& deficcationes, depurati ab heterogeneis & terrenis excrementis, oleum hoc conjunctum cum tali sale distillandum est per retortam in quam immissum est, fortissimo igne, servatis tamen ignis gradibus, primò lęto, deinde fortiori, ultimò fortissimo, quem gradum continuare oportet, donec habeas totum oleum sali tuo connexum, quod recludendum erit in phialis optimè clausis, & servandum ad usus. Si empyreuma redoleat rectificandũ est super novum salem donec deponat omnem fœtorem.

Vires & usus olei Amigdalarum dulcium.

Vires & proprietates olei chymici amygdalar. dulcium.

1. Arcanum summum est in curandis pulmonum & thoracis vitiis omnibus, tum assumptum, tum admotum.
2. Tumores omnes frigidos & scirrhosos discutit, & emollit, & continuata frictione & perunctione calida, ad maturitatem tandem perducit & pepasmũ, propter spiritum salis quem habet secum connexum, qui suum sulphur ad interiora perducit tumoris, & suo calore digerit.
3. Inflammationes omes venenatas & pestilentes, quales sunt ex anthrace & carbunculo pestilenti, inunctione tepida cum aceto, & aqua rosacea moderat & lenit: imò venenum maxima ex parte extinguit, propter spiritum salis qui vitali suo calore omnia sibi contraria fugat & expellit.
4. Scabiem omnem, & cutis asperitatem propter easdem, & similes rationes exsiccat & lenit.
5. Lenitatem summam exteriùs cuti inducit, & scabritiem omnẽ expellit, propter sulphur suum pingue, & spiritum quem secum continet,

qui aſpera omnia dura & ſcabroſa emolliunt & diſſolvunt, leprasque abſtergunt.

6. Ad vermes & lumbricos puerorum enecandos, ſummum eſt remedium interiùs aſſumptum, quia propter ſpiritum ſalis cauſam lumbricorum materialem & efficientem diſperdit exſiccando, & animalcula illa ſuffocat, quia ſpiritu ſulphureo & nitroſo emori ſolent.

Sumitur hoc oleum ad quantitatem drachmæ unius vel duarum in aquis appropriatis & convenientibus morbo: applicatur etiam exteriùs cum aquis plantaginis, roſarum, & aceto roſato, unà cum prædicto oleo permixtis, ad cutem perfricandam ad detergendam ſcabriciem, & cutis fere omne vitium quod cutem deformat.

Cap. IX.

De oleo lumbricorum terreſtrium.

Methodus olei lumbricorũ terreſtriũ extrahendi.

Lumbrici terreſtres loti, & à terrena ſpurcitiè per lotionem ter aut quater iteratam; probè emuncti, collectique verno tempore dum ſol ſignũ Gemini ingreditur, aut Cancrum, per deſcenſum ſunt diſtillandi & comburendi omni ex parte, donec albeſcant cineres: ſuper cineres illos rectificandum eſt oleum una vice per retortam: egreſſo omni oleo & collecto, & à ſua aqua fætenti ſeparatum connectendum eſt cum æquali quantitate petrolei, & in ea permixtione extinguenda ſunt fruſtula laterum igne candefactorum, & in hiſce candefactis lateribus totum imbibendum eſt oleum, & lateres deinde comminuendi & in retorta luto munita collocandi, & per gradus ignis fortiter diſtillandum totum hoc oleum, quod in lateribus imbibitum eſt: hoc deinde oleum cuſtodiẽdum in phialis optimè clauſis, & ſervandum ad varios uſus.

Vires & usus olei lumbricorum terrestrium.

1. Attenuat & emollit & discutit humores frigidos, unde callos & scirrhosos humores disperdit attenuãdo, propter spiritus salis quos continet in se solutos.

Vires & usus olei lumbricorum.

2. Mirum est anodynum in sedandis & mitigandis cujuscunque arthritidis doloribus & cruciatibus.
3. Lumbricos puerorum enecat sua innata & peculiari proprietate, quæ inest suo sali & sulphuri, quæ propter siccitatem peculiarem & insignem, humiditatem superfluam lumbricorum causam absumunt.
4. Fistulosis etiam ulceribus mirè prodest & doloribus eorum succurrit propter balsamicam ejus substantiam, in sulphure eius & sale contentam.

Sumitur interiùs in enecandis puerorum lumbricis ad quantitatem scrupuli unius cum oleo absynthii aut amygdalarum amararum, addito sacchari pauco: admovetur exteriùs partibus dolentibus calidè, superpositis linteis calidis & ulcera eo intinguntur superpositis emplastris convenientibus.

Vires olei lumbricorũ.

CAP. X.

De oleo simplici mellis.

Superiori libro 2. quintam essentiam mellis descripsimus, ubi acutissimus lector oleum istud animadvertere posset, & colligere methodum ejus stillandi; nihilominus tamen, ut omnibus innotescat spagyrica ars, & methodus extrahendi olea chymica simplicia; simplicia dico, quòd sulphureã

Methodus olei mellis simplicis extrahendi.

tantùm coërceant secum substantiam; non admixtis aliis substantiis, mercurio & sale putà, quæ arcana constituunt chymica, & quintam essentiam, Nam oleum simplex chymicum alicujus mixti, nō meretur dici quinta essentia, aut arcanum chymicum, cùm sit pars tantùm illius quintæ essentiæ. Itaque adhuc in hoc libro, olea chymica simplicia describemus, quorum quintas essentias superioribus in libris tradidimus. Et ut à melle incipiam, ejus accipe methodum: mellis sume libras quatuor aut tres, & in vitream inde retortam luto munitam: adde deinde vitri in frustula contusi, aut lapidis marmoris, aut alicujus alterius silicis durioris ℔ ij. ponantur omnia ad distillandum, servatis ignis gradibus: primò lentus adhibeatur ignis, donec tota ferè exierit aquosa mellis substantia; augeatur deinde ignis, donec oleum exeat, & multiplicetur ignis donec excandescat retorta, & totum mel in cineres convertatur & comburatur albos: tunc temporis exempto recipiente à collo retortæ, oleum separabis ab aqua: oleum rectificabis super cineres mellis combustos ad albedinem, combustis & calcinatis in unaquaque rectificatione iisdem cineribus, donec oleum clarum & pulcrum exeat, & ab omni empyreumate vindicatum, quod in tertia aut quarta rectificatione fiet, sicque servabis illud in phialis vitreis optimè clausis.

Vires olei Mellis.

Vires & usus.

1. In podagra curanda, & omni arthritide nihil efficacius est, & præcipuè in sedandis & mitigādis ejusdem doloribus, propter solutos salis spiritus quos in se continet.
2. In vulneribus etiam curandis, & ulceribus præstantissimum est remedium, propter eosdem

salis

ſalis ſolutos ſpiritus qui balſamicam miram obtinent energiam.

3. Lapidem etiam veſicæ mirabiliter comminuit, injectum per ſiphonem in veſicam; quia ſi aurum & metalla lapidesque omnes exteriùs & viſu præſenti, dulciter & naturali ſuo igne in primam reducat ſubſtantiam mercurialẽ; quidni etiam ſolvet in veſica tartareos lapillos, leviſſima coagulatione ſpiritus ſalis concretos.

4. Tartaream omnem ſaburram è regione renum uſu frequenti depellit & foras ejicit per emũctoria veſicæ; quia ſuis ſpiritibus ſolutis totã ſanguinis maſſam penetrat, & tartarea cuncta diſſolvit, unde & arthritidis & lapidis veſicæ & renum ſummum & potentiſſimum eſt medicamentum.

Vſus olei mellis. Sumitur interiùs ad quantitatem ſcrupuli unius cum aquis morbo appropriatis & applicatur exteriùs vulneribus & ulceribus per ſe ſolum ſuperpoſitis emplaſtris convenientibus; aut permiſcetur unguentis idoneis, & applicatur.

CAP. XI.

De oleo Myrrhæ.

Methodus olei myrrhæ. MYrrhæ ſumitur quantitas ℔ j. huic pulveratæ & in cucurbitam vitream inditæ adde aquæ vitæ ab omni phlegmate vindicatæ ad eminentiam ſex aut ſeptem digitorum; ſtent in digeſtione in vaſe clauſo in cineribus tepidis per ſex aut ſeptem dies: his tranſactis abſtrahatur aqua vitæ per balneum mariæ; abſtracta aqua ter aut quater repetẽdo ſuperinfundat oleo myrrhæ in fundo vaſis diſtillatorii ſuperſtiti. Huic oleo deinde cali-

do extinguenda ſunt fruſtula laterum igne excandefactorum, donec totum bibant oleum: hinc contuſi lateres indantur retortæ luto munitæ, & vehentiſſimo igne diſtillentur ſecundum artem: egreſſum oleum rectificetur ter aut quater ſuper cineres cupreſſi combuſti, aut pini, donec empyreuma depoſuerit oleum, huic deinde addendum aliquid myrrhæ electæ recentis, optimi odoris & igne tenui diſſolvendum, & cuſtodiendum & ſervandum ad uſus varios quamplurimarum virtutum & potentiarum.

Vires & uſus.

Vires olei myrrhæ.

1. Balſami vires in magnis antidotis ſupplere poteſt; tenuiſſimum enim eſt & calidiſſimum calore naturali, hoc eſt potentiſſimum eſt in calore naturali refocillando, propter ſuum humidum temperatum.
2. In vulneribus & ulceribus conſolidandis & cicatrizandis ſumme eſt efficax, propter balſamicam illam virtutem quam in ſulphure ſuo & ſale ſoluto continet & coërcet.
3. In retinendo fœtu & menſtruis compeſcendis mulierum nimis copioſis, mirum eſt medicamentum, ſi eo ungatur umbilicus & eo ſuffumigetur os vulvæ vel ſumatur interiùs ad quantitatem ſcrupuli unius, aut alterius in juſculo aut aqua aliqua convenienti & idonea.
4. Fiſtulis lacrymoſis oculorum cicatrizandis ſummum eſt arcanum, curat enim ſenſim ſine ullo dolore.
5. Catarrhos etiam ſiſtit & compeſcit, tempora & nares ungendo & fumigando, propter aſtrictionem miram & ſiccitatem quam ſulphur ſuum

ſuum & ſal habent, & obtinent ex cruda eorum ſubſtantia.

Applicatur exteriùs ut reliqua olea balſamica ungendo & illinendo tepide partes affectas, & ſumitur interiùs ad quantitatem ſcrupuli unius aut alterius in aquis appropriatis, aut juſculis, aut in vino aſpero.

Doſis & uſus olei myrrhæ.

Ad methodum hanc poſſunt referri diſtillationes omnium aromaticarum gummarum thuris & maſticis, & ſimilium; poſſunt ſimili methodo in oleum converti ſummè efficax, cujus vires à medicis ſolis cognoſcuntur & morbis adaptantur.

Cap. XII.

De oleo cinnamomi.

Cinnamomũ in fruſtula contuſum in retortam vitream indendum eſt, quam retortam deinde cinnamomo fere plenam collocandam præcipimus in balneo aquæ bullientis, & tandiu in eo balneo retinendam quandiu aliquid ſtillare poterit precioſi cinnamomi liquoris, qui egreſſus ſupra novum cinnamomum in fruſtula ſimiliter conciſum in retorta vitrea poſitum, affundendus eſt, & ſimiliter diſtillandus aquæ bullientis balneo, ut triplicato aut quadruplicato liquore copioſius ſtillet, in hac diſtillatione quàm in priori, tertiò iterum & quarto opus iterandum eſt, affuſo liquore egreſſo ſuper novum cinnamomum; & ſic tandem copioſum habebis oleum, & aquam cinnamomi miram, & ſummè fragrantem, quæ omnia ſeparatim cuſtodies in phialis vitreis: non egent enim alia rectificatione.

Methodus faciendi cinnamomi.

Sic oleum piperis, cariophyllorum, macis, nucis moſchatæ, & ſimilium ſtillare poteris, & ad uſus ſervare varios.

Vires & usus.

Vires o-lei cinnamomi. 1. Vires æmulatur omninò hoc oleum balsami naturalissimo præstat balsamo naturali in roborandis omnibus vitalibus visceribus, propter copiosum vitæ spiritum volatilem, dulcem, & coctum quem in se continet.

2. Memoriam & sensus omnes internos adeò roborat, ut si quis quotidie aut saltem ter in hebdomade sumat guttulas aliquas, memoria felicissima valeat, & sensus alios habeat expeditissimos; quia multiplicat spiritus vitales, simili sua substantia.

Cura frigidorũ. 3. In refocillandis frigidis, & maleficiatis hominibus summoperè valet, propter copiam spirituum quos generat, qui partes generationi dicatas excalfaciunt & spiritu & semine implét.

4. Provocat & excitat menses muliebres, & partũ: hinc ad facilitandum partum nihil est potentius, si eo umbilicus perungatur, aut ejus liquoris sumatur scrupulus unus, in vino, aut in ejus aquæ cochleari unico.

5. Cor & cerebrum summoperè exhilarat, & ab his pestilentes auras & venenatas fugat, unde in peste præservativum est.

Dosis & usus olei cinnamomi. Sumitur in jusculis, in vino optimo, in aquis imperialibus, & præcipuè ad majorem efficaciam cum aqua sua simplici superiùs cum eo egressa & stillata, ad quantitatem guttularum decem, aut scrupuli unius: applicatur etiam exteriùs in educendis secundinis & partuum citò educendo fœtu, & vulneribus malignis, & putridis ulceribus curandis:

CAP.

CAP. XIII.

De oleo seminis ebuli.

Nonnulli chymicorum conclusum semen ebuli in ahenum aquæ bullientis plenum conjiciunt, ut hac ebullitione spumam oleosam emittat aquæ supernatantem, quam cochleari colligunt & vitreo vase clausam seponunt in hypocausto, aut in aliquo loco calido & tepido, ubi spuma pedetentim in oleum abit viride pulchri coloris, quod seponũt ab aquoso humore, & custodiunt, pro seminis ebuli oleo: Alii verò subtiliùs procedunt. Semen contusum in alembicum vitreum aut retortam vitream indunt, & ponunt in balneo bullientis aquæ ad distillandum, & quidquid stillat aquæ & olei simul, iterum super novum semen ebuli contusum in nova retorta positum affundunt, & sic iterant opus donec copiam habeant olei, quod separant ab aqua, per infundibulum & custodiunt.

Methodus eliciendi olei seminis ebuli.

Vires & usus.

Vires olei seminis ebuli.

1. Anodynum est summum in mitigandis podagræ & omnis arthriditis doloribus balsamica sua virtute.
2. Serosos & pituitosos expurgat humores è ventriculo & intestinis, si ejus scrupulus unus aut alter sumatur in jusculo tenui.
3. Hydropicos curat frequenti suo usu, propter expurgationem pituitosi humoris quam potissimè expurgat, propter mercurialem substantiam quam obtinet.
4. Hepar roborat si exteriùs ejus regio eo perungatur propter suum sulphur quod secum continet, & vitæ spiritum copiosum quem habet in mercuriali sua substantia.

Dosis & usus olei seminis ebuli.

Sumitur in juſculis, & potentiſſimè agit & purgat, ſi ſumatur in ſpiritu tartari, aut cum cremore tartareo: doſis ejus eſt ſcrupulus unus aut alter.

Cap. XIV.

De oleo Succini, ſeu Carabes.

Modus faciendi oleum ſuccini.

SUccinum, ſeu Carabe in oleum reducitur ſi contuſum in fruſtula, non in pulverem indetur in retortam ſatis magnam, cui addatur ſpiritus vini ab omni phlegmate vindicato ſatis magna quantitas, ut ſupernatet tribus aut quatuor digitis. Ponatur deinde retorta in digeſtione per quatuor aut tres dies in balneo, aut in cineribus tepidis; diſtilletur deinde per balneum ſpiritus vini: egreſſo ſpiritu, mutetur retorta è balneo, ad cineres, & ibi gradatim diſtilletur quicquid diſtillati poterit. Peracta diſtillatione, omne quod diſtillatum erit rectificetur ſuper ſalem purum & nitidum tartari, calcinando in unaquaque diſtillatione ſalem tartari, ad auferendum empyreuma quod in ſale relinquitur ex rectificatione & diſtillatione olei ſuccini, quod cum empyreuma omne depoſuerit per illas rectificationes, cuſtodiendum eſt; ſal verò quod ſatis copioſum aſcendit in prima diſtillatione, poteſt per ſubſtantiam rectificari, & rectificatum in oleum immitti, ad majorem efficaciam, vel unà cum oleo ſuo ſemper rectificari, donec tandem in oleum abeat, cum ipſis rectificationibus, ſic enim pedetentim fit oleum, & mutatur in illud, & ſic expoliatur ab excrementis fuliginoſis quibus ſcatet, & turget.

Facilius ſtillat per ſe ſolum nullis aliis rebus additis, niſi moderatiſſimo ignis gradu.

Vires & uſus.

Vires olei ſuccini.

1. In omnibus morbis capitis & cerebri curandis nihil eſt præſtantius & efficacius, & præcipuè in Apo-

in Apoplexia, epilepſia, ſtupore, paralyſi, aliiſque ſimilibus affectibus evincendis nihil potentius reperiri poteſt.

2. Uterum ſummoperè roborat, unde ſterilitati medetur, menſes provocat, ſecundinas & partum, ſuffocationem & uteri ſtrangulatum tollit.

3. Dolores dentium mitigat, & alios omnes ex cauſa frigida ortos, propter ſuum ſulphur ſolutũ calidiſſimum quod ſecum habet.

4. Catarrhos ſiſtit & deſiccat ex eadem ratione, & tinnitus aurium aufert, & ſurditatem.

5. Omnia principalia membra cerebrum, cor, & hepar ſpiritu ſuo vivifico quem continet mirificè reficit, unde animi deliquiis medetur, peſti fugiendæ ſummum eſt remedium.

Sumitur in juſculis & aquis morbo appropriatis, ad quantitatem ſcrupuli unius ad ſummum; & applicatur exteriùs oleorum reliquorum inſtar, ungendo & illinendo partem affectam dolore aliquo.

Doſis & uſus olei ſuccini.

Cap. XV.

De oleo Sacchari.

SAccharum reducitur in oleum, ſi contuſum, & pulveratum, æquali quantitati ſilicum pulveratorum aut vitri pulverati permiſceatur, & retortæ vitreæ luto munitæ imponatur, & diſtilletur fortiſſimo igne, ſervatis ignis gradibus: primò lentus, deinde major, ultimò maximus & fortiſſimus adhibeatur ignis, donec omnis liquor egreſſus ſit, qui rectificandus eſt ſuper mediam partem capitis ſui mortui optimè calcinati, & in calcem albiſſimum reducti, ut deponat omne ſuum empyreuma, quod in prima diſtillatione habebat: id autem deponit in quarta, aut quinta rectificatione, modò in ſingulis

Modus eliciendi olei ſacchari.

rectificationibus caput suũ mortuum, super quod rectificatur,comburatur,& calcinetur. Postquam autem puritatem obtinuerit, & empyreuma deposuerit custodiendum erit ad usus varios.

Vires & usus.

Vires olei sacchari.

1. Balsamum est potentissimum in curandis omnibus ulceribus & vulneribus,ex spiritibus salis balsamici dulcis solutis,quos in se coërcet.
2. Anodynum etiam summum est in sedandis doloribus qui insunt vulneribus & ulceribus, propter copiam spirituosæ substantiæ quam habet.
3. In fistulis curandis,malignis ulceribus, cancro, & similibus nihil est efficacius; reparat enim humidum vitæ deperditum, & salem contra naturam extinguit, suo sale dulci; & specifica sua virtute,& sua signatura.

Dosis & usus olei sacchari.

Sumitur interiùs ad quantitatem ℥ ß. in jusculis, cum aqua cinnamomi, & similibus morbis curandis appropriatis. Et applicatur exteriùs, & miscetur unguentis, & emplastris ulceribus convenientibus.

CAP. XVI.

De oleo Lappæ majoris.

Methodus olei extrahendi ex lappa majore.

LAppa major exsiccata, in distillatorium cupreum,aut terreum descensorium imponitur, & fortissimo igne distillatur, donec tota humiditas exierit, & corpus lappæ conversum sit in cineres, albi coloris,super quos in retorta vitrea, aut terrea rectificabis oleum omne quod egressum fuerit, & distillatum per descensum: deinde, iterum rectificabis super calcem vivam,ter aut quater, donec fœtorem omnem & empyreuma, quod in distillatione pri-

ne prima acquisierat, deposuerit: tum demum cum floribus lappæ recentibus macerabis in vitro clauso ad solem, per dies quindecim: his transactis in balneo ferventi distillabis & custodies ad usus suos in vitro mundo optimè clauso.

Vires & usus olei Lappæ majoris.

1. Potentissimum est remedium in erumpendis & frangendis vesicæ, & renum calculis, propter spiritus salis solutos quos continet.

Vires olei lappa.

2. Vitia omnia renum & vesicæ, quæ ab arenulis, tartaro, & calculis proveniunt potentissimè sanat, propter summam aperiendi vim quam habet ex salis sui spiritibus.
3. Scirrhos internos hepatis, & lienis emollit, & frangit, & externos etiam adhuc valdè potentiùs solo suo illitu propter allatas rationes.
4. Dolores etiam arthriticos citissimè compescit, & emulcet, suo illitu, quia dissolvit tartareas omnes substantias; quæ in arthriticis affectibus causa sunt materialis doloris.

Sumitur ad quantitatem drachmæ semis, in aquis, aut decoctis morbis curandis appropriatis & convenientibus; vel in spiritu vini, vel in jusculis herbis lithontribis alteratis admiscetur, & propinatur, serò & manè, & omni tempore, modò stomachus jejunus sit, & digestio facta sit.

Usus olei lappa.

Cap. XVII.

De oleo Hellebori nigri vel albi.

Radices Hellebori utriusque mense Octobri collectæ, abluũtur perquam optimè vino optimo, & exsiccantur sole: & exsiccatæ ponuntur in descensorium, ad distillandum fortissimo igne, ut combu-

comburantur radices hellebori, & convertantur in cineres albos, & interim inter comburendum egrediatur quidquid est in radicibus olei & aquæ: oleum separandum est per infundibulum ab aqua, & rectificandum est super cineres, perquam optimè calcinatos, donec deponat omnem fœtorem, & empyreuma, tunc demum oleo cinnamomi, aut anisi connectendum pari in quantitate, & servandum ad usus.

Vires & usus olei Hellebori.

Methodus extrahēdi Hellebori.

1. Hoc oleum mirum est arcanum in expurgandis omnibus humoribus præter naturam in corpore existentibus, & qui habent præ manibus non opus habent rheubarbaro, agarico, senna, & aliis medicamentis quæ è longinquis terræ plagis magno precio adferuntur in hominum sanitatem: benigna natura est ubi posuit malum, ibi remedium nasci fecit; at incuria & nè dicam inscitia medicorum; quæ præ oculis Deus & natura posuerunt ignorantur, & longinqua quæruntur magnis expensis.

Vires olei Hellebori.

2. Arcanum est summum in quartana curanda, & febribus omnibus intermittentibus propter cruditatem mercurii sui, salis, & sulphuris, quæ cum cruda sint, crudos & incoctos similes humores in corpore nostro stagnantes attrahunt, & foras evocant.
3. Perfessima catharri cura in eo arcano consistit, & omnium defluxionum propter allatas rationes.
4. Sanguinem mundificat, naturalem virtutem conservat, principalia membra, imò universum corpus, ab omnibus futuris ægritudinibus, & morbis usq; ad terminum à Deo constitutum

ſtitutum præſervat; quòd humores omnes crudos, & qui humori vitali contrarii ſunt, foràs evocet.

Vſus olei Hellebori.

Sumitur à quantitate guttarum decem ad duodecim in aquis appropriatis, & morbo convenientibus, vel in juſculis, aut in ovo ſorbili, ſervato regimine, & cuſtodia artis, ut in aliis medicamentis purgantibus; vel miſcetur ſyrupo roſarum ſolutivo, aqua cinnamomi permixta, & fit potus guſtui gratiſſimus qui tutò, citò, & jucundè purgat.

CAP. XVIII.

De oleo Thytimali, & Latyris.

Methodus extrahẽdi olei ex Thytimalo & Latyre.

THytimalus, & Latyris colliguntur verno tempore, & exſiccantur ſole aut umbra, & ponuntur in deſcenſorium ad diſtillandum, ut fortiſſimo igne quicquid eſt olei & aquæ egrediatur, & comburantur folia, truncus, & radices in cineres albiſſimos, ſuper quos rectificandum eſt oleum, donec deponat omnem fœtorem ſui empyreumatis, quẽ in diſtillatione deſcenſoria contraxit: hunc autem fœtorem deponit, ſi in ſingulis rectificationibus cineres permutentur, aut fortiſſimo igne calcinentur, ut empyreuma olei relictum in cineribus calcinetur & comburatur in cineres albos: hoc oleum deinde nullius fœtoris, permiſcendum eſt cum pari quantitate olei aniſi, & ſervandum eſt ad uſus.

Vires & uſus olei Thytimali, & Latyris.

Vires olei Thytimali.

1. Hoc oleum potentiſſimè purgat ſeroſos quoſcunque humores & foràs educit, propter cruditatem ſui mercurii, crudi & incocti, qui ſimiles humores in corpore ſtagnantes attrahit & ſecum ducit.

2. Hinc convenit admodum arthriticis omnibus morbis, capitis defluxionibus, catharris exsiccandis & exhauriendis.
3. Exteriùs etiam valet ad scirrhosos tumores emolliendos, herpetes enecandos, aliaque similia cutanea vitia, quæ cutem asperitate deturpant; quia suo sale dulci, quem in suo balsamo continet, aliis acribus salibus qui insunt talibus ulceribus, acredinem & acrimoniam aufert.

Usus olei Thyti mali. Sumitur ad quantitatem ʒ ß. in ovis sorbilibus aut syrupis violaceis, & rosaceis solutivis, vel guttulæ nonnullæ admiscentur pillulis de agarico, & aliis similibus morbo curando propriis & miram vim purgandi obtinent.

Cap. XIX.

De oleo Sambuci.

Methodus extrahẽdi olei ex Sambuco. EX Sambuci semine, oleum potest parari simili methodo ac oleum de semine ebuli paratur: at ex foliis, cortice, & ligno ipsius sambuci oleum potest haberi efficacissimum, modò in descensorium ponantur hæc omnia siccata, priùs per se, aut in sole, igneque superposito comburantur in cineres omnia imposita, oleumque egressum separatum ab aqua, rectificandum est super cineres illos prædicta antea methodo, donec oleum ab omni fœtore expolietur, & vindicetur: hoc oleum deinde, permixtum cum æquali quantitate olei cinnamomi servãdum est ad usus medicos varios quorum modus est hic.

Vires & usus.

Vires olei Sambuci.

1. In suffocationibus, & strangulationibus mulierum,

lierum, & virginum, nihil est potentius cum aqua arthemisiæ.

2. In pallidis & fœdis virginum coloribus evanescendis, & tollendis mirè efficax.
3. In dolore stomachico demulcendo potentissimè agit; educit enim humores crassos, viscosos, pituitosos qui calorem stomachi suffocant.
4. Enecat vermes potentissimè intestinorum & stomachi, ex amaritudine summa quam habet ex suo sulphure & sale crudo.

Vires olei Sambuci. Sumitur ad quantitatem ʒ. unius aut alterius in robustissimis, & admixtum ovis sorbilibus propinatur, vel admiscetur syrupis solutivis rosaceis, aut violaceis, vel pillulis catharticis; & sic paratur gratissima, tuta, & jucundissima medicina.

CAP. XX.

De oleo Persicariæ.

Methodus eliciendi olei Persicariæ. PErsicaria, mas & fœmina colliguntur æstatis tempore, & per se exsiccantur, in umbra, aut sole, & imponuntur descensorio, & igne superposito comburuntur in cineres albos, donec quicquid est olei & aquæ egrediatur omninò, & nihil in descensorio remaneat præter cineres albos combustos & calcinatos, super quos rectificandum est oleum egressum à sua aqua suparatum, donec fœtorem deponat omnem: hoc oleum insolatum cum floribus verbasci, in vitro optimè clauso, & per distillationē in balneo bullientis aquæ à floribus extractum, & separatum, balsamum præstantissimum est, quod optimè custodiendum est.

Vires & usus.

1. In curandis vulneribus balsamum potentissi-

mum est, sanat omnia simplicia vulnera brevissimo tempore, & alia etiam quæcunque: impedit enim suppurationem & corruptionem in vulneribus suo sale dulci, & sulphure rubeo suo agglutinat & conjungit dissolutũ, reparat enim & renovat carnem.

2. Ulcera etiam quæcunque maligna & alia, fistulas,& cancrum mirificè, & brevi tempore ad cicatricem laudatam conducit propter allatas rationes.

3. Balsamum est potentissimum in curandis pulmonum morbis, balsamo sulphuris, aut ejus lacte permixtum.

4. Curat potẽtissimè & citissimè dysenterias quascunque, & ulcera intestinorum agglutinat, & hæmorrhoidas ulceratas, & cancrosas mitigat,& tandem curat.

5. Vermes etiam,& lumbricos puerorum, & aliorum qui propter pituitæ copiam,hæc animalcula procreant, suo sale & sulphure acridulci enecat,& procreationem eorum impedit suâ siccitate.

Vsus olei Persicaria. Sumitur à quantitate duodecim ad viginti guttarum,in aquis appropriatis, & morbo convenientibus: & applicatur exteriùs per se,aut permiscetur unguentis, & aliis oleis quæ vulneribus & ulceribus curandis conveniunt & quadrant.

CAP. XXI.

De oleo Hypericonis.

Methodus eliciendi olei ex Hypericone. HYpericon colligitur mense Junio, circa festum divi Joannis, & exsiccatur cum suis floribus, & descensorio inditur ad distillandum fortissimo igne adhibito, donec oleum omne egreditur, & com-

comburantur folia, flores, & lignum hyperici in cineres albos, super quos rectificandum est, distillando oleum per descensum egressum, donec deponat fœtorem omnem & empyreumatis tetrum & fœtidum odorem, hoc oleum: deinde sic rectificatum conjungendum est, & permiscendum cum multa quantitate florum eiusdem hyperici, tempore Junii collectorum, & insolandum est per octo dies aut quindecim, aut in calore tenui digerendum, donec tincturam contrahat rubicundissimam ex his floribus; expresso oleo, immiscendi sunt iterum flores recentes, & digerendi iterum per quatuor aut sex dies in tenui calore: deinde exprimendum est oleum & hoc iterandum ter aut quater, & tandem dum placet color & consistentia, servandum est in phialis vitreis optimè clausis, pro balsamo excellenti & potentissimo.

Vires & usus.

Vires & usus olei Hypericonis.

1. Vires & dotes naturales, naturalis balsami proximè æmulatur, propter coctioné salis, mercurii, & sulphuris sui, quos continet perfectè depuratos & coctos.
2. Propterea, contra pleuritidem probatissimum est remedium exteriùs applicatũ parti dolenti, & interiùs sumptum, cum calido vino, vel cũ aqua papaveris Reas.
3. Menstrua pellit mulierum, hinc fœdos virginum colores curat, febres omnes intermittentes, quotidianas, tertianas, & quartanas curat, quòd suo igne naturali humores frigidos consumat, & calorem naturalem multiplicet similitudine substantiæ.
4. Sanguinem omninò & apprimè depurat, undè initia lepræ profligat, & ulcera cacoëthea ad cicatricem conducit.

5. Vulnera omnia vetera, & recentia, & ulcera quæcunque, fistulas, & reliqua mirificè agglutinat & cicatrizat.
6. Hydropicis etiam prodest summoperè, quia calorem naturalem multiplicando, & serosos humores exsiccando suo interno sulphure, hepar valdè roborat, & uniuscujusque partis nativum calorem.

Usus olei hyperiçonis. Sumitur ad quantitatem ℥ ß. in juſculis, vel ovo sorbili, vel aquis appropriatis, & morbo curando convenientibus: & applicatur exteriùs ad curationem ulcerum & vulnerum calidè admotum; vel miscetur unguentis vulnerariis.

Conclusio libri quarti.

Possem in longiùs protrahere librum hunc de oleis Chymicis: at puto cuicunque etsi novo & tyrunculo chymico me satis fecisse, ex descriptione præsenti oleorum chymicorum; quòd ad methodũ hanc præscriptorum oleorum, poterit chymicus omnis, olea quæcunque elicere, ex vegetalibus, animalibus, & mineralibus: etsi olea ex mineralibus in medium non proposuerim elicienda, nec ex animalibus, quia id potest satis admodum, clarè & apertè colligi ex libro primo & secundo, de quintis essentiis & arcanis, ex animalibus & mineralibus extractis, ubi olea eliciuntur ad quintam essentiam & arcanum perficiendum, ad quos prædictos libros Lectorem recurrere oportet.

Finis libri quarti.

DE

DE AQUIS CHYMICIS ARTE PYROTECHNICA EXTRACTIS, LIBER QUINTUS.

Cap. I.

Quid per aquam intelligant Chymici.

Quid per aquã intelligatur.

AQua Chymicorum non est aqua phlegmatica, aquosa, quæ levissimo igne distillatur, ex quovis mixto humido, quæ nihil aliud est quàm excremẽtum aquæ chymicæ, quã multis in locis spiritũ diximus, humidum radicale rerum omnium, humidum primigenium, quod extrahere docuimus in genere, capite primo, libri secũdi, hujus operis: Hæc, inquã, aqua, vera est, aqua quæ continet virtutes quam plurimas mixti ex quo extrahitur: alia verò aqua phlegmatica & aquosa, quæ est excrementũ istius, & serum nullas ferè habet virtutes: unde frustratur intento & scopo suo, medicina vulgaris, utendo aqua ista, in curatione morborum: & plus habet virium decocta, quàm istæ aquæ excrementitiæ: Aqua pluvialis est huic aquæ excrementitiæ similis, nam calore solis, aut calore centrali terræ sursum elevatur & pellitur, & in media aëris regione tanquam in capitello frigido condensatur in aqua, & iterum decidit in terram: hæc aqua non est nisi excrementum aquosum, & humidum humidi radicalis terræ, & rerum omnium quæ continent

Aqua pluvialis quid.

secum humidam radicalem substantiam, quæ nullius ferè est virtutis, nec potest aliud quàm simpliciter refrigerare & humectare: alia verò aqua de qua est sermo, & cujus extractionem in particulari hoc in libro docere in votis est, est alia multò potentior priori, & nisi hujus tenuissima pars admisceretur alteri aquosæ, & excrementitiæ nullas penitus haberet facultates mixti, ex quo eliceretur per simplicem distillationem. Ratio hujus rei est, quòd virtus & potentia cujuscunque rei, inest rei in cujus centro radicatur forma, quia forma est principium actionis & virtutis: at forma non radicatur in humore illo excrementitio aut alimentitio, quia adhuc non est pars mixti; at humidum radicale est vera pars mixti, & in qua radicatur forma: ergo etiam in humido radicali erunt virtutes, & agendi energiæ cujuscunque mixti, illud autem humidũ radicale potestne simplici & vulgari pharmacopolarum distillatione extrahi? Perpendant ergo medici, & pharmacopolæ quid debeat distillationi committi, & quæ aquæ ad usum medicum servandæ sint, existimare debent, ne se ipsos & ægrotos decipiant, inconsultò, & frustrentur à medicinæ scopo: nam aqua quam conservare debent, est humidum radicale cujuscunque rei, ad quod habendum nonnulla proponam pyrotechnica exemple, ad quorum methodum reliqua omnia poterũt haberi humida radicalia.

Virtus & facultas in cẽtro, in quo residet.

Cap. II.

De aqua Rosacea.

Methodus extrahẽdæ aquæ rosarum.

Rosæ colligendæ sunt verno tempore, in solis ortu & cõtundendæ in mortario lapideo marmoreo, & vasi amplo vitreo aut alii cuivis imponendæ,

pendæ,ut per tempus tandem deferveant: postquã autem deferverit succus ille cum magmate suo, hyberno tempore distillanda est aqua ex succo illo rosarum, non verno tempore ut faciunt omnes communiter, & levissimo calore balnei extrahendus est spiritus rosarum qui in ascensione sua & distillatione in capitello alembici strias facit, veluti spiritus vini: hic spiritus perquamoptimè costodiendus, est, & in phialis vitreis perquamoptimè clausis asservandus & custodiendus, ne evanescat. Reliquũ verò quod distillat est phlegma aquosum alicujus virtutis & odoris, & majoris multò, quàm aqua vulgaris rosacea, communi methodo distillata: hoc phlegma poterit conservari ad condimenta vulgaria hominum, & odorem rosaceum indendum quibusvis rebus; non tamen ad usum medicum, quod debiliores omnino habeant agendi facultates, totæ enim sunt in spiritu superius reservato, ut videre est, ex proprietatibus suis & ipsamet experientia.

Vires & usus aquæ Rosaceæ.

Vires aquæ rosarum.

1. Hemicraniam certissimè, tutissimè, & jucundissimè curat, & omnes dolores alios quoscunq; capitis, ex corroboratione cerebri & spirituũ ejus, quam inducit odore suo, ex balsamica sua substantia aliquatenus cocta, & perfectissimè depurata.
2. Febribus omnibus biliosis, ardentibus, & putridis convenit, quia putridos humores insensibiliter consumit, & impedit alios restantes ne putrescant: sulphur inflammatum & adustum extinguit in massa balsamica nostra, quã medici vulgares, massam, sanguinem dicunt.
3. Inflammationibus externis erysipelatis summũ est remedium; sola enim inunctione externa mitigat, & extinguit.

4. Fœtidis oris exhalationibus, sive ex putridis dentibus, sive ex indigestione stomachi, & putridis humoribus in eo stagnantibus id proveniat, summoperè succurrit, propter fragrantissimum odorem suum, quem ex puro sulphure suo habet.
5. Somnum etiam conciliat, quòd recreet, & refocillet spiritus animales, ex balsamica sua virtute.

Dosis aqua rosarum.

Sumitur à quantitate drachmæ unius aut alterius in jusculis, in syrupis, aut ovo sorbili, manè, jejuno stomacho, aut longo tempore post pastum.

Cap. III.

De aqua Violarum.

Nullus unquam medicus communis & vulgaris, nec pharmacopola, potuerunt adhuc suis ingeniis excogitare methodum extrahendi odorem violarum, nec quisquam eorum dedit unquã aquam violarum fragrantem, & redolentem violarum odorem, & id est, quia chymiam contemnunt, & putant multò se subtiliores esse chymicis, & physicos naturam magis scrutantes & cognoscentes, quam sint chymici: experientia tamen in multis, & ferè omnibus rebus contrarium testatur: sed absit hæc querela, & aquam violarum redolentem, & fragrantem doceamus.

Methodus extrahẽda aquæ violarum: ut citius defervẽat aqua calida vasi imponẽda, citius n. ita deferuent succi omnes.

Colligendæ sunt violæ tempore verno, & contundendæ sunt in mortario marmoreo, & imponendæ sunt vasi vitreo, aut alii cuivis obturato, & relinquendæ per multum tempus ut deferveant: postquam autem deferverint, hyberno tempore distillanda est aqua violarum levissimo calore balnei, in alembicis vitreis, recipiente adaptato alembici naso,

naso, & cum eo optimè juncto respiret, & odor evanescat: spiritus illa distillatione levi ascendet primò, & strias faciet, more aliorum spirituum interstillandum, qui spiritus est servandus in phialis optimè clausis ad usus medicos.

Vires & usus aquæ violarum.

Vires æmulatur aquæ rosaceæ, sed fortius & potentius refrigerat & humectat omnibusq; morbis, quibus & aqua rosacea adhiberi potest adhibetur & ipsa; & potentius quidem agit in affectibus calidis tum cerebri, & aliarum partium, quã & ipsa aqua rosarum agat; ideoque non novas ei dabimus vires, sed easdem ferè.

Vires aquæ violarum.

Sumitur ad eandem quantitatem ad drachmam putà unam aut alteram, in jusculis in syrupis, in ovo sorbili & similibus quæ palato arrident.

Dosis aquæ violarum.

Ad hanc methodũ poterit extrahi florum omniũ fragrantium spiritus ad usus medicos, & condiméta & blandimenta corporis humani.

Cap. IV.

De aqua papaveris.

Flores purpurei, rubei, albi papaveris collecti & contusi ut prius in aquis rosarum & violarum vitreis vasis aut aliis custodiendi sunt & asservandi, donec deferverint, quod fiet intrà tres aut quatuor menses. Deinde hyberno tempore distillandum erit quicquid erat asservatum in vase & distillandũ quidem erit levissimo calore balnei tepentis, ut ascendat spiritus papaveris, strias faciendo, qui custodiendus ad usus medicos insignes.

Methodus extrahẽdæ aquæ papaveris.

Ad similem & eandem methodum poterit parari spiritus & aqua lactucæ nenupharis, mandragoræ & jusquiami, ad similes effectus parandos in

mor-

morbis curandis; quibus ſpiritibus ſi grana quædã ambari griſei & moſchi diſſolvantur, erunt potentiſſima remedia, & laudana dicta ad conciliandum ſomnum tutò, citò & jucundè nullo vitæ diſcrimine, parvoque impenſo.

Vires & uſus aquæ Papaveris.

Vires aquæ papaveris.

1. In conciliando ſomno nihil eſt efficacius, & verum nepenthes eſt, & laudanum chymicum, etſi ſimplex & unica ſubſtantia coërceatur, non implicatis multis rerum eſſentiis.
2. Febres bilioſas omnes & ardentes extinguit, quòd intemperatum ſulphur accenſum in balſamo naturali noſtro, ſuo temperamento deducat ad temperiem, & ſales corroſivos & mordentes, & cauſticos mitiget, & corrigat.
3. In ardoribus urinæ nihil eſt efficacius, & renum & veſicæ inflammationibus, quòd ſiccitatem & ardorem ſalis balſami noſtri humectet & refrigeret ſuo calido humido temperato.
4. Inflammationibus omnibus internis medetur propter eandem rationem, & reducit balſamum noſtrum ad debitum & rectum temperamentum.
5. Doloribus omnibus ſive ex arthritide proveniât, ſive ex aliis quibusvis cauſis, contuſionibus, vulneribus, & ulceribus eſt ſummum anodynum interiùs aſſumptum & exteriùs applicatum.

Uſus & doſis aquæ papaveris.

Sumitur à quantitate ʒ ß. ad ʒ j. in juſculis, ovo ſorbili, ſyrupis aut aquis communiter diſtillatis, aut decoctis; aut cum phlegmate ſuo, ut ſerviat illi tanquam vehiculum ad deportandas ejus virtutes per totum corporis noſtri ambitum.

Cap. V.

De aqua Melissæ.

Melissa seu Melissophyllum colligendum est æstivo tempore, aut in fine veris, & contundendum est cum parum vini, & recondendum in vasis optimè clausis, ut per tempus deferveat: deinde hyberno tempore postquam optimè clausum deferbuerit distillandum est, donec levissimo balnei calore, ascendat spiritus, strias faciendo, ut in reliquis superioribus: qui spiritus perquamoptimè custodiendus est ad usus medicos.

Methodus elicienda aquæ melissæ.

Vires & usus aquæ Melissæ.

Vires aquæ melissæ.

1. Cerebrum ita confortat & roborat ut eius internas facultates & functiones magis augeantur, earumque vires valeant quàm communis natura ferat.
2. Cor & hepar proximè roborat eorum spiritus multiplicando, propter ingentes & copiosos similes balsamicos spiritus quos secum continet.
3. Sanguinem mirificè depurat & obstructiones omnes aperit, menstrua prolicit, & pallidos virginum fugat colores, propter innatum & naturalem calorem quem habet & salis spiritū solutum.

Dosis aquæ melissæ.

Sumitur ad quantitatem ℥ ß. in jusculis, aut syrupis appropriatis & convenientibus morbo curando.

Cap. VI.

De aqua Buglossi.

Methodus extrahēda aquæ buglossi.

Buglossum cōtundendum est in mortario marmoreo, veluti & in prioribus factitatum est, & contu-

contusum condendum in vasis optimè ad deferve-dum: postquam deferverit distillandum ut priùs, & deinde ultimò asservandus ejus spiritus, pro aqua cordiali.

Vires & usus aquæ Buglossi.

Vires aquæ buglossi.

1. Cor admodum confortat & roborat adversus pestilentis auræ mephytes, & humorum omniũ corruptorum malignos vapores, hinc nihil est potentius ad animi deliquia refrenandã

Calorem naturalem multiplicat, & auget, vitalesq; spiritus mirificè recreat & sanguinem purificat, propter salem suum dulcem & temperatum quẽ in suo spiritu dissolutum habet.

Dosis aquæ buglossi.

Sumitur ad quantitatem drachmæ unius aut alterius in jusculis vel ovo sorbili, aut syrupis ejusdẽ Buglossi aut de limonibus.

Conclusio.

Possem in longius protrahere librum hunc de aquis: at existimavi hæc exempla sufficere Lectori, ut ad similem methodum reliquas aquas chymicas seu spiritus elicere valeat, ex omnibus plantis, ex quibus in votis erit talem spiritum extrahere ad suos medicos usus: eadem enim via & methodo eliciuntur. Itaque repetere toties eandem methodum & viam, tædiosum existimavi: quocirca grata sint tibi quæso hæc paucula exempla.

Finis libri Quinti.

DE SYRUPIS CHYMICIS ARTE CHYMICA PRÆPARATIS,

LIBER SEXTUS.

CAP. I.

De Syrupis in genere.

SYrupi, Apozemata, julapia, propotiſmata quæ antiquitas in præparandis, tum humoribus, tum corporibus ad purgationem offerebantur, erant levia quædam medicamenta, decoctionibus ſaccharo, aut melle conditis præparata, quæ ante purgationes generales offerebantur, unde propotiſmata prædicta ſunt in uſu adhuc ſunt & tum aquis diſtillationibus præparatis, & decoctis paratur, ſaccharoque & melle condiuntur vulgariter. Attamen chymici methodum aliam invenerunt, ſubtiliorem multò & efficaciorem hac vulgari præparatione, qua hæc propotiſmata & jucundiora ſunt, & durabiliora, & multò efficaciora; fides erit penes experientiam: methodus autem ſequentibus patebit exemplis.

Syrupi quid ſint.

CAP. II.

De Syrupo roſato laxativo arte chymica præparato.

Methodus faciendi ſyrupi roſacei.

SUmmo manè collectæ roſæ, ante ſolis ortũ, verno tempore, mortario cõtunduntur marmoreo & prælo exprimitur earum ſuccus, vel decoquuntur

tur in aqua laudati fontis: & expresso & colato decocto, iterum aque iterum per decem ac totidem vices iteratas decoquuntur novæ & recentes rosæ, & exprimuntur singulis vicibus, clarificatur decoctum tum filtro, tum in balneo Mariæ, rejectis fecibus nigris, donec decoctum aut earum succus depuratus perquamoptimè habeatur, rubedine candescat, ex quo in balneo Mariæ extrahi oportet phlegma aquosum quoddam, quod levissimo calore ascendit, & remanet magma quoddam spissum, rubedine clarum in fundo alembici; cui addendum est sacchari quantum satis ad syrupum parandum, sufficientis spissitudinis: cui cocto & perfecto addendum iterum est octavum aut sextum pondus sui ipsius spiritus rosarum superius extracti libr. 5. cap. 2. & peroptimè miscere cochleari argenteo aut spatula lignea, oportet, & conservare ad usus medicos in vasis vitreis & conservis.

Hic idem syrupus potest præparari ex magmate quod in fundo relinquitur ex distillatione spiritus rosacei, superius declarati, modò magma tale depuretur perquamoptimè à suis fecibus & clarescat; quod ritè facies & perlimpidè absolves, si magmati conjungas aliquid cremoris tartari & parum calefacias, & filtres: sic habebis perlimpidum rosarum succum rubore clarum, quem sacchāro admixto in syrupum coquere poteris, & spiritu rosaceo admixto conservare ad usus medicos excellentes & præclaros.

Vires & usus syrupi rosacei.

Vires syrupi rosacei.

1. Jucundè admodum purgat humores peccantes in prima regione, & nulla molestia educit.
2. Obstructiones omnes aperit, visceraque omnia roborat, & calorem naturalem multiplicat; quòd

quòd ſeroſos humores & frigidos foras educat.

Hoc medicamento nullum aliud reperitur aptius & commodius ad purgandos pueros, ſenes & imbecilles omnes, & qui medicamenta reſpuūt; nam gratiſſimi eſt odoris, & ſuaviſſimi ſaporis, & leniſſime educit humores peccantes.

Sumitur ad quantitatem unciæ unius in juſculis tenuibus, & aquis Roſaceis, idque ſummo mane, jejuno ſtomacho. *Doſis ſyrupi roſacei.*

Cap. III.

De Syrupo roſarum ſiccarum aſtringenti.

Roſæ rubeæ ſiccæ ad quantitatem ℔ j. poſſunt macerari per viginti quatuor horas in cineribus tepidis in phiala vitrea optimè clauſa in libris quatuor aquæ communis laudati fontis, expreſſum torculari factum poteſt purificari digerendo in balneo calido in phiala vitrea donec optime clareſcat: remotis fecibus quæ in fundo reſident ſaccharum optimum addendum eſt, & coquendum ad ſyrupi conſiſtentiam: huic deinde addendæ guttulæ aliquæ ſpiritus vitrioli ſpagyricè præparati, vel ſpiritus ſalis nitri: & ſic habebis ſyrupum acidum roſarum valdè aſtringens: poteſt hic ſpiritus vitrioli aceſcens in infuſione roſarum addi ad extrahendū colorem roſarum & tincturam earum, & tinctura hæc clarificata addito ſaccharo in ſyrupum coqui & ſervari ad uſus ſequentes. *Methodus faciendi ſyrupi roſacei aſtringentis.*

Vires & uſus ſyrupi roſarum ſaccarum.

Calidos cerebri affectus moderat, & temperat, &

acres defluxiones ſiſtit, ventriculum roborat, ſitim extinguit, ſomnum conciliat, alvi fluxus & diarrhœas cohibet, tenaſmo medetur, apthas orisque ulcuſcula quę in ore infantium ex acrimonia lactis enaſci ſolent, curat & delet magno juvamine.

Sumitur ad quantitatem unciæ unius aut alterius in aquis appropriatis, & morbo ſanando convenientibus, vel exteriùs applicatur ungendo & delambendo, ut in curatione ulcuſculorum lactentium, quæ in ore eorum ſolent enaſci.

CAP. IV.

De ſyrupo acido ſimplici.

Methodus faciendi ſyrupi acidi chymicorum.

SUccus acetoſæ torculari expreſſus, & balneo calido depuratus, addito ſaccharo optimo in ſyrupum poteſt excoqui perfectum: huic deinde addendum eſt tantum ſpiritus acidi vitrioli ſpagyricè diſtillati, quantum ſufficit ad gratam acedinem cōciliandam, & erit verus ſyrupis acidus chymicus, cardiacus, multarum virium.

Vires & uſus ſyrupi acidi ſimplicis.

Vires ſyrupi acidi.

1. Cardiacum eſt ſummum & febribus malignis omnibus & peſtilentibus convenit; quòd propter aciditatem ſuam corruptioni & putredini reſiſtat.
2. Vermes omnes & lumbricos puerorum enecat, appetitum auget, ſtomachum roborando & conſtringendo.
3. Alvi fluxus & diarrhœas conſtringit ſua aciditate, & quòd ſeroſos humores acres & mordicantes corrigat & dulces faciat, quòd ſalem acrem calcinet & ſolvat in aliam ſubſtantiam meliorem.

Sumi-

Sumitur in jusculis tenuibus, aut aquis appropriatis, & morbo convenientibus ad quantitatem unciæ unius aut alterius. *Dosis.*

CAP. V.

De syrupo limonum.

Acida nunquam fermentantur ex seipsis, nec fervescunt, quòd in his paucus admodum sit vitæ spiritus qui semper dulcedinem parit, ubi copiosus est; propterea in syrupo limonum parando difficilis est extractio spiritus, ut possit conjungi illius confectioni: nihilominus tamen ex corticibus limonum, & aqua ex eorum succo levissima distillatione extracta, simul connexis, & in vitreum vas inditis tandem fervescunt, & hinc extrahitur spiritus levissima balnei distillatione, qui postea (post succi limonum depurationem in balneo Mariæ factam, & hinc syrupum paratum communi & vulgari methodo) potest addi & connecti syrupo cocto & perfecto, cui etiam potest addi ad majorem perfectionem & virtutem cardiacam ejus augendã & multiplicandam, sal fixũ, ex magmate corticum extractum per calcinationem earum, & ejusdem salis mundificationem: ut jam notum est omnibus fere chymiæ tyrunculis. *Methodus faciendi syrupi limonum.*

Vires & usus olei syrupi limonum.

Vires omnes æmulatur syrupi acidi superioris, & potentiores multo habet & efficaciores, & præsertim in pestilentibus & malignis omnibus morbis curandis, & ab incursione eorum præservatione.

Sumitur ad eandem quantitatem, nempe ad unciam unam, aut alteram, in aquis convenientibus, aut jusculis: herbis cardiacis alteratis ejus virtus cardiaca multiplicatur, permiscendo tantillum aq- *Vires.*

cinnamomi aut croci, addita drachma unica supra libram unam arcani ex auro parati, aut ex margaritis, quæ arcana descripsimus lib. 3. hujus operis: sic enim stupendas vires habet.

Cap. VI.

De Syrupo granatorum acidorum.

Methodus faciendi syrupi granatorũ.

MAla granata, quia subdulcia sunt facillimè fervescunt, & fervore suo spiritus eorũ separatur à suo phlegmate, qui spiritus postquam deferbuerit potest separari levissima balnei distillatione, ut docuimus antea, & magma suum, quod est succus granatorum potest optimè depurari balneo, separando feces quæ in fundo resident, filtro, aut per lenem inclinationem: depuratus deinde succus potest decoqui in syrupum perfectum, additâ sufficienti sacchari optimi quantitate: huic deinde syrupo perfectè cocto potest addi & connecti spiritus optimè clausus ad usus medicos.

Vires & usus Syrupi granatorum.

Vires.

1. Stomachum valde roborat, sua moderata astrictione & aciditate, hinc digestionem auget, & appetitum dejectum restituit, vermes puerorum, & lumbricos in eo existentes enecat sale suo acido.
2. Febribus malignis & pestilentibus in genere omnibus medetur, & convenit, ardorem & sitim extinguit, inquietudines & labores febrium omnium levat & mitigat, quòd corruptionem humorum corrigat, & calorem naturalem foveat.

Dosis.

Sumitur ad quantitatem unciæ unius aut alterius in jusculis, vel per se ex cochleari sæpissimè in

die,

die, longo tempore à cibo ſumpto, ad ſitim mitigandam & ardorem febrium extinguendum.

Cap. VII.

De Syrupo de mentha.

Methodus faciendi ſyrupi de mentha.

Mentha recentiſſimè collecta omni tempore poteſt contundi in mortario marmoreo, cum tantillo aquæ cinnamomi, ut exprimatur ejus ſuccus torculari: expreſſus hic ſuccus in ſufficienti quantitate depurandus eſt in balneo calido, & rejectis fecibus omnibus, decoquendus eſt in ſyrupum perfectè coctum: huic deinde adde olei cinnamomi drachmas aliquas, putà drachmam unam, ſupra unamquamque libram ſyrupi perfecti cocti, & arcani ſanguinis humani, libro primo hujus operis præparati tantundem, & repone in phialis optimè clauſis ad uſus medicos mirandos. Quod ſi arcanũ ſanguinis, nec oleum cinnamomi habeas, fermentato ſuccum menthæ, & ex eo fermento extrahe ſpiritum ejus, & depura ab ejus phlegmate per diſtillationem, & connecte ſyrupo tuo perfectè cocto, ex magmate depurato confecto, & ſic habebis ſyrupum menthæ ſimplicem miræ virtutis; prior tamen præſtat & efficacior eſt multo.

Vires & uſus ſyrupi de mentha.

Vires ſyrupi de mentha.

1. Frigidis ſtomachi & ventriculi affectibus in genere ſubvenit; calorem enim naturalem mirificè auget & multiplicat ſuo interno balſamo.
2. Sanguinem ſummoperè depurat, hepar roborat, unde vitia omnia hepatis tutiſſimè & jucundiſſimè ſanat.
3. Ejus uſus continuus & frequens ſenectutem re-

tardat & juventutem renovat, & vitia omnia coctionum omnium primæ, secundæ, & tertiæ corrigit & emendat; unde totum corpus revovat & reparat, & à morbis & effectibus contra naturam defendit; si arcanum sanguinis illi connectetur, æmulatur vires auri potabilis antiquorum.

Dosis. Sumitur ad quantitatem drachmæ unius aut alterius in ovo sorbili, aut jusculo, summo manè, jejuno stomacho, aut longo tempore à pastu.

Cap. VIII.

De syrupo absynthii.

Methodus faciendi syrupi absynthii. ABsynthium ponticum, aut Romanum potest contundi in mortario marmoreo recentissimè collectum cum parum vini; aut extrahatur torculari ejus succus: succus extractus in balneo depurandus, depuratus decoquendus est in syrupum perfectè coctum, addita sufficienti sacchari quantitate: huic deinde adde salis ejusdem absynthii ex cineribus ejus extracti, per artem & methodum communem, & vulgarem, supra quamcunque libram ℥ ij. olei absynthii libr. 4. hujus operis parati ℥ ß. & misce & serva. Et ad majorem penetrationem, & agendi promptitudinem potest extrahi spiritus absynthii ex ejus succo fermentato, & addi ad pondus unius aut alterius drachmæ supra libram unamquamque syrupi perfectè cocti, & servare deinde in vitreis vasis optimè clausis.

Vires & usus syrupi absynthii.

Vires syrupi absynthii. 1. Vires æmulatur syrupi de mentha simplicis, fortiùs tamen roborat, stomachum & ventriculum, & dejectum appetitum restituit.

2. Ob-

2. Obstructiones omnes aperit tum hepatis, & lienis, & viscera omnia roborat.
3. Pallidos virginum colores fugat & curat, & menstrua educit, sanguinem multiplicando, deobstruendo, & serositates & glutinositates humorum consumendo & extenuando.

Sumitur ad quantitatem ℨij. in ovo sorbili, aut juscculis, herbis morbo propriis & convenientibus alteratis summo manè, idque jejuno stomacho, deambulando post sumptum.

Cap. IX.

De syrupo papaveris.

Methodus faciendi syrupi papaveris.

FLores papaveris cujuscunque recenter collecti contundantur in mortario marmoreo, & succus exprimatur torculari: expressus succus depuretur in balneo calido: rejectis fecibus quod clarum est & limpidum percoquatur in syrupum addita sufficienti sacchari optimi quantitate: huic syrupo perfectè cocto, addatur ad quamlibet libram illius, drachma unica olei papaveris, aut altera, & fiet narcoticum perquamoptimum & tutissimum, cui ad majorem securitatem, ut virtus ejus narcotica aliqua ratione obtundatur, addi potest ad quamcunq; libram, drachma semis olei cinnamomi, aut cariophyllorum superius libro quarto hujus operis præparatorum.

Vires & usus.

Vires.

1. Somnum tutissimè conciliat, vires recreando, & fovendo, & cerebri facultates omnes roborando, unde in mania & phrenitide summum est arcanum.
2. Dolorum omnium est rixotomon & verũ ano-

 dynum

dynum medicamentum, interiùs ſumptum & exteriùs applicatum.

3. Ad febrium omnium continuarum & ardentiũ labores ſedandos nihil eſt potentius.

4. Ad ardorem urinæ extinguendum & mitigandum nihil eſt melius & efficacius.

5. Defluxiones omnes acres & mordaces ſiſtit: & cõpeſcit ſuo narcotico ſulphure, facultatesq; languidas & partes debiles fovet & roborat, calorem naturalem roborando.

Doſis. Sumitur ad quantitatem drachmarum duarum aut trium in ovo ſorbili aut juſculis, aut aquis lactucæ, aut portulacæ, dum neceſſitas urget, modò ventriculus vacuus ſit à copia cibi & potus.

CAP. X.

De Syrupo Brioniæ.

Methodus faciendi ſyrupi brioniæ. BRioniæ radices per ſe exſiccatæ & arefactæ cõburuntur in cineres albos in olla fictili nova, non vitreata: ex his cineribus methodo communi & vulgari extrahitur ſal illius: deinde ex eadem ipſa brionia recenti & ſucculenta per decoctionem fortem in aqua laudati fontis & expreſſionem habemus tincturam rubicundiſſimam Brioniæ, quã omninò depuratam & clarificatam decoctione inſpiſſamus ad mellis conſiſtentiam, & additâ ſacchari ſufficienti quantitate decoquimus in ſyrupũ perfectum, cui addimus ad libram quamcunque ſyrupi, unciam ſemis ſalis eiusdem brioniæ ſuperiùs præparatum, & ſervamus ad uſus.

Vires & uſus ſyrupi Brioniæ.

Vires ſyrupi Brioniæ. Purgat leviſſimè omnes ſeroſos humores, & menſtrua potentiſſimè educit, unde virginum ferè omnes morbos tutiſſimè curat; obſtructiones

nes enim omnes aperit & ſanguinem purificat.

Sumitur ad quantitatem unciæ ſemis, aut in fortioribus protenditur potio ad unciam unam, in juſculis morbo curando appropriatis, & convenientibus; idque ſummo manè, jejuno ſtomacho, ſervato regimine, & cuſtodia more vulgari. *Doſis.*

Cap. XI.

De Syrupo Ariſtolochiæ.

Radices recentis Ariſtolochiæ rotundæ contuſæ, & ſufficienti ſpiritus vini quantitati permixtæ, ad eminentiam quatuor aut ſex digitorum, in phiala vitrea optimè clauſa, in cineribus tepidis, per tres aut quatuor dies digerendæ ſunt, donec rubeſcat vini ſpiritus, qui poſtea eſt extrahendus per inclinationem, & novus addendus, ut tota extrahatur Ariſtolochiæ tinctura, quæ tum demum in balneo Mariæ diſtillanda eſt, ut ſeparetur ſpiritus vini, & remaneat tinctura rubicundiſſima, in fundo alembici inſtar mellis, cui addenda eſt ſufficiens ſacchari quantitas, & in ſyrupum percoquenda, cui ultimò ſal connectendus eſt, & ſervandus eſt ad uſus medicos varios: ad majorem efficaciam poteſt extrahi ſpiritus Ariſtolochiæ ex ſucco ejus fermentato, & poſtquã depuratus eſt ſpiritus à ſuo phlegmate, addendus eſt ſyrupo: ad quamcunque libram ejus, addenda eſt ſpiritus drachma unica aut altera. *Methodus faciendi ſyrupi Ariſtolochiæ.*

Vires & uſus.

1. Vires æmulatur ſyrupi de brionia, aut potentiùs agit in depurando ſanguine, & purgandis ſeroſis humoribus, & educendis menſtruis. *Vires ſyrupi Ariſtolochiæ.*

2. Ulcera præterea interna ejus frequens uſus curat, & ad cicatricem conducit; imò & externa ulcera & fiſtulas eius internus uſus ad curationem diſponit, quòd ſanguinem depuret, & vindicet à ſale acri & mordaci.

Doſis.

Sumitur ad quantitatem unciæ ſemis in iuſculis pulli, aut ovo ſorbili, aut aquis morbo curando idoneis, idque ſummo manè, ieiuno ſtomacho, ſervato regimine & cuſtodia, propter eius purgandi, & evacuandi energiam.

Ad ſimilem & eandem methodum poſſunt parari ſyrupi ex extracto tythimali, eſulæ, latyris, cucumeris agreſtis, & aliarum ſimilium plantarum purgantium, & violentiſſimè ex ſua natura humores omnes evacuantium. At modò ſuccus earum plantarum perquamoptimè depuretur in balneo calido, & ex ſucco ſic depurato extrahatur tinctura ſpiritu vini optimo: poſtquam ſpiritus vini per balneum Mariæ extractus eſt ex tinctura, poteſt parari ſyrupus gratiſſimus, ad purgandos humores quosvis corporis humani, anteponendus medicamentis quæ multo precio & labore ſummo, & ingenti periculo aſportantur in has regiones, & longinquis terræ plagis: at, proh nefas, incuria medicorum medicinam nobis fecit precio & periculo emendam: benigna tamen natura ubi poſuit malum ibi poſuit remedium, non in exteras regiones quærendum.

Cap. XII.

De ſyrupo Corallorum.

Methodus faciendi ſyrupi corallini.

Coralla rubea poſtquam aceto ſtillatitio diſſolveris, & acetum in catino argenteo evaporaveris,

veris, ſalemque in fundo remanentem aqua dulci ſtillatitia edulcoraveris ſucco granatorum acidorũ aut dulci depurato permixtum addita ſufficienti quantitate ſacchari in ſyrupum perfectum decoques: huic iterum addes arcani ex corallis parati ad unamquamque libram drachmas duas. Arcanum, ſeu quintam corallorum eſſentiam deſcripſimus libro 3. huius operis cap. 22.

Vires & uſus ſyrupi corallini.

Vires ſyrupi corallini.

1. In morbis venenatis nihil eſt potentius, & ad præſervationem in peſtifero tempore nihil eſt tutius & commodius.
2. Vires æmulatur quintæ eſſentiæ corallorum; at tardiùs & ſegniùs agit, propter admixtum ſaccharum, & granatorum ſuccum, quæ ejus efficaciam retundunt.

Doſis.

Sumitur ad quantitatem unciæ unius per ſe, ſummo manè ieiuno ſtomacho, deambulando, & corpus agitando, leviſſimo motu, poſt ſyrupi potionem.

CAP. III.

De ſyrupo Margaritarum.

Methodus faciendi ſyrupi margaritarũ.

SAl Margaritarum vulgari & cummuni methodo habendus eſt & parandus: huius deinde uncia unica aut altera permiſcenda eſt cum libra ſemiſſe ſucci bugloſſi depurati, & addita ſacchari ſufficienti quantitate in ſyrupum excoquenda: huic ſyrupo perfectè cocto adde quintæ eſſentiæ Margaritarum lib. 3. cap. 21. deſcriptæ ℥ iij. miſce & ſerva.

Vires

Vires & usus syrupi margaritarum.

Vires syrupi margaritarũ.

1. Summum est cardiacum, & collapsas ætate vires reparat & fovet, humidum radicale multiplicando, propter internum suum balsamum naturale, nostro homogeneum & coæquale.
2. Hecticis admodum, & tabidis convenit & pedetentim calorem eorum præter naturam & febrem extinguit; humidum radicale multiplicando.

Dosis.

Sumitur ad quantitatem drachmarum duarum singulis diebus, summo manè, in aqua rosacea, aut cum lacte humano recenter è mammis extracto & elicito, vel cum ovo sorbili recenti, & sub cineribus tepidis calefacto.

Finis libri Sexti.

DE

DE PILLULIS ARTE CHYMICA PARATIS,

LIBER SEPTIMUS.

CAP. I.

De pillulis Mercurij.

TUrpetum Paracelsi quod est mercurius oleo sulphuris per campanam facto, præcipitatus, & Aquila mercurii quæ est ejus sublimatum à sale communi præparato edulcoratum; & corallinum arcanum, quod est mercurius aqua forti præcipitatus, in pillulas possunt efformari: at quòd potentissimè & violentissimè evocent humores in corpore peccantes, de his in præsenti opere non erit sermo. At docebimus pillulas parare ex mercurio, mitioris facultatis & jucundioris & tutioris actionis. Tales erũt, quæ parantur sequenti methodo ℞. quintæ essentiæ argenti vivi lib.3. cap.8. hujus operis præparatæ unciam unam, amyli unciam semis, moschi grana decem, ambari optimi drachmam semis, olei cinnamomi ʒ j. misce fiat massa, aluta cooperienda, & vitreo vase concludenda ad usus.

Pillula mercurii.

Vires & usus pillularum mercurii.

1. Vires, facultates, & virtutes omnes retinent & possident, ac quinta essentia mercurii: omnibus morbis conveniunt, quibus usus est purgandi, & humores in corpore putres evacuandi.

Vires.

Dosis

Dosis. Dosis est pillula unica ponderis scrupuli unius, post primum somnum devorata, vel summo manè servato regimine & custodia.

CAP. II.

De pillulis antimonii.

DIVERSIMODE præparant chymici antimonium, alii in vitrum præcipitant, nonnulli in flores sublimāt, alii in oleum rubicundissimum fundunt, alii in salem fusibilem indurant: ex quibus omnibus præparationibus pillulæ possunt efformari: at nisi à prudentissimo exhibeantur medico periculum imminet ne malum curandum & ipsummet ægrotum è medio tollant præ nimia evacuandi facultate. Tutissimas tamen ex antimonio paratas exhibemus pillulas sequenti via. ℞. quintæ essentiæ nostræ antimonii libro 3. cap.15. hujus operis descriptæ, unciam unicam, corticis citri conditi unciam semis, farinæ amyli ʒ ij. moschi & ambari optimi ana scrupulum unum, olei anisi & cariophyllorū ana ʒß. misce, fiat massa, malaxando simul & aluta nova includenda & vitro, & servanda ad usus medicos varios & insignes.

Vires & usus pillularum antimonii.

Vires Vires omnes retinent ac quinta essentia antimonij: harum usus frequens leprosos certissimè curat, & renovat totum hominem: stupendas virtutes habent creditu difficiles, & fides erit penès experientiam.

Dosis. Dosis earum est pillula unica, ponderis drachmæ unius, summo manè devorata, jejuno stomacho, seruato regimine & custodia artis.

CAP.

CAP. III.

De pillulis vitrioli.

EX Colcotare vitrioli per reiteratas calcinationes & solutiones & evaporationes paratur sal quidam albissimus & ultimò rubeus, summè depuratus, qui in pillulas potest efformari, ad commodiorem ejus usum sequenti via. ℞. salis vitrioli vulgari & communi methodo præparati unciam unam; pulpæ passularum unciam alteram, olei anisi & cinnamomi an. ℈ j. farinæ amyli ʒ iij. moschi ℈ ß. misce, fiat massa aluta nova recludenda & involvenda, & totum in conserva vitrea custodiendum ad usus.

Pillulæ Vitrioli.

Vires & usus pillul. vitrioli.

Vires.

1. Serosos & pituitosos in ventriculo stagnantes humores potentissimè educit.
2. Menstrua muliebria efficacissimè prolicit, secundinas educit, & fœtum ipsum ad partum promptissimè movet.
3. Epilepsiam curat, & omnes cerebri frigidos affectus, Apoplexiam & alios ejusmodi affectus si curatu possibiles sint, curat quàm potentissimè.

Dosis earum est, pillulæ tres ponderis scrupuli unius unaquæque; ita ut sint scrupuli tres in vnaquaque dosi.

Dosis.

CAP. IV.

De pillulis Ebuli.

OLeum seminis ebuli per decoctionem ejus extractum, potest efformari in pillulas gratissimas & suavissimas potentissimæ facultatis, sequenti via ℞. olei seminis ebuli in hypocausto depurati

Pillulæ olei e. buli.

ti

ti ʒ j. farinæ amyli ℥ ij. moſchi ℈ j. olei cinnamomi ℥ ß. corticis citri conditi ʒ ß. miſce, malaxando ſimul, & maſſam faciendo, aluta nova includendam, & in vitro clauſo conſervandam ad vſus medicos inſignes.

Vires & vſus pillularum olei ebuli.

Arcanum eſt ſummum in curatione hydropicorum; ſeroſos enim humores potentiſſimè ſine moleſtia educit, & vires æmulatur omnes olei ebuli, & quintæ eſſentiæ libro 2. hujus operis deſcriptæ.

Doſis earum eſt drachma unica in pillulas parvas deauratas efformata, & ſummo manè, aut poſt primum ſomnum ſumpta, ſervato regimine & cuſtodia.

C A P. V.

De pillulis Rheubarbari.

Pillulæ Rheub. Rheubarbari quinta eſſentia libro ſecundo cap. 21. hujus operis deſcripta poteſt efformari in pillulas ſequenti via ♃. Quintæ eſſentiæ Rheubarbari unciam unam, micæ panis albiſſimi unciam ſemis, olei cinnamomi ʒ j. ambari griſei ℈ ß. ſalis Rheub. optimè depurati ʒ iij. miſce, fiat maſſa, via communi & methodo, aluta nova involvenda & vitro concludenda ad uſus.

Vires & uſus pillulæ Rheubarbari.

Vires. Vires æmulatur omnes quintæ eſſentiæ Rheub. unde hîc non ſunt repetendæ, ſed caput illius inquirendum, & ibi virtutes indagandæ, & per experientiam experiendæ.

Doſis. Doſis eſt drachma vna & ſemis, in pillulas efformata,

ta, & post primum somnum devorata, servato regimine & custodia.

Cap. VI.

De pillulis Agarici.

Quod de Rheubarbaro factitatum est, idem in agarico potest fieri, ejus putà quinta essentia lib.2.cap.22 hujus operis descripta in pillulas efformari, sequenti methodo. ℞. quintæ essentiæ agarici, unciam unam, farinæ amyli unciam alteram, olei anisi ℨ ij. salis agarici ℨ iij. moschi grana decem, ut virtus ejus deferatur ad caput: misce fiat massa, ut prius, vitro includenda, aluta nova involuta. *Pillulæ agarici.*

Vires & usus pillularum Agarici.

Cerebrum mitissimè & suavissimè purgant à pituitosis recrementis, hinc catharros evacuant & exsiccant, dolores dentium mitigant, sublata causa: arthritidos etiam doloribus summoperè subveniunt; & vires omnes quintæ essentiæ agarici possident & retinent. *Vires.*

Dosis est, drachma una & semis in pillulas parvas efformata, & post primum somnum devorata, servato regimine & custodia, vel urgente necessitate omni tempore & hora sumi, & deglutiri, post digestionem & cibi sumpti consumptionem.

Conclusio libri septimi.

Omnes quintæ essentiæ & arcana chymica quæ descripsimus, possunt in pillulas efformari simili & eâdem via superius conscripta: quocirca non longiùs protraham hunc librum. Si quis chymicorum desideret pillulas alias, efformare poterit quascun- *Dosis.*

que volet ad similem methodum à nobis præscriptam: quamobrem librum de unguentis & emplastris arte chymica paratis aggrediar.

Finis libri Septimi.

DE UNGUENTIS ET EMPLASTRIS ARTE CHYMICA PARATIS, LIBER OCTAVUS.

CAP. I.

De unguento rosaceo.

Unguentũ rosaceum.

SUccus rosarũ optime depuratus, in balneo Mariæ, & à feculentis suis omnibus recrementis purgatus potest cogi in unguentum sequenti via ℞. hujus rosarum succi tali methodo depurati ℔ ß. spiritus vitrioli ℥ ß. axungiæ porci undecies aut pluries lotæ cum aqua rosacea in mortario marmoreo agitando unde optimè candescat & nitescat ℔ iiij. olei opii thebaici arte chymica parati ℥ j. olei seminum quatuor frigidorum per expressionem extracti ℥ iiij. misce, fiat unguentum agitando in mortario marmoreo, donec omnia pedetentim mixta incorporentur, & fiant unum, ad usum reponendum, in vitreo vase optimè clauso, ut gratissimum conservet odorem & rubicundissimum suum colorem beneficio spiritus vitrioli, qui & frigiditatem auget & astrictionem.

Vires & usus unguenti rosacei.

Vires. Potentissimè refrigerat hoc unguentum; unde omni-

omnibus inflammationibus medetur & eryſipelatibus & doloribus quibuscunque ex cauſa calida ortis, & ſuo gratiſſimo odore cerebrum roborat & reficit,& cor exhilarat.

Applicatur exterius ungendo, idque frigidè, partes dolore aut morbo curando affectas, linteis aqua roſacea madidis appoſitis. *Vſus.*

CAP. II.

De butyro ſaturni, quod & nutritum unguentum dici poteſt.

Ceruſa, minium, Lithargyrum, aut plumbum calcinatum poſſunt diſſolvi in aceto acerrimo ſtillatitio: acetum ſtillatitium clarum & filtratum poteſt incorporari agitatione ſumma cum oleo amygdalarum dulcium, per expreſſionem facto, vel cum oleo ſeminum quatuor frigidorum ad majorẽ efficaciam, donec concreſcat & coaguletur in butyrum candidiſſimum ad mirabiles effectûs patrãdos: hoc unguentum non debent ſpagyrici pharmacopolæ in pixidibus confectum reſervare diutius quàm per ſex aut decem dies, quia evaneſcit & liqueſcit; at acetum ſtillatum habere paratum & dum unguento tali indigent in eo diſſolvere ceruſam per ebullitionem, & filtrato & clarificato aceto, connectere olea prædicta, & in butyrum agitatione coagulare, & ad uſus præſentes & urgentes applicare: vel diſſolutionem Saturni puram & limpidã in phialis vitreis aſſervare, ad uſus prædictos. *Butyrũ ſaturni.*

Vires & uſus butyri ſaturni.

Ad omnia quibus convenit unguentum roſaceum, convenit & butyrum Saturni, & multò potentiùs agit: præterea ambuſta omnia ſanat & ci- *Vires.*

tiſſime ad cicatricem laudatiſſimam conducit, dolores hæmorrhoidum mitigat & demulcet: ulcera maligna & depaſcentia compeſcit & temperat, ne ultra progrediantur, & dolores eorum extinguit.

Vſus. Applicatur exteriùs ungendo frigidè linteis aceto madidis appoſitis: ejus uſus frequenter iterandus, præſertim in inflammationibus, & ambuſtis, quia corpus ejus citò diſperditur ab inflammatione.

Cap. III.

De unguento Narcotico.

Vnguentum narcoticum. Vnguentum narcoticum poteſt parari ex oleis narcoticis, putà ex papavere, jusquiamo, ex mandragora, ex violaceo, roſaceo, & reliquis ſimilibus frigidis, vim narcoticam habentibus, ceræ albæ perquamoptimè lotæ malaxatis & incorporatis ſequenti via. ℞. Ceræ albæ fuſæ, & liquatæ multoties in aquam roſaceam plantaginis, nenupharis, aut pluvialis injectæ, & malaxatæ ℔ ij. olei mandragoræ ſpagyricè præparati, in libro quarto hujus operis, Capite primo, ℥ iiij. olei papaveris itidem ſpagyricè præparati ℥ ij. olei roſacei, & violacei an. ℥ iij. ſpiritus violacei ℥ iiij. miſce, fiat unguentum, cui addi poteſt camphoræ ſpiritu violaceo diſſolutæ ʒ iij. reponendum eſt ad uſus, in vitreis vaſis optimè clauſis, & obturatis; ne odor ejus evaneſcat.

Vires & uſus unguenti Narcotici.

Vires. Somnum tutiſſimè conciliat, vires collapſas à febre ardenti & continua reficit, & reſtaurat, manias & phrenitides compeſcit & moderat, dolores omnes capitis violentiſſimos citiſſimè mitigat, & extinguit;

tinguit, & eſt arcanum hemicraniæ, dolores alios reliquarum partium etiam compeſcit, & inflammationibus omnibus medetur.

Vſus. Applicatur exteriùs frigide ungendo linteis aqua roſacea madidis appoſitis, ad conciliandum ſomnũ delinuntur nares tempora, & capitis vertex, in mania & phrenitide deraſis capillis, totum delinitur caput in fortiſſimis & robuſtiſſimis corporibus, hauſto priùs potu cardiaco, aut iuſculo ſumpto, cardiacis admixtis,

CAP. IV.

De Butyro, aut coagulo vitrioli, & Nitri.

Coagulũ vitrioli & nitri. NItrum calcinandum eſt, & comburendum, vel per ſe injectis in eo carbonibus ardentibus, vel æquali quantitate tartari admixta, & accenſa, & prunis candentibus per aliquot horas detenta, donec optimè calcinetur in calcem albiſſimam, quæ ſoluta in humido, vel aqua communi pluviali ſtillaticia, & connexa cum æquali quantitate ſalis vitrioli itidem ſoluti, coagulantur ambo in butyrum albiſſimum & coagulum candidum, quod in vitreis conſervis poteſt aſſervari ad uſus medicos.

Vires & uſus coaguli vitrioli, & nitri.

Vires. Coagulum hoc intus, & extra poteſt ſumi & applicari, contra communem unguentorum uſum: intus ſumptum jucũdiſſimè purgat humores omnes tartareos & melancholicos: arthritidi curandæ prodeſt exteriùs applicatum, reſolvit tumores frigidos & ſcirrhoſos, & diſcutit, & diſperdit œdematoſos & pituitoſos tumores, herpetes, herpigines, & ſcabiem omnem tollit ejus *Vſus.*

frequens usus : sumitur ad quantitatem ʒ j. aut alterius in uncia semis syrupi rosati vel violacei.

Cap. V.

De coagulo Antimonii, & mercurii.

Coagulũ antimonii & mercurii.

ANtimonium, & mercurius sublimatus æquali pondere connexi, & in retortam vitream immissi levissimo calore coguntur in oleum aut aquam acidissimam: quæ frigido congelatur; hæc aqua rectificata bis aut ter, & in limpidissimam conversa rectificatione glaciem, spiritum vini à suo phlegmate & aquoso excremento optimè vindicatum coagulat in butyrum scissile candidissimum, vitreo vasi includendum, & servandum ad usus, & si circulentur, simul digerantur levi calore acquirunt colorem rubicundissimum, & majorem penetrandi facultatem.

Vires & usus.

Ulcera omnia maligna, carcinomata, depascentia, curat, & scrofulas, & herpetes, & herpigines, & verrucas, & scirrhos tollit: ejus usus est, ut ulcus curandũ sensim tangatur coagulo nostro, & circum circa ad dolorem leniendum superponatur butyrum saturni, post scarrum dejectum iterum tangatur donec placeat ulcus, & videatur curatum, butyro saturni ad cicatricem conducendũ, aut cum oleo ex vitellis ovi.

Cap. VI.

De coagulo Margaritarum.

Coagulũ Margaritarũ.

MArgaritæ in aceto stillatitio dissolutæ, & per evaporationem aceti in salem conversæ, qui sal depuratus perquamoptimè, & edulcoratus solutio-

lutionibus & evaporationibus frequenter iteratis in aqua pluviali ſtillatitia: ſal tandem ille ita depuratus, & connexus optimo vini ſpiritu ab omni phlegmate vindicato, coagulat ſpiritum vini in butyrum ſciſſile, & coagulum candidum, vitreo vaſe reſervandum ad uſus ſtupendos.

Vires & uſus coaguli Margaritarum.

Hoc coagulum mirum eſt, & ſtupendos habet effectus intus & extra; intus reparat humidum radicale deperditum, ſenectutem retardat, ſanguinem purificat, omnia viſcera roborat, ſpiritus omnes multiplicat, & facultates omnes, & actiones fovet & auget. *Vires.*

Exteriùs applicatum paralyſim curat, torporem membrorum ſanat, membra exſiccata & tabida, cibum & alimentum internum non capeſſentia, & ſpirituum commercio privata, reficit & reſtaurat. Scyrrhoſos omnes tumores & frigidos tollit, & diſcutit. Sumitur interiùs ad quantitatem ʒ j. in ovo ſorbili, manè, jejuno ſtomacho, vel longo tempore à cibo ſumpto. *Vſus.*

Cap. VII.

De unguento Baſilico majori chymico.

Poſſunt & chymici pharmacopolæ baſilicum unguentum componere, fortiùs multò & potentius vulgari & communi baſilico, quod palàm divenditur ad ſuppurationem inducendam tumoribus præter naturam, & ſuavioris odoris, non fœtidi, uti vulgare illud unguentum baſilicum dictũ, quod nullo modo nominis etymologiam ſervat. Nos verò ſequenti via, verum baſilicum componemus. ℞. Ceræ flavæ à recrementis purgatæ, ℔ ij. olei vitellorum ovi ſpagyricè præparati ℥ iiii. olei *Baſilicũ chymicũ.*

philoſophorum, ſeu de lateribus ℥ iij. olei picis navalis ℥ ij. ſpiritus therebentinæ ℥ j. olei rubei therebentinæ ℥ j. ß. olei ſalviæ, aut calamenti majoranæ ana ʒ iij. zibetæ drachmam unam: miſce, fiat unguentum: leviſſimo calore permiſceantur olea prædicta ceræ flavæ, & recondatur in vitreo vaſe optimè clauſo & obturato ad uſus medicos inſignes.

Vires & uſus unguenti Baſilici.

Vires. Frigidis omnibus affectibus convenit, & tumores frigidos diſcutit, & calidos ad ſuppurationem breviſſimo tempore conducit; auget enim calorem naturalem qui totius ſuppurationis eſt inſtrumentum, expellendo quod putridum eſt, & contra naturam in partem affectam devectum & defluxum: reliquum autem conſervat, ne putreſcat, unde citiùs curantur tumores, quia non tam longo tempore putreſcunt.

Vſus. Applicatur exteriùs ungendo partes affectas, linteis calidis appoſitis, donec ceſſet affectus.

CAP. VIII.

De unguento divino chymico.

Vnguentum divinum. AXungia urſina ad quantitatem librarum decem habenda eſt, & perquamoptimè lavanda optimo vino & odorato. Huic axungiæ connectenda eſt axungiæ humanæ ℔ j. his deinde permixtis, & levi igne liquatis, permiſcendi ſunt flores authos, ſalviæ, thymi, majoranæ, tiliæ arboris, agni caſti, betonicæ, meliloti, altheæ, ana ad quantitatem manipulorum duorum aut trium: & in vaſe vitreato, optimè clauſo, in cineribus tepidis, per quindecim dies aut ſaltem octo, detinendi, ut leviſſimo calore decoquantur, & deponant odorem ſuum & ſuc-

ſuccum axungiæ liquatæ. Ultimò tandem dum calet omne torculari exprimendum eſt, & leviſſimo calore decoquendum ad evaporationem ſucci florum. Huic axungiæ, deinde ſic præparatæ admiſce ceræ flavæ ℔ j. olei ceræ ℔ ß. olei de lateribus ℥ vj. olei pulegii, meliloti, calamenti, origani, ſalviæ, roriſmarini, & lavendulæ ana ℥ ij. ſalis eorundem ℥ ß. ſalis volatilis ſanguinis humani ℥ iiij. ſalis fixi ſanguinis humani ℥ ij. ſalis tartari ℥ j. miſce, fiat unguentum vitreo vaſe reponendum ad ſtupendos, & incredibiles effectus in curatione morborum cutaneorum.

Vires & uſus unguenti divini.

Vires. Omnia ulcera vetera & recentia, maligna, & alia quævis citiſſime curat: tumores omnes frigidos ſcirrhoſos diſcutit & emollit, aliosq; ad ſuppurationem conducit, & conductos ad cicatricem laudatã ultra pergit: dolores omnes ex cauſa frigida ortos compeſcit & mitigat, vulnera ſanat quæcunque, menſtrua educit ſolo illitu, & partum provocat.

Uſus. Applicatur exteriùs calidè ungendo partes affectas linteis cooperiendas, ſuperpoſitis emplaſtris calidis, & morbo curando appropriatis.

Cap. IX.

De emplaſtro contra rupturam.

Emplaſtrum contra rupturam. Emplaſtra poſſunt & apud chymicos commodiſſimè præparari & faciliori negotio, quàm apud vulgares pharmacopolas: nam quintæ eſſentiæ omnes & olea eorum ceræ aut pici navali incorporata, & malaxata, emplaſtri conſiſtentiam acquirunt, & fortiora multo ſunt vulgaribus & cõmunibus, diutiusque durant: emplaſtrum ergo ad

herniam seu contra rupturam omnem & ossium dissecationem, sequenti methodo paravimus. ℞. ceræ albæ succo granatorum aut aceto albo lotæ ℔ j. huic adde olei mastichini spagyricè præparati ℥ iiij; aceti sulphuris per campanam facti ℥ ij. tincturæ rosarum ʒ j. croci martis ℥ j. terræ sigillatæ ʒ ij. terræ exanimatæ vitrioli, hoc est fecis vitrioli ex distillatione eius, ab omni eius sale vindicati ℥ ij. magisterii coralli rubei, & lapidis hepatitis ana ℥ ß. magisterii lapidis magnetis ℥ j. olei hermariæ herbæ ℥ ß. extracti eiusdem ℥ j. olei consolidæ maioris ℥ iß. extracti & tincturæ radicis eiusdem consolidæ maioris aceto stillatitio extractę, aut succo limonum aut granatorum ℥ ß. misce, reducantur in emplastri consistentiam, levissimo calore, & fiant magdalia usui reponenda.

Vires & usus emplastri contra rupturam.

Vires.

1. Hernias infantium & puerorum quàm citissime curat, modò emplastrum superpositum optimè ligatum assiduè gestent.
2. Ossa fracta ad callum tutissimè ducit, & impedit, si sit vulnus, ne putrescat & ad suppurationem deveniat, sua astringendi & desiccandi facultate.

Usus.

Usus eius est ut extendatur massa illius, super alutam novam, & parti affectæ calidè imponatur, & strictè ligetur.

CAP. X.

De emplastro Sulphuris.

Emplastrum de sulphure.

EMplastrum de Sulphure reperitur in Antidotariis vulgaribus, at sequenti methodo præparatum longè potentius agit, & vires suas diutiùs servat, nec fœtet ullo modo, ut commune illud de sulphure

phure emplastrum. ℞. Ceræ flavæ puræ & recentis ℔ j. olei rubei therebentinæ ʒ ß. olei picis navalis unc. j. lactis sulphuris ℥ j tincturæ sulphuris per spiritum therebentinæ extractæ ʒ iij. olei ireos spagyricè præparati unc. ß. florum sulphuris spagyricè præparatorum, unc. vj. misce, fiat emplastrum, & formetur in magdalias usui reponendas.

Vires & usus emplastri de Sulphure.

Resolvit humores frigidos delapsos in thoracis musculos: hinc phthisicis & tabidis convenit, & pleuritidi accōmodatur summoperè. Applicatur partibus affectis calidissimè, & fortissimis alligatur ligaturis, & ita alligatum gestandum est, donec cesset affectus & curetur penitus: durat diutissimè eius virtus quamvis assiduè gestetur & carni vivæ appositum sit, nec inde calor naturalis eius virtutem disperdere potest. *Vires.* *Usus.*

Cap. XI.

De emplastro pro matrice.

℞. Ceræ liquatæ, & in vinum odoratissimum proiectæ & peroptimè lotæ ℔ j. salis arthemisiæ, tanaceti, valerianæ, & nepetæ ana unciam ß. olei earundem unc. j. extracti castorei & croci ana unc. ij. olei succini rectificati unc. j. salis margaritarum & corallorum ana unc. j. ß extracti ex splene bovis unc ß. salis jovis, seu stanni unc. j. salis melissæ & dictami ana unc. ß. misce, coquantur levissimo calore, in emplastri consistentiam, & formetur in magdalias usui reponendas, quarum vires nunquam senescunt. *Emplastrū pro matrice.*

Vires

Vires & usus emplastri pro matrice.

Vires. Secretum & arcanum est potentissimum in curandis omnibus uteri affectibus, & assiduè gestatum sterilem uterum fertilem & fœcundum reddit, roborato ejus calore nativo, & expurgato ejus corpore, ab omnibus præter naturam recrementis.

Usus. Applicatur umbilico calidè in forma rotunda, super alutam extensum, & sic ligatum umbilico gestatur.

Cap. XII.

De emplastro vulnerario.

Emplastrũ vulnerariũ. ℞. Ceræ flavæ in vino odoratissimo lotæ ℔ ij. salis saturni unc j. salis lapidis calaminaris unc. ij. salis corallorum rubeorum unc. j salis hypericonis unc. ij. salis aristologiæ rotundæ unc. j. salis cancrorum fluviatilium unc. ij salis vitrioli unc. sem. florum antimonii unc. j. croci martis unc. iij. terræ exanimatæ vitrioli unc. ij. sanguinis draconis ʒ iij. terræ sigillatæ ʒ ij. olei colophoniæ, & picis navalis, ana unc. j. olei hypericonis, & aristologiæ rotundæ ana unc. ij. olei rubei therebentinæ ʒ iij. olei opoponacis, galbani, serapini, ammoniaci, bdellii, carabes, citrini, aloës, hepaticæ, myrrhæ, mumiæ, ana ʒ ß. magisterii hæmatitis lapidis unc. j. misce, coquantur levi calore in emplastri cõsistentiam, & formetur in magdalias usui recludendas: si non satis sit ceræ addatur major quantitas, ut crassescat.

Vires & usus emplastri vulnerarii.

Vires. Inveterata omnia ulcera, nec non recentia vulnera, & ictus ubicunque sint, in quacunq; parte corporis

poris promptissimè curat & agglutinat, putrefactionem inhibet in ulceribus & vulneribus: nervis truncatis, & contusis commodum & propriũ est remedium, cancri, fistulæ, & scrofularum est arcanum: in hernia puerorum curanda, & agglutinanda nihil efficacius. Superponitur partibus affectis, super alutam extensum: nunquam senescit eius virtus, & potentia, propter sales quos continet, in quorum admixtione summa est industria adhibenda, nam difficulter permiscentur.

Vsus.

Cap. XIII.

De emplastro, gratia Dei, dicto.

℞. Ceræ flavæ, ut in prioribus emplastris præparatæ ℔ j. olei mastiches ℥ ij resinæ, seu olei rubei therebentinæ ℥ j. olei betonicæ, pimpinellæ, verbenæ, ana drach. ß. salis earundem herbarum ana drach. ij. misce, & in levi calore coque in emplastri consistentiam, & dum calet, forma in magdalias usui reponendas.

Emplastrũ gratia Dei.

Vires & usus.

Ulcera mirificè curat, & scrofulas ulceratas mitigat, detergit, & tandem, si non cancrosæ sint ad cicatricem conducit. Vulnera etiam recentia citissimè ad cicatricem conducit, & propter laudatas & benignas eius dotes, gratia Dei appellatur. Pharmacopolæ vulgares præparant vulgariter cum herbis supradictis, & nihil in eius compositione ingreditur à fœculenta sua materia & crassitie repurgatum: applicatur partibus affectis super alutam extensum.

Vires.

Vsus.

Finis libri Octavi.

DE

DE ELECTUARIIS TUM SOLIDIS, TUM LIQUIDIS.

LIBER NONUS ET ULTIMUS.

CAP. I.

De electuario rosato.

Electuarum rosarum.

℞. SUcci rosarum rubrarum, depurati in balneo mariæ ℔ ſs. ſacchari optimi ℥ viij. ſalis roſarum pallidarum ℥ ſs. extracti ſcammoneæ ℥ iij. extracti diambræ, & ſantalorum omnium ana ℥ ſem. miſce, coque lentè, in electuarium ſolidum in tabellas parandum ponderis ʒ ij.

Vires electuarii Rosati.

Vires. *Doſis.*

Purgat tutiſſimè omnes humores è lõginquis ventriculi partibus, confert ad curationem colicorum affectuum, & febres quotidianas curat. Doſis ejus eſt, drachmæ duæ in juſculo pulli diſſolutæ, & ſummo manè ſumptæ, ſervato regimine & cuſtodia.

CAP. II.

De electuario Sanguinis humani.

Electuariũ Sanguinis humani.

℞. SAlis fixi ſanguinis humani ℥ ij. tincturæ roſarum rubrarum ℥ ſs. ſacchari optimi ℥ iij. aquæ roſaceæ ℥ j. coque in electuarium ſolidum, in fine decoctionis, adde arcani ſanguinis lib. 1. hujus operis Cap. 8. præparati ʒ ij. ambari ʒ. ſem miſce, & projice in marmor frigidum, in tabellas parandum, ponderis drachmæ unius, in loco calido, & hypo-

hypocausto reservandas: vel coquitur tantùm in electuarii liquidi consistentiam, quia difficulter coquitur in solidum electuarium.

Vires & usus electuarii Sanguinis humani.

Vires æmulatur arcani sanguinis humani, & gratissimum, & suavissimum est electuarium Regibus, & Principibus dignum: accommodatur omnibus morbis, quia reparat & reficit summopere humidum radicale: dosis ejus est drachma unica, summo manè devorata, jejuno stomacho. *Vires & dosis.*

Cap. III.

De electuario Margaritarum.

℞. Salis edulcorati margaritarum ℥ß. sacchari optimi ℥ ij. aquæ rosaceæ ℥ j. coque in electuarium solidum: in fine decoctionis adde olei anisi, & cinnamomi ana ℈ ß. & fiant tabellæ ponderis drachmæ unius, usui reponantur in vitro clauso, & loco calido continendo. *Electuariũ Margaritarum.*

Vires & usus.

Electuarium hoc prodest summopere tabidis, hecticis, & senibus, reparat humidum radicale, & reficit summopere, cor exhilarat, & reliqua viscera à pestilenti aura præservat, & venenis inimicatur. *Vires & usus.*

Sumitur ad pondus ʒ j. summo manè, jejuno stomacho.

Cap. IV.

De electuario Corallorum.

Coralla possunt simili methodo reduci in electuarium solidum, ac margaritæ reducuntur, modò communi via, & vulgari methodo dissolvantur *Electuarium corallorũ.*

vantur in aceto ſtillatitio & convertantur in ſal dulce, & purificatum ſolutionibus, & evaporationibus aquæ pluvialis ſtillatitiæ frequenter iteratis: hoc deinde ſal purum & nitidum ad quantitatem ℥ j. admixtum ſacchari optimi ℥ iij. & unciæ unicæ aquæ roſaceæ poteſt decoqui in electuarium ſolidum: in fine decoctionis adde pulveris roſarum rubrarum, oleo vitrioli irroratarum, (ut perquam optime rubeſcant, & in pulverem tenuiſſimum, & impalpabilem convertantur) drachmas tres, & miſce, & proiice in marmor frigidum, ut fiant tabellæ ponderis ʒ j. Notandum tamen eſt, pulverem roſarum ſicciſſimum eſſe debere, & multoties irroratum oleo vitrioli, aut oleo ſulphuris, donec placeat eius color rubeus; alioquin ſi humidus aliquo modo admiſceretur, electuarium non poſſet coqui in ſolidam maſſam, quia oleum vitrioli impedit, propter glutinoſitatem ſuam in igne non evaporabilem.

Vires & uſus electuarii Corallorum.

Vires. Fluxus omnes alvi, diarrhœas & dyſenterias cohibet & compeſcit, & menſtrua muliebria nimis fluentia, ſanguinem depurat, corruptionem inhibet, venena extinguit, & peſtilentis auræ infeſtas mephytes impedit, ne cordi noceant: cor exhilarat, & cætera corporis viſcera roborat, hæmatoſim, & facultates hepatis fovet, & multiplicat, initia lepræ profligat, & omnia ſanguinis vitia corrigit.

Vſus. Sumitur ſummo manè, ieiuno ſtomacho, ad quantitatem drachmarum duarum, eundo deinde deambulatum, per horam integram.

CAP. V.

De electuario Gemmarum.

GEmmæ omnes, & lapides preciosi, ut rubini, smaragdi, hyacinthi, in salem reducti, via & methodo chymicorum communi, possunt efformari & coqui in electuaria solida, & in fine decoctionis addere possumus ad majorem efficaciam arcani eorundem lapidum, libro tertio hujus operis descripti drachmam aliquam, & coquere ad ultimã perfectionem, & servare in tabellas, in loco aliquo calido, veluti saccharata tragemata, quia aër frigidus fundit & liquat saccharum & sales.

Vires & usus.

Electuaria de gemmis miras habent & stupendas virtutes in reficiendo corpore, hinc tabidis, hecticis & senio confectis corporibus summoperè conveniunt: eorum virtus augetur & multiplicatur, si eis connectatur aliquid arcani lapidum preciosorum, rubini scilicet, aut alicuius alterius gemmæ, vel omnium simul mixtorum, tũc temporis æmulantur vires arcanorum quæ admixta sunt & connexa electuario solidò. *Vires.*

Dosis & methodus sumendi est, ut sumatur talis electuarii ℥j. & deglutiatur summo manè, jeiuno stomacho, superdormiendo si fieri possit & potissimum in hecticis & tabidis id convenit. *Dosis.*

CAP. VI.

De electuario Alchermes.

PLurimi est momenti apud vulgares medicos hoc electuarium, attamen parvæ est virtutis præparatum ut ipsi præparant, quia lapides & au- *Cõfectio Alchermes.*

rum, quod ingreditur eius compoſitionem, virtutē ſuam, & energiam cōmunicare non poteſt propter firmam & duram ejus coagulationis compagem, quæ niſi diruatur, virtus ejus inſignis & mirabilis apparere non poteſt; quapropter chymica ejus electuarii præparatione multò præſtantior eſt; aurum enim ſolutum reperitur, & à ſuo coagulationis vinculo liberatum, & lapides omnes itidem ſoluti ſunt, & reliqua omnia depurata, depuratione ultima, ita ut electuarium præſens ita præparatum, ſit totum formale & propterea activum: ſequenti ergo methodo ita chymicè præparabimus: Inprimis tincturam granatorum kermes per ſuccum pomorum odoriferorum depuratum extractam, puram, putā habebimus ad quantitatem ℔ j. & ſuccum pomorum odoriferorum depuratum, ad ℔ ß. ſpiritus roſarum unc. ij. ex ſucco pomorum, & extracta tinctura granatorum, tinctorum, ſeu chermes, cum ſacchari optimi quantitate ſufficienti parabitur ſyrupus perfectè coctus: in fine hujus decoctionis, dū frigeſcit, alioquin enim evaneſceret in auras, addendus ſpiritus roſarum, & quæ ſequuntur, ambræ crudæ minutim conciſæ & ſpiritu malorum granatorum dulcium diſſolutæ unc. j. ſalis ligni aloës drach. j. ſalis ſantali rubei & citrini depurati, & quantum poterit fieri edulcorati, ana drach. ij. olei cinnamomi drach. iij. ſalis lapidis lazuli, margaritarum, & corallorum & Rubini ana drach. j. extracti moſchi cum ſpiritu ex cortice limonum extracto, drach. ß. auri potabilis, vel ad ejus defectum, ſalis ejusdem drach. iij. vel eo deficiente auri tonantis quod facillimæ eſt præparationis unc. ß. miſce, fiat electuarium incorporando omnia & permiſcendo in ſyrupo prædicto, vaſe vitreo diligenter obturato uſui reponendo.

Vires

Vires & usus electuarii Alchermes.

Hoc electuarium, si aurum verum potabile, aut ejus arcanum libro nostro tertio hujus operis descriptum suscipiat, vires superat auri potabilis communis in reficiendo corpore, in restituenda sanitate, morbos omnes quoscunque curando, senectutem prohibendo, humidum radicale nè deperdatur & consumatur defendendo aut fortiter reparando. *Vires.*

Hoc electuarium Regibus & Principibus in deliciis esse deberet, & omni studio esset comparandum; facile enim factu est, nec eximiæ impensæ. Usus est, ut deglutiatur summo manè, jejuno ventriculo drach. ß. cum parum aquæ cinnamomi superpotatæ & eundo deambulatum in his qui bene se habent, ad conservandam sanitatem: hecticis verò & tabidis somnus competit post ejus sumptionem. *Usus.*

Cap. VII.

De Theriaca chymica.

Celebris est hæc compositio & multarum virium, etiam si cõmuniter componatur; quocirca in votis fuit ejus compositionem chymicam exhibere, quia virtus eius in infinitum quasi multiplicatur: beati & felices, qui talem confectionem secum habent, ea enim sola in longos annos, & toto vitæ suæ tempore à morbis omnibus liberi & vindicati, ævum transigere possunt: sequenti ergo methodo & via, facili negotio componetur. ℞. Extracti stillatitii succo limonum stillatitio aut in balneo tepenti depurato ℔ ij. extracti pastillorum, hedichroi & pastillorum theriacalium spiritu vini facti ana ℔ j. carnis viperinæ spiritu salis conditæ, aut *Theriaca chymica.*

suomet sale ℥ vj. salis viperæ aut alicuius serpentis nostratis ℥ iiij. olei piperis ℥ iij. olei opii thebaici aut nostratis ℥ ß. salis rosarum rubrarum unc. ß. tincturæ rosarum ℥ ij. salis scordii, salis napi, salis iridis, salis zingiberis, salis rhapontici, salis radicum quinquefolii, salis nepetæ, salis marrubii, salis petroselini, salis stecados, salis costi, piperis longi, dictamni, iunci odorati, nardi indicæ ana. ʒ iiij. salis poliisefelecæ, thalaspi ameos, chamædryos chamæpytyos, malabatri, nardi celticæ, gentianæ, anisi, fœniculi, cinnamomi ana ʒ iij. salis vitrioli ad rubedinem purificatione deducti ℥ ii. olei hyperici ℥ß. olei cinnamomi ℥ j. olei anisi ℥ß. cariophyllorum ℥ iiij. olei thuris, & mastichis ana ℥ ij. spiritus therebentinæ ℥ iij. olei seminis dauci ʒ iij. sagapeni, opopanacis, asphalti, castorii, centaureæ maioris & minoris ana unc. ℥. salis Aristologiæ ℥ j. tincturæ eiusdē spiritu vini extractæ ℥ j. olei balsami veri si haberi potest unc. jß. spiritus vini summoperè depurati & alchoolisati, donec odorem gratissimum & suavissimum acquirat ℔. ß. incorporentur omnia & misceantur cum sufficienti quantitate mellis albi ab omnibus recrementis suis depurati, ut fiat electuarium satis liquidum, in vitreis vasis fortibus & duris conservandum, optime clausum ad usus medicos incredibiles.

Sal viperarū & serpentū optimè præparatus & depuratus est summa theriaca & vires superat theriaca vulgaris.

Hæc compositio sic præparata gratior & iucundior multò est, necnon etiam efficacior ut ipsa experientia fidem faciet: at si quis medicorum Galenicorum hanc compositionem impossibilem factu credat, ex essentiarum copia, ad quas comparandas incredibiles expensæ forent necessariæ, deponat quæso hanc ex animo sententiam. Ego ipse iuro & Deum testor meipsum posse, & chymicum quemvis pretio centenorum aureorum, hanc confectionem

nem omnibus numeris abſolutam & completam dare, & nullum eſt in hoc opere electuarium, arcanum, magiſteriũ, aut aliquod aliud chymicum opus, quod pretium excedat quinquaginta nummorum aureorum, niſi copiam ingentem una vice conficere in votis ſit.

Vires & uſus Theriacæ chymicæ.

Virtutes & facultates theriacæ perſequi in vanum eſſet: tot & tanta ipſemet Galenus, aliique doctores medici de theriaca decantarunt ut repetere futile ſit: omnibus tamen dicam morbis accommodatam eſſe theriacam noſtram, & frequens eius uſus ab omni morbo tutum conſervare corpus & vitam in longius protrahere poteſt. *Vires theriacæ chymicæ.*

Uſus eius eſt internus & externus, interiùs ſumitur à quantitate ℈ ß. ad ſcrupulum unum, ſummo manè deglutitum, parum vini, aut aquæ cinnamomi ſuperbibendo, idque vacuo ventriculo: exteriùs applicatur morſibus venenoſis & ictibus, peſtilenti tumori, anthraci & vulneribus etiam recentibus medetur. *Vſus.*

CAP. VIII.

De Panchymagogo chymico.

PAnchymagogum ſeu Catharticum generale & univerſale diverſum & multiplex poteſt excogitari, admixtis quamplurimis ſimul eſſentiis & magiſteriis ex rebus purgantibus extractis & elicitis: nihilominus tamen in lucem dabimus præſens hoc catholicum ſummum quidem, & tutiſſimum & jucundiſſimum, experiētia fidem faciet promiſſi. ℞. Syrupi roſarum noſtra methodo parati ℔ j.

huic adde salis colocynthidos ʒ j. salis turpeti gummosi ʒ ij. salis hellebori utriusque ana ʒ ß. extracti scammonii ʒ iij. extracti sennæ & Rheub. optimi ana ʒ ij. salis ebuli, salis sambuci, salis esulæ, & cucumeris agrestis ana ʒ j. olei ebuli ʒ ß. olei sambuci ʒ iij. spiritus ebuli, & sambuci ana ʒ ij. olei cinnamomi & anisi & cariophyllorum ana ʒ ij. salis margaritarum & corallorum ana ℥ iij. misce, incorporentur omnia in syrupo prædicto rosarum solutivo, & redigantur in electuarium liquidum vitreo vase usui reponendum, optime clausum & obturatum.

Vires & usus Panchymagogi chymici.

Ad purgandum corpus nullum datur in re chymica potentius & tutius medicamentum; purgat omnes humores, & foras elicit è longinquis ventriculi partibus, & omnibus morbis adhibetur; præter hecticis & tabidis, qui dulcius & debilius purgandi sunt, si purgatione indigeant ulla: solus syrupus rosatus solutivus sufficit ad eorum corpora evacuanda.

Dosis hujus medicamenti est ℈ j. ad ℈ ß. in vino optimo, aut aqua cinnamomi; aut cum mica panis albi potest efformari pillula unica, aut duæ, aut tres ex illo scrupulo, & summo manè deglutiri, jejuno stomacho cum regimine & custodia.

Conclusio totius Operis.

Scio, amice Lector, quamplurimos improbaturos fore, nasoque adunco suspensuros, hoc medicamentorum chymicorum antidotarium, tãquam aliquod novum & inauditum opus. Hippocraticæ & Ga-

& Galenicæ doctrinæ incognitum, quam doctrinam inscitiæ accusare velle crimen est, & inscitiæ ipsius vitium in seipsum retorquere: Hippocrates enim & Galenus fuerunt summi in sua arte magistri, hoc fateor; at cùm non omnis ferat omnia tellus, artesque omnes & scientiæ perfici non possint uno in sæculo, ut dictum est in capite libri primi, hujus operis, & in Palladio nostro Spagyrico probavimus multis in locis, nullis injuriæ maculis & ignorantiæ nebulis famam & laudem divini Hippocratis, & acutissimi Galeni afficimus, quod eorum inventis, chymiam, hoc in sæculo quàm in eorum sæculis notiorem addamus, eosque hujus artis obliviosos afferamus, non enim id illis ingenii imbecillitati, at temporis illiberalitati, & avaritiæ est condonandum, quod in progressu suo, & in partibus suis præstantiora & nobiliora quædam nobis sæpissimè communicet, lumine naturæ magis elucescente, in uno tempore quàm in alio, in una regione quàm in altera, ex diverso solo, & cœlo: sol etsi omnia collustret, non tamen æqualiter omnia lumine perfundit, nec omnia tempora serena sunt, sed alia aliis clariora: florent jã artes omnes, & scientiæ, & in posterum vegetiores erunt, Deo sic postulante & cœlo, ex quo tanquam ex perenni, & inexhausto entelechiæ fonte, lumẽ illud naturæ, artium omniũ & scientiarum fomes & fulcrum in nos descendit, per radios planetæ Veneris impræsentiarum sexta sua vice mundum regentis, & gubernantis, spiritu suo, & genio, tenebras & umbram naturæ, aliquatenus discutientis: unde tot & tanta mentis humanæ acumina: at, proh nefas, & dolor! totum illud ingenii acumen, quod nobis omnibus jam cœlũ elargitur, aleis, chartis, scortationi, luxui immodico,

ædificationi, veſtimentorum pompæ, gulæ, & ſimilibus ingenii humani quisquiliis impenditur, quod ſi omnes, quibus eſt è cœlo illud naturæ lumen, vellent luminis illius radios omnes impendere ad naturæ cognitionem, ſecretiora videremus adhuc typis excuſa, quàm excudantur. Quod ad me attinet nihil mihi erit ſecreti, quin liberali manu, omnibus porrigam, modò gratum ſit hermeticæ artis alumnis, etſi non fugiat & evitet Zoilorum ungues quibus placere, diſplicere eſt.

Finis libri Noni & ultimi.

INSIGNES CURATIONES VARIORUM MORBORUM, QUOS MEDICAMENTIS chymicis jucundissima methodo curavit

PETRUS JOANNES FABRI,
Doctor Medicus Monspeliensis, Castrinovidarensis Philochymicus.



ARGENTORATI
Sumptibus Heredum LAZARI ZETZNERI.

ANNO MDC. XXXII.

LECTORIBUS PETRUS JOAN. FABER DEVOTISSIMUS S. P. D.

ARtem Spagyricam cùm plurimi vilipendant, in eorum confusionem & opprobrium, has omnes curationes apposui, ut his resipiscant, & tandem invitis eorum falsis opinionibus palinodiam canant; discent etenim, & videbunt experientia ipsa, morbos quos curatu difficiles putant medici, & quos medicamentis vulgaribus pertinaces, & indomitos quotidie experiuntur, curatu faciles in quibusvis subjectis, medicamentis chymicis conspicient, non solùm podagram, arthritidem, calculum, tabem, quartanam, sed & lepram experientur curatam fuisse spagyrica methodo nulla violentia, sed tuta jucunditate.

Hisce experimentis certissimè existimavi zoilorum nostrorum animos ab erroribus educere posse, eorumque conscientias emovere, ut laudem condignam, honoremque debitum chymicæ arti, suis convitiis furatum, tandem panegyrico decantato sermone, devotè reddant: & ut infiniti alii eorum exemplo, ad eam nobilissimam artem addiscen-

discendam & honorandam, utilitate quàm maxima pelliciantur.

Plus est vitæ restituendæ, imò & conservandæ, facultatis & virtutis in solo antimonio spagyricâ arte optimè præparato, quàm in totis pharmacopolarum communium antidotariis, in quibus ornandis, & complendis tota ferè terra exhauritur, ortus nec occidens sufficiunt penuriæ illorum: Poli utrique non sat gemmarum, & fruticum habent ad varias antidotariorum compositiones perficiēdas, aërem quoque ferè omnem, mariumque cavernas, & profundissimos gurgites visitant, ut hinc aliquid vitæ restituendæ & conservandæ utile exportare possint. Heu miseri! cur tantis laboribus & periculis ruri quæritis quod domi est, in centro metallorum & mineralium latet quidquid esse potest in tota rerum natura, vitæ nostræ restituendæ, & conservandæ efficax & utile. Nihil inde mirum si metalla Planetis respondeant, hi etenim si nobis vitam impertiant, illa etiam jure meritò & naturali, morbos propellent omnes, & amissam sanitatem labentemque restituent: nec Mercurium dicatis venenum, & antimonium, reliquaque mineralia. Quod ex his educunt spagyrici antidotum est, & vitæ fomes, quamvis ex medio veneni sit eductum: antidotarium prædictum, & curationes subsequentes fidem facient tanti facti. Si quis tamen adhuc est incredulus, abeat quæso desperatus in exteras regiones, ibique

come-

comedat porcorum reliquias, cùm illi in ō sufficiant domi paternæ opipari cibi, si tandem tamen redeat, paterna non frustrabitur benignitate, aureo decorabimus illum anulo, lautißimisque sophorum mensis illum excipiemus, ibique sale sapientum glaucoma ab oculis depellemus, quo depulso fateri cogetur, spagyricam artem philosophiæ margaritam esse preciosam, spagyricosq; artistas reliquis omnibus prænitere Philosophis, ac veluti duris silicibus, pellucidi prænitent adamãtes. Quod si mihi ipsi gloriam aucupari hinc existimetis, id procul ab animo est: artis cujus laboribus invigilo gloriam & honorem quæro, ostentationem autem procul à me elimino, & à Lectoribus benignißimis id saltem extorquere vellem, ne me ullius gloriolæ avidum putent, sed spagyricæ artis acerrimum defensorem, cui tuendæ quicquid erit ingenii & industriæ libenter impendam, arcanaq; sua in laudem honoremq; ipsius Lectoribus pandere non recusabo, ut tandem ipsamet & ipse collatis hisce beneficiis, de his bene mereri valeamus. Valete Castrinovidarii, decimo Kalendas Maij anni 1627.

CURA-

CURATIO PRIMA MANIÆ, ET GANGRÆNÆ.

Omnia medicamenta chymica, quæ in curandis morbis subsequentibus omnibus impensa fuerunt, habes descripta omnia in Myrothecio: si sint desumpta ex animalibus, reperies Libro primo: si ex vegetabilibus, reperies in Libro secundo: si ex mineralibus, reperies in Libro tertio: in Capitulis propriis & peculiaribus, ubi reperies methodum faciendi dosim & usum; quocirca in curationibus subsequentibus non repetam, non actum agam, & fastidio sim Lectoribus, tot repetitionibus; nisi quædam peculiaria medicamenta, ut Lectorem ab inquisitione eorum sublevem.

IOANNES de Ruffinis, vir apud Fuxenses anno 1614. ob bonorum suorum, fructuumque terræ, illius anni amissionem, & caritatem annonæ, incidit in maniam, in qua curanda convocatus ego, curationem illius spagyricam aggressus sum. Itaque misso sanguine ex cephalica dextra ad quantitatem unc. viiij. summo manè, eodem die vespertinis horis, arteriã temporalem dextram tutudi, & misi sanguinem ad unc. vij. robustissimus enim erat ægrotus, ætatis 40. annorum, quadratæ staturæ, nigri capillitii, & temperamenti melancholici. Sequenti verò die, propinatum

natum est Antimonii præcipitatum, ex aqua communi, ad quantitatem granorum xx. fit autem præcipitatus iste Antimonii, ex gummi illo quod per distillationem educitur ex antimonio & sublimato vulgari, simul conjunctis: hoc gummi rectificatur ter aut quater, donec candidissimum sit & purum: deinde præcipitatur in aquam claram, limpidam communem, & agitantur simul in phiala vitrea, & tamdiu lavatur pulvis albus, qui hinc præcipitatur, donec aqua dulcis sit, pereatque omnis acrimonia: deinde siccatur pulvis, qui dici potest antimonium præcipitatum. Hujus ergo præcipitati antimonii potione multa sursum & deorsum ejecit, & evomuit, singulisque octo diebus, manè, jejuno ventriculo, iterabatur eadem potio præcipitati antimonii. Reliquis verò diebus, sumebat summo manè quantitatem drachmæ unius, arcani sanguinis humani, in Myrothecio nostro descripti, cum granis tribus aut quatuor arcani opii, vel mandragoræ, aut jusquiami, & hisce solis medicamentis perfectè curatus est intra mensem, servato victus regimine, frigido & humido: potabat enim frigidam, in eaque balneabatur sæpissimè. Inter curationem autem fuit vulneratus in tibia dextra, repentino casu, & per incuriam illius vulneris incidit in gangrænam; ad quam curandam iterum vocatus cum chirurgo, tetigi vulnus, & partes vicinas, ustas affluxu causticantis humoris, oleo mercurii, seu gummi, superius citato; & post scarræ sublationem quam oleo vitellorum procuravi, usus sum ad cicatrisandum ulcus, tinctura martis, & aristologiæ rotundæ, & perfectè curatus annuente divino numine; etsi ab omnibus suis desperatus esset, & adhuc vivit incolumis & salvus à primo & secundo morbo omninò liber.

Cura-

Curatio secunda Gangrenæ & Melancholiæ.

BErnardus N. devotus admodum vir ætatis suæ 40. annorum ob studiorũ ferventem operam, divinarumque rerum diurnam nocturnamq; contemplationem, incidit in Melancholiam simplicem absque ulla febre cum vigiliis maximis & longis; ducebat enim menses integros insomnes, & hebdomadas impransus, ad quẽ curandum cõvocati sunt omnes medici, tum Tolosates, tum alii, qui fama aliqua & arte medendi valebant, tentatisq; in vanum omnibus remediis per sex menses, curationem spagyricam tandem aggressus sum Inprimis purgavi ipsum multoties antimonio præcipitato superiori; deinde per quindecim dies usus est singulis diebus sero, eundo cubitum, arcano Lunæ; & arcano jusquiami ad granorum viginti quãtitatem in ℥ ß. spiritus violarũ, & sic perfectè curatus, servato victus regimine frigido & humido, potando aquam frigidam, in qua etiam sæpissime balneabatur. Incidit etiam vulnere recepto in tibia sinistra in gangrenã, quam etiam curavi simili methodo, & iisdem medicamentis, oleo putà mercurii, & antimonii, & tinctura martis, & Aristologiæ rotundæ, & sic convaluit: at paucis abhinc mensibus incidit in quartanam quam jamjam curatam videbimus.

Curatio tertia Febris quartanæ.

IDem ergo vir N. eodem anno 1614. incidit in febrem quartanam, cum tumore pedum & infimi ventris, & dolore ventriculi summo & nausea quotidiana; at brevissimè curatus fuit nostro antimonio præcipitato, febrifugo, & arcano vitrioli nostro, in aqua cinnamomi: ad quantitatem autẽ propina-

pinabatur decem guttarum illud arcanum vitrioli, in aquæ cinnamomi ℥ß. idque ſummo manè; jejuno ſtomacho: uſus eſt etiam per aliquot dies arcano tartari, & tinctura ſeu extracto theriaces, & ſic curatus eſt, & vixit per multos annos ab omni morbo liber.

Curatio quarta Febris quartanæ.

EOdem anno Dominus de Caillauel, nobilis admodum vir, ætatis 25. annorum, præaltæ ſtaturæ, & gracilis corpore; melancholicique temperamenti, quartana fuit detentus per ſex menſes; omnibusque tentatis remediis Galenicorum in vanum, uſus eſt bis aut ter antimonio noſtro, & arcano tartari, & potu vini puri, victusque regimine calido, & humido, & ſic abſque ullo alio tentato remedio evanuit febris; nullis omninò relicta ſymptomatis.

Curatio quinta febris Quartanæ.

ANtonius Faber; Canonicus noſtræ Civitatis, nunc Capucinorum Religionem profitens, anno eodem detentus fuit quotidianæ febris ſymptomatibus; cum dolore ventriculi; & nauſea perpetua; imò & ſingultu, qui ipſum ſummoperè vexabat, unica doſi antimonii noſtri perfectiſſimè curatus fuit.

Curatio ſexta Schirroſi tumoris, & maniæ.

ANno eodem Marcus de Gaillard, ætatis 25. annorum loci du Mas Sainctes-Puelles, ſchirroſo tumore vexatus in crure dextro, nullam inflammationem, nullumque dolorem niſi frigus ſummũ in ea parte perſentiens, vocavit me, ut ab eo tumore libe-

liberarem: itaque ejecto enemate communi ex decocto emollientium & carminantium, misi sanguinem ex brachio dextro, ad quantitatem ℥ viiij. sequentibus diebus purgatus fuit, tribus dosibus iteratis antimonii nostri: deinde applicatum fuit balsamum sulphuris, ex descriptione Rulandi, cum suo emplastro de sulphure: peruncta hac parte & perfricata oleo tartari cum spiritu vini alchoolisato, & sic intrà paucos dies evanuit omninò tumor, per insensibilem transpirationem: at fuit deinde toto anno melancholicus, tristis admodum, & taciturnus, vigiliisque summis vexatus, & appetitu dejecto: incidit intrà sex aut octo menses, post curationem illius scirrosi tumoris in maniam: vocatus ego iterum à suis parentibus misi sanguinem ex cephalica ad animi deliquium; erat enim invenis admodum fortis, & quadratæ statura: sequentibus diebus purgavi ipsum, extracto hellebori albi, & antimonio meo, per sex dies: & deinde per sex alios dies balneans ipsum frigida aqua, actu; erat enim mensis Julii, in quo calores vigebant satis: & sic servato regimine victus humido & frigido, frigidã potando, spiritu violarum alterato perfectè intrà mensem curatus est & adhuc vivit sanus, & ab omni morbo liber, magno Christianæ religionis incommodo, bellator enim strenuus est, vel potius dicam latro audacissimus, qui in hoc civili Gallico bello in itinere magno circa locum Castrinovidarii & du Mas, quamplurimos bonis & vita spoliavit.

Curatio septima meliceridis tumoris in palpebra superiori oculi dextri.

ANno 1615. Germanus Delpy, devotus & pius admodum Presbyter loci de Vignonet ætatis

35. annorum tumorem satis durum in palpebra superiori oculi dextri habuit, nucis avellanæ magnitudine: originem autem duxit hic tumor, ex unctione mercurii crudi cum butyro malaxati, ut à scabie liberaretur. Ab illa unctione statim ortus fuit ille tumor: itaque vocatus curavi ipsum perfectissimè solo litu olei mercurii & antimonii, seu aceto minerali superius dicto. Ulcus deinde ad cicatricem conduxi diachilone magno, & diapalma, oleo vitellorum duorum dissolutis, & in unguenti cōsistentiam reductis, & parti applicatis: & sic perfecte curatus est illæsa palpebra, ita ut jam nulla appareat cicatrix, vivit enim adhuc incolumis & sanus.

Curatio octava Pleuritidis.

ANno eodem 20. die mensis Aprilis, Maria Faber, filia fratris mei, ætatis 10. annorum incidit in febrem ardentem cum tussi, & exspuitione sanguinolenta, & dolore summo lateris sinistri, cum maxima respirandi difficultate, magnoq; pulsu & veloci. Itaque vocatus primo ipso die, postquam enema ejecit emolliens & refrigerans, misi sanguinem ex basilica sinistra partis dolentis, ad quantitatem unc. vij. & dedi sequenti die summoq; manè grana viginti antimonii mei sudorifici, in vino optimo: & statim applicato balsamo sulphuris, & emplastro ejusdem sulphuris ex descriptione Rulandi, super latus dolens, quievit dolor eodem die, & evanuit febris post sudores nulla alia facta crisi: & sic perfectè curata fuit, & plures alios curavi eadem methodo & via.

Curatio nona febris Quartanæ.

IOanna de D. loci de Belpech, serva & ancilla fratris mei, quartana detenta fuit per sex menses;

ſes; anno eodem, ut ipſam curarem, purgavi eam croco metallorum per quatuor dies continuos, propinata doſi ſingulis matutinis horis granorum duodecim in vino optimo: deinde iterum purgavi bis extracto hellebori nigri, diebus ipſius paroxiſmi, & propinata tinctura theriacæ ad quantitatem unc.j. ſummo manè, jejuno ventriculo, perfectiſſimè curata fuit intrà quindecim dies, nullis relictis ſymptomatis, & adhuc vivit incolumis præſenti anno 1625.

Curatio decima Pleuritidis.

ANno 1626. circa menſem Septembris uxor Jacobi Plauty pauperrimi cæmentarii, victum ſuum, & uxoris ſuæ, filiorumque ſuorum ex operatione ſua quotidiana quærentis, ætatis 40. annorum decubuit, cum febre ardentiſſima, dolore lateris dextri, exſpuitione cruenta, & maxima reſpirandi difficultate, urinis admodum rubeis, pulſuque magno & veloci: itaque primis ipſis diebus vocatus medicus dogmaticus, doctus quidem, & expertus admodum, præſcripſit illi omnia quæ conferunt ad tutam curationem pleuritidis, nec ulla dogmatica oblitus eſt: omnem denique volvit lapidem, tentavitque remedia cuncta Galenica, ut morbum depelleret. Deſperatis tandem rebus omnibus, nono die, nulla adhuc facta criſi, & vigentibus omnibus ſymptomatis, vocatus ego inveni ægrotantem delirantem & phreneticam, cui illicò, nullo alio adhibito conſilio, quia premebat medendi ſumma neceſſitas, dedi drachmam ſemis arcani ſanguinis humani; cum drachma ſemiſſe cinnabrii rubei noſtri ſudorifici, ex antimonio & mercurio ſublimato præparati, & poſt gummi quod ex his per diſtillationem elicitur, educti,

cum ℥ j. aquæ cinnamomi. Aſumptione illius medicamenti ſtatim quievit, & ſomno irrepto ſudor univerſalis totum corpus occupavit: itaque ſudavit toto illo die copioſiſſimè: ſequenti die inveni eam optimè ratiocinantem, & ab omni delirio liberam; at vigebant adhuc ſymptomata alia: itaque decimo die iteravi doſim eorundem medicamentorum, ne critico diei ſuperiori; ſudoris cauſam tribuerem, iterumq; dormivit, & ſudavit toto illo die decimo. Undecimo ſequenti die, quia adhuc ſupererat febris, & alia ſymptomata, at valde mediocria, iteravi eandem doſim, dormivit iterum, & ſudavit, & hora quinta poſt meridiem fuit ab omni febre libera, & ab aliis omnibus ſymptomatis: ſupererat tamen nonnullus in eodem latere dolor, itaque applicavi emplaſtrum ſuperius de ſulphure, quod ex ceræ colophoniæ æqualibus partibus, & ſemiparte myrrhæ, & æquali omnium pondere balſami ſulphuris, ut in ſufficientem emplaſtri conſiſtentiam reducatur conſtat; & dedi iterum unicam doſim præſcripti medicamenti, & iterum dormivit, & ſudavit, ſudore abſterſo fuit ab omni dolore libera, & vivit adhuc potens & robuſta mulier.

Curatio undecima ſuffocationis, Epileptici inſultus, & pallidi coloris, & aliorum.

EOdem anno Maria de Charles 20. annorum virgo fuit apud Toloſates, quamplurimis afflicta morbis graviſſimis admodum: ſingulis enim diebus ſuffocatione premebatur, à ſyncope & animi deliquio illo redempta, delirio tenebatur & cõvulſione totius corporis. Poſtquam hęc ſymptomata, mitigata erant, perdurabant tamen aliquando

per

per quindecim dies, invitis medicis Tolosatibus, dolore gravissimo & acutissimo arteriarum temporalium premebatur: ibi ingentes ejulatus & clamores erant, & si aliquando dolores hi remissi viderentur, melancholia simplex ægrotantem nostrã tenebat: itaque videbatur hæc nobilis puella cadaverosa omninò, pallidissimi coloris & viridis, ita ut & ictero laboraret, virgineo morbo, qui erat centrum & origo reliquorum omnium morborum & symptomatum: permansit autem incurata per quatuor, aut quinque annos à decimo quinto anno, usque ad vigesimũ: convocati tamen fuerunt omnes medici Tolosates, ut eam liberarent & salvam facerent: desperatam tandem reliquerunt & tempori curam commiserunt, eam relegantes ad natalem suam domum loci de Folcarde, ubi natali suo aëre, & amicorum parentumve confabulatione putabant tandem eam ad sanitatem redituram fore: nihilominus tamen permansit per multos aliquos menses iisdem morbis afflicta, & cum majori gravitate & asperitate vigebant symptomata. Ita ut cum essent omnia desperata vocatus fui, & percontatus sum quibus medicamentis Tolosates medici eam ipsam puellam tractaverant; itaque vidi enemata præscripta fuisse carminantia, & emollientia, Apozemata, julapia, menses provocantia, balnea, unguenta, Emplastra, embrocationes, multaque alia medicamenta, quæ lubens omitto, ne tædium pariam; ita ut cum animadverterem morbum hũc medicamentis Galenicis non potuisse curari, at potius exasperari, curationem Spagyricam aggressus sum: inprimis percontatus sum, quibus alimentis ipsa ægrotans uti solebat, & inveni, toto vitæ suæ tempore aquæpotam fuisse, carnes omnes respuere, & juscula carniũ: utebatur solùm fructibus omnis

generis, & ovis cum pane coctis, & juſculis oleo, & herbis quibusdam alteratis. Quamobrem mutavi illius victus regimen, vinum pedetentim aſſueſcere præſcripſi; donec purum biberet, & regimen victus totum erat calidum & humidum: deinde præſcripſi ſalem vitrioli, in aqua arthemiſiæ diſſolutum, ad quantitatem drach j. in unc. j aquæ arthemiſiæ. Tanta fuit hujus medicamenti virtus, ut ferè omnia ſymptomata tanti morbi receſſerint; vomuit enim quamplurima pituitoſa, primò & ultimò viridia & flava, maxima quantitate: hoc ſolo tantùm uſu medicamento, & balneo vini cum tartaro, curata perfectè fuit intrà octo dies: cujus tanti beneficii memor ipſa puella, prædives admodum, & nobilibus orta parentibus, ſe, ſuaque omnia, magna adhibita cautela ex mea parte, mihi ipſi in matrimonium legitimum tradidit, & contulit: ex cujus honeſtis amplexibus contra medicorum omniũ opinionem filios pulcherrimos habeo.

Curatio duodecima, Hiſtericæ paſſionis.

NObilis Domina de Montagut, caſtiſſima uxor Domini de la Barre, loci de Faia, anno eodem, circa menſem Septembris paturiit fœliciter, & à partu ob incuriam & inſcitiam obſtetricis mulieris ex cochiis retentis, incidit in hiſtericam paſſionem, decubuit tribus integris diebus ſemimortua, abſque pulſu apparenter, ſine voce & reſpiratione ſenſibili, oculis clauſis, & medio infimo corpore, frigida: à parentibus & à ſuo cariſſimo conjunge vocatus ſum, ut diſcernerem, num penitus mortua eſſet, ut ſepulchro mandaretur: cogitabant enim omnes de funebri pompa potiùs, quàm de ſanitate reſti-

restituenda. Inveni ergo ipsam in lecto jacentem, sine pulsu, sine voce, sine respiratione, candelam enim accensam ori, naribusque appositam nullo pacto difflabat, calore tamen satis blando membra sua ferè omnia fovebantur, rigida tamen, & convulsa omnia erant. Juscula, vinum, & aqua in os injecta indeglutita manebant, clysteres injecti manebant in intestinis absque ullo effectu, cucurbitulæ cum multa flamma, & profunda scarificatione applicatæ fuerant cruribus, & tibiarum suris, frictiones durissimæ factæ, adeò ut excoriata fuerat, mortuam esse, aut morti proximam esse credens de reditu cogitabam. Attamen priùs tentavi remedium sequens: sumpsi salem vitrioli in Palladio meo descripti, & in aqua salviæ dissolvi; quantitas autem erat salis ʒij. aquæ salviæ ℥ij. & primò in os ægrotantis injeci cochlearia duo aquæ imperialis, deglutita tandem absque motu evidenti illa aqua imperialis, subtilis enim erat admodum & rectificata, iterum injeci salem meum vitrioli dissolutum in aqua salviæ, & apposui aquam imperialem simul, ut virtute aquæ imperialis deglutiret medicamentum stimulato calore gutturis, & musculorum laryngis, acrimonia aquæ imperialis, deglutiit tandem omnia cum aliquo motu perceptibili laryngis: duabus horis transactis à potione illa sumpta, copiosissima ejecit multa biliosa per anum: itaque mutatis linteamẽtis, & epithematis appositis cordi ex aqua imperiali, & aqua cinnamomi, cum confectione alchermes, guttisq; nõnullis olei cinnamomi, iterum ejecit quamplurima biliosa portacea per anũ, & ex utero quamplurima nigra, fœtidissima, putrida, & malè olentia: aperiit tandẽ ab ejectione illa oculos, & respiravit satis libere, & voce dolenti cõquesta est: sequẽti verò die post multas tota nocte

ejectiones, perfectè locuta est, & novit omnes. Dedi iterum eandem potionem salis vitrioli, cum aqua imperiali, & salviæ, & vomuit multa pituitosa & biliosa, & apertus est uterus omninò, & fluxere cochia copiosissimè, & convaluit omninò, & adhuc vivit, & est mater multorum filiorum. Quampluri-mas ego deinde curavi similes suffocatas mulieres, imò & virgines.

Curatio decima tertia, calculi Rhenum.

ANno 1617. circa mensem Septembrem, Antonius Colum, dictus Darengue, crudelissimo dolore renum divexabatur, cum urinæ difficultate, & cruris dextri paralysi, & ambulandi impotentia: postquam remedia omnia dogmatica & vulgaria expertus est, à me ipso præscripta, quasi desperabã de salute ipsius; suspicabar enim calculum magnũ in renibus & vesica, tandem ut omnia tentarem, purgavi priùs quater, per quatuor dies continuos absq; ulla intermissione, croco metallorum, quod est antimonium ustum, cum sale nitro, & aqua deinde commune lotum. Deinde dedi mercurium sudorificum, per sex dies, ut pituitosos, serososque humores, quos & mercuriales dicimus discuterem: interim potabat aquam saxifragiæ cum spiritu acido mercurii: est autem hic spiritus extractus ex gummi antimonii, & sublimati mercurii, dum pulvis albus & purgans præcipitatur per aquam communem: aqua acida redditur, & per distillationem separatur aqua communis, & ultimo stillat spiritus acidus mercurii, & antimonii, saxifragus, quo usus sum in hac cura. Curatus enim fuit intrà quindecim dies, & liberatus à dolore, & reliquis omnibus symptomatis, sabulosa materia copiosè ejecta, per

urinas,

urinas, imò & ſexaginta calculos, oſſium dactylorum magnitudine urinali meatu ejecit.

Curatio decimaquarta, Febris Hectica, & Gonorrhea.

PEtrus de Caillavel ætatis 25 annorum, nobilis admodum adoleſcens, anno eodem, ex Lutetia Civitate gonorrheam virulentam domum exportans, convocatis Medicis Toloſatibus, & medicamentis omnibus expertis, per quinque annos integros incuratam ſervavit gonorrheam illam; inciditque tandem in febrem lentam, cum alvi fluxu quàm fœtido. Atrophicus factus omninò, & deſperatus, vocavit me, cui dedi per quindecim dies, in lacte humano è mamma recenter extracto, quindecim guttas arcani ſanguinis humani, cum totidẽ guttis tincturæ coralli, idque ſummo manè, jejuno ventriculo: in potu ordinario utebatur ptiſana ordinaria cum ſpiritu violarum, & ſpiritu acido mercurii, & tinctura auri, oleo vitrioli rectificato extracta, in juſculis ſuis utebatur. Ex horum medicamẽtorum uſu abſque ullo medicamento cathartico, intrà menſem curatus eſt perfectè, & fuit à febre, ab alvi fluxu, & gonorrhea ſua vindicatus & liberatus, & intrà tres alios menſes ſubſequentes, in priſtinum ſuum ſtatum, floridum colorem, vigorẽ; & carnoſum habitum redactus, & tunc temporis matrimonio junctus puellæ formoſiſſimæ, habuitque filios pulcherrimos.

Curatio decima quinta, Febris quartana.

ANno eodem, Dominus de Vernes Juriſperitus, tunc patronus & cauſidicus ſubtilis, nunc Re-

dius Consiliarius,ætatis suæ triginta annorum, ob studiorum suorum ferventem operam, & vigilias in his impensas,cruditates ingentes contraxit & apexias:ab his incidit in quartanam febrem:tentavit multa remedia Galenica & Chymica,sed in vanum, invitis his omnibus perdurabat febris: præscripsi regimen victus calidum & humidum, potabat vinum purum,& summo manè utebatur hipocratico vino,& aqua cinnamomi, & intrà mensem perfectè curatus est,per sudores copiosos, quos singulis diebus per poros corporis natura ipsa valente & robusta,victu tali refocillata,ejiciebat.

Curatio decima sexta, Fistulæ testiculi dextri.

ANno millesimo sexcentesimo decimo octavo, circa mensem Martium, Reverendus in Christo Pater. Joannes de Bourgongne, Religionem Capucinorum profitens,& tunc temporis Quadragesimam prædicans,apud sanctum Papulum, incidit in tumorem testiculi dextri prægrandem: tractatus à Medico experto, & famoso, suppuratus est tumor,& Chirurgico instrumento apertus magnam copiam puris laudati ejecit: mansit apertum ulcus per multum tempus, nec ad cicatricem potuit perduci quin saniem semper, & aquosum quid valdè fœtidum percolaret præduro testiculo facto, cum labris præduris, dolore ingenti, inflammatione summa, adeò ut Medicus ejus de amputando testiculo cogitaret, & amputasset si annuisset Pater ægrotans qui prius efflagitabat consilium meum hac in re. Itaque vocatus visitans ipsum, sequentibus remediis curavi. Lavavi imprimis ulcus aqua frigida, & injeci in illud, syphone, essentiam mar-

martis, & apposui testiculo linteamenta madida spiritu violaceo, cum spiritu mercurii acido, & intrà diem unum evanuit inflammatio, & tumor, & dolor omnis, & Deum testor, intrà sex dies perfectè curatus est, & ad cicatricem conductum ulcus, nullis adhibitis aliis remediis quàm suprà citatis: vivit adhuc Pater, qui horum omnium testis est, cum omnibus aliis Religiosis Capucinis, qui Conventum Castrinovidarensem habitabant tunc temporis.

Curatio decima septima, Faciei usta à pulvere tormentario.

ANno eodem, circa mensem Julii, Dominus Dacher, Patronus & Causidicus Castrinovidarensis, à pulvere tormentario quem igne tenui in catino stanneo desiccabat, concepta derepente flamma combustus est omnino, facie & manu quã in catino tenebat: vocatus illico inveni eum prætumida facie & capite, absque ullis pilis & pelle in facie: manus verò dextra carne tota exspoliata erat, dolores erant adeo atroces & summi, ut convulsione teneretur; butyro saturni illico applicato, cum spiritu jusquiami, & mandragoræ, & aqua rosacea, & frequenter mutatis hisce medicamentis, ut acrimoniam salis nitri combusti retunderent, intrà tres aut quatuor horas quievit dolor, & intrà sex aut octo dies, perfectè curatus, solo butyro saturni, & oleo vitellorum ovorum: fit autem istud butyrum, ex minio, cerusa, aut lithargyrio, in aceto optimo, ebullito, acetum illud clarificatum & filtratum conjungitur cum oleo violarum aut oleo vitellorum, & agitatione summa convertuntur hęc duo in butyrũ quod dicimus saturni: arcanũ combusto-

bustorum omnium, ut diximus in Chirurgia nostra Spagyrica, Capite de Combustis, Libro tertio.

Curatio decima octava Gonorrhea virulenta.

IOannes Dannette, anno eodem gonorrhea virulenta vexatus per quatuor annos, curatus tandem fuit, spiritu camphoræ & therebentinæ, purgato priùs corpore antimonio nostro, & dato illo camphoræ spiritu, ad quantitatem ʒ ß. in ℥ j. succi limonum: repetitis dosibus tribus curatus est absolutè.

Curatio decima nona, Carnosa substantia in meatu urinariæ adnata.

PEtrus de Sancto Saturnino, robustus admodũ, & fortis adolescens, ætatis 25. annorum, eodem anno, ob perpetuas gonorrheas, quas variis in annis passus erat, incidit in ulcus urinalis meatus, in quo agglutinando natura fungosam produxerat carnẽ, ita ut urinæ meatus impediretur. Chirurgorum vulgus appellat hunc morbum virgę carnositatem, quam sequentibus remediis curavimus: candelas tenues paravimus ex cera alba, cui admiscuimus antimonium crudum, tenuissimè tritum, & beneficio harum candelarum apertum meatum urinæ tenebamus, & levi & insensibili corrosione carnem superfluam sustulimus: perungebamus etiam aliquando candelas ejusmodi spiritu mercurii acido, & recenter perunctus iniiciebamus in urinæ meatum, ibique sinebamus longo tempore; deinde ungebamus easdem candelas oleo vitellorum ovorũ, & sic brevissime curavimus intrà hebdomadam, carnositatem illam absque recidiva ulla.

Cura-

Curatio vigesima, Quartanæ duplicis.

MAria de Polastre filia Regii Consiliarii Castrinovidarensis, annos nata 8. afflicta fuit per tres, aut quatuor menses, quartana dupliçi, cum nausea fere perpetua, tumore pedum, ventrisque inferioris, cum scirrosa & prædura hepatis & lienis regione: curavimus autem ipsam etsi desperatã omnino à parente suo, Domino de Polastre Regio Consiliario, sequentibus medicamentis. Præparavimus inprimis humores tenaces, & viscosos julapiis attenuantibus & aperientibus, oleo vitrioli alteratis, per octo aut decem dies; peruncta quotidiè regione hepatis, & renum oleo succini albi, seu carabes. Deinde dedimus illi grana decem antimonii nostri, in cochleari vini optimi, quo multa pituitosa, biliosa, & melancholica, fœtida, & putrida sursum & deorsum ejecit. Deinde iteravimus julapia aperientia & attenuantia, & sic intrà duos menses evanuit febris, & omnia alia symptomata, præter spem & credulitatem suorum parentum, qui filiam hanc cum carissimam præ cæteris haberent, salutem illius à Deo precibus suis obtinuerunt.

Curatio vigesima prima, febris Quartanæ, & Icteri nigri.

FIliola Domini de Vernes, Regii Consiliarii Castrinovidarensis annos quatuor tantum nata, fuit circa mensem Septembris, anni 1618. febre quartana simplici afflicta, permansitque febris in suis typis integris & immutabilibus per septem menses: deinde apparuit icterus niger per totum corpus, & vomitus fere perpetuus, cum tumore satis duro in regione lienis; nigerrimæ verò erant uri-

næ:

næ. Vocatus ego tunc temporis; antea enim vocatus non fueram, nec alius medicus, vidi filiolam illam, & de salute illius multum speravi, propter urinam, quam magna copia ejiciebat, itaque præscripsi julapia aperientia oleo vitrioli alterata per quatuor dies, serò & manè sumenda, & vinum modicè dilutum aqua ptisana gramine alterata, & candenti calybe calybeata: hisce diebus transactis dedi grana decem antimonii mei, quo multa absque ulla violentia sursum & deorsum ejecit nigerrima & fœtida, qua sola purgatione evanuit febris, & pedetentim deinde evanuit icterus & tinctum est corpus florido, & vivido colore, & adhuc vivit incolumis & salva filia.

Curatio vigesima secunda, febris Pestilentis.

ANno 1614. viguit febris pestilens per totam nostram regionem, qua omnes fere vexati fuerunt, quamplurimi verò extincti, salvi autem multi evasere sequenti methodo. Primis ipsis diebus antequam exanthemata rubea vel nigra apparerent ejecto enemate emollienti & refrigeranti sanguinem mittebam magna satis quantitate, repetita phlebotomia, ne vires ægrotantis disperderentur: sequenti statim die, secundo, aut tertio ab incursu febris dabam grana viginti antimonii mei, quibus multa sursum & deorsum ejiciebant, & in multis cessabat febris, & omnia symptomata, & bene valebant; in multis verò non, at persistebat: his autem julapia præscribebam refrigerantia & alexiteria ex decocto pentaphylli, acetosæ, berberis, & similibus cum oleo vitrioli, quo semper usi sunt, & diebus criticis utebantur cum confectione alchermes, bezoartico minerali, quod est antimonium sudorifi-

dorificum, hacce methodo mille curati ſunt, inter quos fuit nobilis de ſancto Stephano, Dominus de la Pomarede, Dominus de Baraigne, & tota ſua domus, Dominus Douradou, Regius Conſiliarius: & alii quamplurimi nobiliſſimi viri, qui Regem noſtrum Ludovicum in obſidio urbis Montis-Albani comitabantur anno 1621. ſimili methodo, ab hac peſtilenti febre liberati fuerunt, & hi omnes qui meo antimonio ſemel in menſe utebantur, præſervati ſunt illæſi & intacti ab hac contagioſa febre.

Curatio vigeſima tertia, Variorum ulcerum per totum corpus.

PEtrus de Turies ingenuus adoleſcens mercator, annos 25. natus, ob pravum vitæ ſuæ victus regimen, dum mercaturæ ſuæ tyrocinium Toloſæ faceret, incidit in ſcabiem profundam & ulceroſam per totum corpus, cum febre lenta, quæ noctu exacerbatur. Medicati ſunt Toloſates Medici ipſum, purgationibus, phlebotomiis & balneis; ſcabies autem exacerbata fuit potius quàm curata, & converſa eſt in ulcera profundiſſima, cum cruſtis lividis & plumbeis variegatis, ita ut lepra videretur: impotens itaque factus, à ſuo Domino mercatore veniam petiit, ut Caſtrinovidarium peteret, ſanitatemque ex me, Deo annuente, expetere poſſet; venit tandem & ſequenti methodo ipſe curatus eſt. Miſi iterum ego ſanguinem, ut & medici Toloſates fecerant, ſanguinemque inveni putridum omnino, & corruptum ſepi coloris, non ſanguinis. Itaque ſequenti die, à miſſione ſanguinis, dedi illi grana quindecim croci metallorum, & per tres dies purgavi ipſum, iterata ſimili doſi. Præparavi deinde humores julapiis aperientibus & alexiteriis,

teriis, oleo vitrioli alteratis, & usus est hisce julapiis per decem dies: his transactis purgavi iterum ipsum ter antimonio meo cathartico: deinde per sex dies usus est diæta attenuanti & sudorifica ex extracto gaiaci, cum aqua cardui benedicti parato: sumebat autem hujus extracti ℥ iij. singulis matutinis horis, cum drachma semisse antimonii sudorifici mei, & omni arte adhibita sudabat quàm maximè in lecto coopertus: interim sua ulcera, tangebam spiritu mercurii acido, & balsamo tartari, & sic perfectè curatus est intrà viginti dies: in quorum fine misi iterum sanguinem ex basilica dextra ad quantitatem ℥ iiij. & inveni laudatissimum sanguinem, & sic ipsum dimisi, & vivit adhuc incolumis.

Curatio vigesima quarta, Lupi.

ANno 1619. Petrus de Fausse, loci de Baraignes, Faber ferrarius, incidit in tumorem scirrosum prædurum in tibia dextra, anno suæ ætatis 35. tumor iste primis mensibus indolens fuit, sexto autem, aut septimo mense dolor aliquis advenit, & prætumuit pes totus: ipsemet impatiens ferrò candenti tumorem aperuit; nihil autem ex apertura resiliit, nisi quid saniosum: apposito autem unguento ex oleo rosaceo & vitello ovi, exacerbatus est valde tumor, & dolor, in molemque majorem extumuit pes omnis: ipse verò ægrotans quia pauperrimus erat, nullos medicos, nec chirurgos vocavit; sed ut sanitatem illi, filiisque suis, & uxori necessariam restitueret Deus, votis efflagitabat. Itaque adveniens ego fortuitò, domi suæ inveni ipsum ægrotantem hujusmodi morbo, visitavi ipsum, & inveni ulcus cancrosum, lupum dictum, perfectum omnino & absolutum, labris magnis & præduris, quamplurimis venis nigris & lividis circumdatum,

dolore

dolore ingenti & acerbiſſimo concomitatū: ægrotantem verò inveni febre lenta afflictū, facie plumbea & gracili corpore. Itaque hiſce ſequentibus medicamentis dedi opem illi citam & tutam: purgavi ipſum inprimis antimonii mei doſibus quatuor, per quatuor dies propinatis: deinde arcano ſanguinis uſus eſt per quindecim dies cum extracto veronicę. Deinde iterum purgatus antimonio meo, & interim lupi ſeu ulceris carnes fungoſas & ſuperfluas gladio candenti ſuſtuli ad os uſque, foſſile magnum, foſſileque minus, eaque carne obducta inveni. His actis oleo mercurii totum ulcus, & carnem ſuperſtitem ulceris tetigi, poſt ſcarrū deciſum oleo vitellorum ovorum uſus ſum & extracto Ariſtologiæ rotundæ, ut mundificarem ulcus, quod brevi factum eſt, & ſolis illis medicamentis, regimine virtus obſervato euchymo, calido & humido, ad cicatricem laudatam conductum eſt ulcus; & curatus eſt perfecte ab illo ulcere abſque recidiva, petiitq; Caſtra Montis-albani, ibique mortuus eſt non impetu martis, at impetu febris peſtilentis, quæ tunc temporis viguit maximè.

Curatio vigeſimaquinta, Herpetis totam manum occupantis.

Michaël Sartor Caſtrinovidarenſis, anno eodē, manum dextram habuit contaminatam herpete miliari, maligno admodum, exacerbatur enim medicamentis ordinariis: tentavit æger multa remedia, ſed omnia in vanum: venit ad me, auxiliumque petiit: itaque manum ſuam tetigi perpauco oleo mercurii, ita ut dolorem nullum ſentiret, cautus enim debet eſſe medicus in adminiſtratione & perunctione illius olei; magnus enim eſt ignis, & ſi magna quantitate applicetur, magna parit ſympto-

mata, inflammationem putà maximam, dolorem ingentem, & tumorem magnum. Quocirca non temerè est applicandum quibuscunque partibus corporis, & si applicari contingat necessitate quadam, cautè admodum & minima quantumcunque fieri potest quantitate applicandum est. Perunxi itaque herpetem istum quatuor aut quinque guttis istius olei mercurialis, & siccatum est ulcus omninò & curatus est æger, quem, ut radices morbi omninò eradicarem antimonio meo purgavi, & misi sanguinem ex brachio dextro ad quantitatem ℥ viij. & præscripsi ut frigidam potaret per totum mensem Augusti: facta enim est cura hæc in eodem mense.

Curatio vigesima sexta, Herpetis profundi.

DOminus de Labia, Procurator Castrinovidarensis crus dextrum habuit herpete profundissimo per sex annos vexatum, è quo sanies cruenta per tempus effluebat; ut illum curarem misi sanguinem ex basilica dextra, deinde purgavi ipsum antimonio meo, quod ego ne innotesceret nomine Catholici magni, aut febrifugi nominabam; ægroti enim si scivissent antimonium esse, noluissent sinere, tantæ est apud omnes infamiæ antimonium; sed hac cautela sanitatem ego omnibus restituebam. Purgatus ergo Labia noster antimoniali nostra purgatione, julapia refrigerantia, oleo vitrioli alterata sumpsit per octo dies, & interim tetigi ulcus suum oleo mercurii, sed perpauca admodum quantitate & succo sempervivi majoris siccatum est omninò ulcus, & ad cicatricem laudatam reductum brevissimo tempore: vivit adhuc incolumis ab omni herpete liber.

Cura-

Curatio vigesimaseptima, alterius Herpetis.

IOannes Arnaldus de Capella Regius Consiliarius Castrinovidarensis, afflictus & vexatus fuit per multos annos herpetibus in variis corporis partibus, præsertim in metacarpo manuum: ab hisce ulceribus & scabie maligna ipsum liberavimus misso sanguine, & purgato corpore, extracto Rheubarbari, & scammoneæ, & perunctis ulceribus perpauca quantitate olei mercurii: redibant tamen ulcera, verno tempore, sed quamprimum tacta erant oleo illo mercurii evanescebant: attamen evanuerunt omninò jam, nec amplius vexatus est illis ulceribus, postquam oleo vitrioli in julapiis acetosis usus fuerit.

Curatio vigesima octava, Dysenteriæ.

DOminus Destieu, Mercator urbis Limosi, habuit multos filios, quos omnes dysenteria perdidit, dum autem unus ex illis junior & annos quatuor natus superstes esset, & laboraret eadem dysenteria, vocavit me, ut, si Deus annueret, suum filium liberarem à tanto morbo: anno ergo 1620. petii locum illum, vidique parvulum illum ægrotanté febre magna, pulsu magno & veloci, siti maxima, lingua nigra, ejectionibus conditis sanguine puro, admixta bile porracea, vigiliis cùm maximis & torminibus ventris, nauseaque & vomitu fere perpetuo: ut ergo eum curarem à tanto morbo, misi sanguinem imprimis è basilica dextra, ad quãtitatem unciarum trium aut quatuor; erat enim infantulus ut dixi: misso sanguine præscripsi ipsi julapia refrigerantia ex decocto acetosæ, portulacæ, & plantaginis oleo vitrioli alterata, & serò &

manè utebatur hiſce julapiis ad quantitatem ℥ v. ſerò verò, tempore ſomni ſumebat drachmam ſemis terræ exanimatæ vitrioli calcinati, ad rubedinem; terra autem illa exanimata dicitur, cum per lotiones varias aquæ dulcis privatur ab omni ſuo ſale: poſtquam autem uſus eſt terra illa tribus vicibus, evanuit omnino fluxus ille ſanguinis: permanſit autem fluxus bilioſus nonnullis adhuc diebus, ſed ceſſavit tandem, & omnia ſymptomata, & bene valuit, & vivit adhuc magna patris, matriſque jucunditate.

Curatio vigeſimanona, alterius Dyſenteriæ.

PEtrus Dannette, ſervus Domini de la Pomarede, dyſenteria laboravit eodem anno, isque curatus eſt unica doſi antimonii mei, per quam multa ejecit ſupra & infra, & perfectè curatus eſt illa ſola vice; cauſam enim dyſenteriæ foras eduxit purgatione antimonium meum, ſicque morbus & omnia ſymptomata evanuerunt, vivit adhuc qui teſtis tanti effectus eſſe poteſt.

Curatio trigeſima alterius Dyſenteriæ.

FRater meus Geraldus Faber, unicum habebat filium eodem anno dyſenteriá maxima laborãtem, præter communia & parapneumonica ſymptomata, erat febris maxima & mœror maximus, ita ut totus corporis habitus hecticus videretur & maraſmoſus; quòd per tres menſes dyſenteria illa laboraſſet, abſque ullo remedio adhibito: moroſus enim erat maxime ille puer, quòd pater in illum nimis eſſet indulgens, etſi eſſet puer ille annos octo natus: curavimus tandem illum juſculis alteratis

ſemine

ſemine portulacæ, acetoſa & portulaca, & guttulis nonnullis olei vitrioli, quo etiam ſua ptiſana alterabatur: ſumpſit etiam tribus vicibus terram noſtram exanimatam vitrioli, & ſic curatus eſt & liberatus; cùm tamen multi alii pueri eodem morbo laborantes hoc eodem anno extincti ſint, quòd ſimilibus non uſi ſint remediis, ſed ab aliis medicis diverſimode tractabantur.

Curatio trigeſimaprima, febris Hecticæ.

DOmina de Caillauel, filia nobiliſſimi viri de Baraignes, monaſticam religionem profitens in Conventu loci des Caſſes, annos nata 25. circa annum eundem per totum annum lenta febre vexata fuit, graciletſcente totius corporis habitu, cum exacerbatione illius febris duabus horis poſt paſtũ: incidit autem in hanc febrem ob orationes & meditationes continuas, quas per totam fere diem, noctemque Deo faciebat: itaque ceſſantibus menſtruis purgationibus ſuis, & melancholica facta incidit in hanc febrem, qua per annum detenta eſt, & tandem poſt multa remedia dogmaticorum, potiones catharticas, phlebotomias, balnea, & lactis humani uſus, incurabilis & deſperata fuit à medicis, & relicta. Vocatus ego viſitavi ipſam, & fere febre hectica in tertio gradu laborantem inveni, nares erant acutæ, concava tempora, facies omnino hippocratica, gracili admodum totius corporis habitu, ſola pelle membra tegebantur: deſperabam ego etiam de ſalute illius, remedia tamen ſequentia tentavi; præſcripſi victus regimen euchymum calidum & humidum, ut gelatinis ex caponibus, & perdicibus factis & præparatis uteretur, & in ſingulis doſibus permiſcebatur ℥j. ſpiritus violarum, cum guttulis decem arcani ſanguinis humani, aut

cervini, quod arcanum ſanguinis cervi in gratiam illius paravimus hoc eodem anno, & poſt menſem integrum quievit aliquatenus febris, & moderata ſunt ſymptomata: ſequenti menſe uſa eſt, quia fortior erat aqua diſt illata ranarum fluviatilium pro ptiſana ſua, aqua cinnamomi alterata: in fine autem illius menſis robuſtior adhuc fuit, & carnoſiori adhuc habitu, & apparuerunt menſes, quos ut magis provocaré uſa eſt copioſiori arcano ſanguinis humani in gelativis ſuis, quas ad quãtitatem ℥ vj. quater in die ſumebat, & in principio alterius menſis in plenilunio copioſè fluxerunt mẽſes, albi primo, deinde rubei, & poſt decem, aut quindecim dies, in fine iſtius menſis febris evanuit omnino, & reliqua omnia ſua ſymptomata, recuperato ſomno, & comedendi appetitu, qui omnino dejectus erat, & ſic benè valuit, & vivit adhuc ſuperſtes & incolumis ab omni morbo.

Curatio trigeſima ſecunda, alterius febris Hectica.

ANtonius de Lorde, anno eodem, ingenuus juvenis annos natus 18. incidit in febrem lentam, quæ à paſtu exacerbabatur, gracileſcente totius corporis habitu: itaque vocatus ego, cum altero medico famoſo, conſilio inter nos habito, ipſum dijudicavimus hecticum in primo gradu, ingruente ſecundo: præſcripſimus illi victum humidum, & lac humanum; & ego ut loco ptiſanæ uteretur aqua prima ſtillatitia vitrioli, quæ eſt phlegma illius, & balnea præſcripſimus aquæ dulcis tepidæ, & intrà paucos menſes perfectè curatus eſt, & tota ſequenti æſtate bene valuit: ingruente verò hyeme incidit in tumorem ſcrophuloſum metacarpii pedis ſiniſtri cum carie oſſis phalangis primæ, digiti magni, quo

quo ulcere adhuc laborat rediitque febris hectica, quam curare cum suo ulcere difficillimum judicarunt omnes Medici & Chirurgi: ego quoque de salute illius maximè dubito, quòd scophulas internas suspicor curationem tamen aggrediar & reponam, si succedat: mortuus est tamen.

Curatio trigesima tertia, vulneris ab ictu ensis in cubito dextro recepti.

Dominus de Sainct Estienne, Dominus de la Pomarede, vulneratus fuit eodem anno à Domino de las Touseilles, ictu ensis in ipsamet articulatione ossis radii cum osse brachii; & quamprimū vulneratus fuit, intumuit valde brachium, & dolor acutissimus subsequutus fuit: vocatus ego ut dolori & vulneri medelam afferré, per chirurgum sanguinem misi ex basilica brachii sinistri, vulnerato oppositi, ut revulsionem facerem humorum, ne confluerent ad brachium vulneratum: misso sanguine ad quantitatem ℥ viiij robustissimus enim erat, & annos 25. natus, & sanguineo temperamento: post sanguinis missionem vulnus aqua sclopetaria lavavimus, & tinctura aristologiæ rotundæ, & florum hypericonis spiritu therebentinæ extracta perunximus, & à perunctione quievit dolor, erat enim perpunctus nervus quidam unde dolor maximus ortus erat, & hisce solis medicamētis curatum est vulnus intra quindecim dies, absque ullo symptomate.

Curatio trigesima quarta, choleræ Morbi.

Raimundus de Monard, aquarum, nemorumq; magister, annos natus septuaginta, venerabi-

lis admodum ſenex, in quo prudentia & omnes animi dotes, quamplurimum tunc temporis vigebant, ætatisque labentis neſciebant declinationem: at annorum multorum mole preſſus animus veluti palma florebat: decubuit eodem anno 1620. circa menſem Julii cum vomitu atrabilario crudeliſſimo, perquàm fœtida enim & nigra eiiciebat, eaque multa, & maxima quantitate; intrà enim duos dies, quibus vexatus eſt æquale pondus ſui ipſius horum humorum evomuit. Convocatis ergo Medicis ut conſilium inter nos haberemus de præſervando tanto ſene, conclamatum fuit inter nos, ut una voce deſperatum de ſalute ejus, tum ob magnitudinem morbi & ſymptomatum violentiam & malignitatem, & ægrotantis labilem admodum ætatem & corporis imbecillitatem; nihilominus ego cum medicus ſuus chymicus & ordinarius eſſem, mihique maximè fideret, non omnino deſperabam de ejus ſalute. Rogavit ergo ipſemet ægrotus, unà cum uxore ſua, ut opem afferrem neve deſponderé, ullo modo, quòd vires adhuc valerent & animus ægrotantis. Itaque hisce verbis audacior factus etſi pulſus ſuus eſſet fere moribundus, julapium prẹſcripſi ex decocto acetoſæ, & pentaphylli & berberis: addidi ſuccum depuratum & coctum cytoniorum, & tincturam coralli rubei, cum guttulis nonnullis liquoris aërei, & olei vitrioli tinctura auri impregnati: ſumpſit hujusce julapii ℥ vj. tempore ſomni cum ℥ ij. ſyrupi violacei, quo per quatuor horas aut quinque placidè admodum & tranquillè dormivit: à ſomno expergefactus robuſtior fuit admodum, & à vomitu illo liber; at fluxit alvus copiosè per totum diem ſequentem, & per tres dies ſubſequentes, nigraque multa & fœtida ejecit. Continuatis autem julapiis, quibus tranquillè admodum

dormie-

dormiebat, tandem quievit alvus, & intrà mensem rediit ad pristinum statum, firmamque valetudinem noster senex, quem medici omnes moriturum indicaverant.

Curatio trigesima quinta, Boulimi, seu famis Caninæ.

IDem Raimundus de Monard, post tres, aut quatuor menses à curatione præcedentis morbi, incidit in famem caninam, quam Græci βυλιμὸν dicunt, & κυνώδην ὄρεξιν: humor enim melancholicus acidi saporis, ut plurimum è liene in ventriculum confluebat, ibique excedentem illum appetitum sua acrimonia ventriculum vellicante excitabat: fames erat ingens, nullis cibis poterat repleri & satiari; etsi enim ad guttur usque repleretur, nihilominus tamen adhuc famem vellicantem persentiebat, & comedendi summa cupiditate tenebatur. Vocatus ego, dedi pillularum aggregativarum drachmam semis, granis duodecim antimonii eis admixtis: quibus pillulis summo manè propinatis, multa ejecit supra & infra, nulla violentia, nec ullo ægrotantis tormine. Præscripsi deinde syrupum de limonibus, guttis nonnullis olei vitrioli tinctura auri impregnatis delibutum, quo usus est per quindecim dies, serò & manè longo tempore à pastu ad quantitatem ℥ ij. singulis dosibus, & hoc ut acrimonia olei vitrioli acrimonia humoris melancholici retunderetur, & dulcesceret: oleū enim vitrioli si admisceatur oleo tartari, quod humori melancholico respondet, dulcescunt ambo, & acrimoniā perdunt, quod cuilibet experienti obviam erit: itaque usu illius syrupi & purgatione prædicta perfectè liberatus est ab illo morbo, & per duos annos

integros incolumis servatus est, & liber ab omni morbo; at anno 1622. circa mensem Septembris incidit iterum in coleram morbum à quo curatus etiam est, sed hectica senectutis & senio, convolavit in numerum beatorum.

Curatio trigesima sexta Cari.

FRancifcus de Prats, circa annum 1620. incidit in somnum profundum, à quo excitari non poterat; respirabat tamen nec febris ulla erat, at pulsus admodum tranquillus & æqualis: vocatus ego caroticum judicavi hominem hisce symptomatis affectum; non enim erat apoplecticus, nec lethargicus, nec epilepticus, quod non moveretur, nec spumam in ore haberet, at jacebat sine motu, sine sensu, oculis semper clausis, florido colore, pulsu magno & æquali, & bona respiratione: curavi ipsum caroticum, data ipsi drachma unica salis vitrioli mei, in ℥ j. aquæ salviæ dissoluta, qua potione multa & quam maxima vomuit pituitosa & aquosa; solet enim is effectus ex his solis causis evenire. Deinde post purgationem illam supernam, à qua statim loquutus est, & novit omnes, dedi illi aquam cinnamomi stillatitiam, & consului ut uteretur vino puro; at pauco, ne quantitate vini vapores multiplicarentur, & ad caput ascenderent, iterumque carum facerent, & sic curatus est perfectissimè.

Curatio trigesima septima, Lethargi.

ANtonius Colom, bajulus, fortissimus, & robustus, Castrinovidarensis, circa annum 1614. in febrem continuam & ardentem incidit, ad quam curandam multi fuerunt convocati Medici, quia pauperrimus erat ægrotus: peractis ergo imperfectè cri-

ctè crisibus, circa decimumquartum diem incidit in lethargum somnum inexpugnabilem: uxor sua cum desperaret de salute mariti sui, & morti proximum judicaret; venit tandem ejulando, potiùs quàm lachrymando circa ædes meas, & vocavit me in auxilium restituendæ sanitatis suo marito: statimque petii domum suam, & inveni ægrotantem vultu luteo, & livido, cum auditu infirmo, clamantem enim me non audiebat, cum læsa ratione & memoria, cum oscitatione frequenti, & oculis conniventibus, & lingua alba & salivosa, somnoque profundissimo sepultum, à quo excitari non poterat; & si tandem excitaretur, statim redibat in pristinum statum; febris autem erat magna, & corpus suum nonnullis exanthematibus rubeis variegatum: ut ipsum à tanto morbo liberarem, vomitum provocavi, sale meo vitrioli, in aqua salviæ dissoluto, quo vomuit multa & copiosa, pituitosa & biliosa; valebant autem vires ipsius ægrotantis adhuc, itaque misi sanguinem, quia adhuc missus non fuerat, & statim à sanguinis missione fugatus est somnus; à repletione enim humorum dependebat, tum febris & lethargus ipse, non à diminuto calore nativo, undè ego purgavi ipsum decimo sexto die, antimonii mei granis quindecim, & à purgatione post paucos dies convaluit omnino, & vivit adhuc sanus & incolumis.

Curatio trigesima octava, Doloris ventriculi.

Margaretha de Villeroux, uxor Domini Stephani de Monard, Regii Consiliarii Castrinovidarensis, dolore summo ventriculi cruciabatur à quindecim diebus, in quibus comederat caseum

ſeum recentem & mollem, quem venenatum ſuſpicabantur: erat autem dolor acerbiſſimus, & crudelis admodum, ſomnum capeſſere non poterat, nec ulla edulia ſumere, nec vomere poterat remediis nonnullis adhibitis: ultimis autem diebus febris aderat, & partium extremarum frigus, & tremores, & convulſiones, veneni vera ſymptomata. Itaque vocatus ego, ſtatim dedi illi potionem aquæ ſalviæ, cum ℥j. ſalis noſtri vitrioli, qua multa ejecit, & vomuit per totum diem, nulla violentia, & tandem ejecit caſeum illum recentem, & mollem qué comederat quindecim abhinc diebus, & moderatus eſt ſtatim dolor, & ſequenti die refocillato ventriculo aqua cinnamomi, convaluit omnino, & liberata fuit ab omni dolore & ſymptomate.

Curatio trigeſima nona, Suffocationis uteri.

ANna de la Val, ancilla Domini de Martini, ſtatim à cœna circa menſem Septébris, anni 1620. cecidit ſine pulſu, ſine voce, ſine reſpiratione ſenſibili, ita ut apoplectica videretur: frictionibus multis uſi ſunt aſtantes, & dederunt illi ſpiritum vini, & aquam cinnamomi, nec propterea redibat animus: idcircò vocatus ego, inveni ancillam illam ſuffocatione uteri vexatam: quare dedi potionem ſalis mei vitrioli, cum aqua ſalviæ, qua potione multa evomuit, & ejecit, & tandem locuta eſt, & novit omnes, & perfectè liberata fuit ab illa ſuffocatione intrà horam.

Curatio quadrageſima, Apoplexiæ, & Paralyſis.

DOminus d'Arnoulet mercator, circa annum 1616. apud locum de Folcarde, circa menſem Decem-

Decembris, annos natus ſexaginta, melancholici valdè temperamenti, tum ob varia negotia quæ illi ſummo cum infortunio ſupervenerant ob lites varias amiſſas,& merces, bonaq; omnia peſſum euntia, ſtatim à prandio cecidit coram me,ſine voce, ſine pulſu,ſine reſpiratione ulla ſenſibili, ſine motu, & ſine ſenſu, omnibusque animi, tum corporis facultatibus privatus, ita ut videretur mortuus: ſtatim ego cum adeſſem præſens,dedi illi ſalem vitrioli mei in aqua communi: ſemper enim adfero mecum, & antimonium meum,& ſal illud vitrioli. Itaque à potione illa ſtatim vomuit prandium, & maximam quantitatem pituitæ vitreæ, unà cum cibis in prandio ſumptis,perque totum diem vomuit,& interim in aures ſuas ſtillavi eſſentiam Cariophyllorum,& thymi, unà cum cinnamomi oleo ſtillatitio,ſimul mixtis,& in aures, naresque ſtillatis, & raſo capillitio toto,veſicatoria ex cantharidibus toto capiti, & collo applicavi; & cucurbitulas cum multa flamma, & profunda ſcarificatione ſcapulis affixi, & intrà viginti quatuor horas tandem aperuit oculos,& motus eſt,& reſpiravit,cui ſtatim dedi aquæ imperialis ℥ iij cum extracto theriacæ ʒ ij. & olei cinnamomi ʒ ß. & olei vitrioli tinctura auri imprægnati ℈ ß. dedi hæc omnia in potionem ſimul permixta,quæ ſatis commodè deglutivit; quamvis adhuc toto corpore paralyticus videretur. Sequenti die, quia adhuc loqui non poterat, ſigna tamen faciebat ſe capite dolere, dedi antimonium meum, ad quantitatem granorum viginti quinque, cum vino optimo,quo medicamento multa per totum diem evomuit,& ejeçit ſuprà & infrà, & ſequenti die loquutus eſt admodum balbè, nec brachia movere poterat,nec pedes,nec truncum corporis, niſi leviſſimo motu: itaque repetitis medicamentis ſu-

prà

prà citatis, tum quæ in aures, & nares stillata, & infusa fuerant, tum quæ cardiaca sumpserat, sequenti die iterum dedi salem vitrioli, quo vomuit multa pituitosa vitrea, & gypsea: sequenti autem die purgavi antimonio meo, quo copiosiora quàm credi possunt, ejecta fuerunt suprà & infrà: & sic tandem loquutus est satis perfectè, & motus membrorum omnium valdè debilis: testiculi verò apparuerunt tunc temporis tumidi valdè, quibus lintea madidà spiritu vini apposita fuerunt, nec cessit tumor hoc remedio; at tumor grandior fuit, & durior, absque ulla inflammatione: tunc temporis cataplasma emolliens & discutiens ex radicibus altheæ, & liliorum cum foliis malvæ paratum, & in vino puro coctum, & farina fabarum malaxatum applicavimus, & oleo ceræ rectificato priùs perunximus, & continuato remedio per octo dies, ad suppurationem devenerunt tumores illi testiculorum, & aperti, pus multum laudatum ejecerunt, & ad cicatricem conduximus laudatam intra mensem: & interim purgatus fuit bis in illo mense antimonio meo ægrotus noster, & totum corpus perunctum spiritu ceræ, & oleo cariophyllorum, ut membrorum omnium calor multiplicaretur, & sic serosos humores qui nervos imbiberât evanescerent, quos toto sequenti mense stupha sicca, singulis matutinis horis antimonio nostro sudorifico propinato, sudores eliciendo, tandem fugavimus, & ægrotum nostrum ab apoplexia, & paralysi subsequente tutissimè & jucundissimè liberavimus, observato regimine victus tenuissimo, ut in acutis observari præcepit Hippocrates: vivit adhuc ægrotus; qui testis est hujusce historiæ.

Curatio quadragesima prima. Fistulæ.

Dominus de Gaubert Chirurgus loci de Vignonets,

net, annos natus 25. febre pestilenti, & maligna vexatus fuit, & ab ea liberatus imperfecta crisi, metastasi facta humorum peccantium in tumorē durum, & schirrosum, in medio pectoris, qui tumor medicamentis & cataplasmatis emollientibus, & suppurantibus, ad pepasmum & maturationem tādem devenit ingenti cum dolore: & apertus, pus satis liquidum & aquosum ejecit: mansit autem ab apertura tumoris, per annū integrum apertū ulcus, nec ad cicatricem ullam potuit conduci, magno incōmodo ægrotantis, dolebat enim semper acerbissimè illa parte, febriq; lenta tenebatur: itaque hecticus judicatus, & atrophicus à medicis, vocavit me, ut opem ferrem, visitavi ulcus, & percontatus sum ejus profunditatem, è medio pectore, circa medium ossis sterni, vergebat ulcus usque ad ultimam partem mammæ sinistræ: labra ipsius ulceris dura erant & callosa, & minimo foramine eminebat: intus autem grandiori fistula percavatum, aquosum & liquidum quid satis fœtidum, & flavi coloris effluebat, magnusque erat in ea parte dolor: hisce perpensis fistulam, & cavernosum ulcus judicavi. Ad quam curandam sequentibus remediis usus sum: Imprimis ægrotū bona spe futuræ salutis consolatus sum, & timorem hecticæ febris longè propuli, timebat enim ipse febrem illam hecticam, qua tenebatur; at non erat vera febris hectica, sed symptomatica, & per sympathiam, & proximitatem ulceris, ex putrentis humoris, cor patiebatur ardorem febrilem, qui tandem hecticus, & fixus factus fuisset, ni curatus fuisset à fistula illa ægrotus noster: itaque primis ipsis diebus purgavi ipsum extracto rheubarbari & scammoneæ & medullæ cassiæ, quo medicamento ad quantitatem ℥ ß. sumpto, blandè admodum fluxit alvus. Præscripsi deinde ju-

de julapia refrigerantia ex decocto acetosæ, & portulacæ, succo limonum, & oleo vitrioli alterata, cũ syrupo limonum: usus est per mensem hisce julapiis, serò & manè, observato regimine euchymo humido, & calido: utebatur enim vino tenui, & potabat tantùm juscula optima, quibus singulis dosibus guttulæ viginti permiscebantur arcani sanguinis humani, & in ulcus injiciebatur syphone arcanum illud sanguinis humani, cum extracto aristologiæ rotundæ permixtum: tactum autem & causticatum fuit ulcus oleo mercurii, & postquã scarrum decidit, lavatum fuit ulcus semper, usque ad cicatrisationem, arcano illo sanguinis, & extracto illo aristologiæ, & aliquando essentia ferri, quibus solis curatus est, & vivit adhuc Chirurgus iste, perfectè sanus.

Curatio quadragesima secunda, Epilepsiæ.

IOannes de Fungé, filius Petri de Fungé, Villanus, & operarius fratris mei, Geraldi Fabri, advenit domum fratris mei circa annum 1620. annos natus 15. adferens ova, circa mensem Maii, 1619. ad ignem positus; & se calefaciens, cecidit in terram coram me & fratre meo, sine sensu, & cum motu tremulo, querela voce, & cum spuma circa os. Cui statim dedimus aquam imperialem, cum spiritu viridi vitrioli, & statim surrexit, & fuit ab illo epileptico insultu liberatus, sed tribus aut quatuor horis post rediit insultus, & paroxismus, à quo liberatus simili medicamento, salem vitrioli mei dedi, à quo purgatus est per vomitum, toto illo die: & fuit toto illo die à paroxismo liber, qui singulis tribus horis supervenire solebat: deinde sequenti die purgavimus anti-

antimonio nostro, & per octo dies usus essentia succini albi cum spiritu viridi vitrioli, in aqua cinnamomi propinatis ad minimam quantitatem: & his solis medicamentis perfectissimè curatus fuit, juvenis ille ab epilepsia sua, quæ ab utero matris ortum duxerat: vivit adhuc juvenis ab omni morbo liber; laus sit Deo, & gloria sempiterna.

Curatio quadragesima tertia, Suffusionis & Cataractæ.

FRancisca de Douays, annos nata sex, aut septẽ, juvenis admodum filiola, cataractam & suffusionem passa est in utroque oculo, inter crystallinũ humorem, & corneam tunicam concreto humore quodam albo, & crasso, quo crystallinus humor obtenebrabatur, & undè visus læsio, aut potiùs amissio: vocatus ego, ut puellæ illi opem afferrem, causticum potentiale inter vertebram, secundam & tertiam colli præscripsi applicandum, & purgavi granis decem antimonii mei, & ex croco metallorum infuso in aquis stillatitiis euphragiæ & fœniculi, paravi collyrium quo sæpissimè oculos utrosque manè & vesperi lavabat, & sic pedetentim, absque ulla operatione manuali & chirurgica, sublata est suffusio, & cataracta, sine recidiva.

Curatio quadragesima quinta, Vngulæ.

ANna de Douays, altera filiola ejusdem Domini de Douays, annos nata octo, & soror ejusdem Franciscæ prædictæ, ungulam habuit in oculo sinistro ad latus pupillæ: solo usu croci metallorum curavimus perfectè ipsam, & evanuit omninò ungula, & perfectè curata est, absque ullo alio remedio.

Curatio quadragesima sexta, Carbunculi pestilentis.

PEtrus de Cassaignol, Presbyter loci de Villepinte, circa annum 1617. mensis Augusti laboravit febre maligna, in cujus quarta die apparuit tumor circa oculum dextrum, in cavitate palpebræ inferioris, cum rubore maximo, & capitis, & colli totius tumefactione dolorifica: in medio autem tumoris erat aliquid nigri, magnitudine lentis: sequenti die idcirco parentes ejus quòd gangrænam existimassent, propter ampullas & ustiones, similes illis quæ fiunt ab aqua ebulliente, quæ circa tumorem apparebant, me vocarunt: cui sequentibus remediis medelam attuli. Imprimis misi sanguinem ex basilica, magna quantitate, erat enim robustissimus vir, & in florenti ætate constitutus, annos natus quadraginta: post missionem sanguinis, affixi scapulis, & lumbis cucurbitulas cum profunda scarificatione, & levissima scarificatione cutem distentam circa tumorem dilatavimus, & medium ejus jam causticatum & ustum humoris acrimonia tetigimus oleo mercurii, ut igne istius, ignem alterius extingueremus, quod Deo annuente factum est: nam postquam scarrum decidit, brevi tempore perfectè curatus est ægrotus noster tum à carbunculo, tum à febre, præscriptis julapiis, alexiteriis, oleo vitrioli alteratis, quibus usus est, per octo dies, & antimonio nostro sudorifico, diebus criticis exhibito.

Curatio quadragesima septima, Schirri.

IUo Faber, filius fratris mei, annos natus octo, melancholici temperamenti, & pituitosi, taciturnus enim est valdè infans & quietus, hyberno tempore circa annum 1620. habuit tumorem durissimum indo-

indolentem in brachio dextro, in musculo deltoide multa adhibita sunt cataplasmata suppurantia, & discutientia, à Chirurgo, sed omnia in vanum. Cùm ego viderem illum tumorem non posse resolvi, nec ad pepasmum conduci, misi sanguinem ex brachio opposito. ad ℥ vj. deinde purgavi ipsum ter, antimonio meo, granis decem exhibitis in vino puro: à purgatione statim tumorem discutiendum aggressus sum: perungebam tumorem illum frigidum & durum, oleo tartari cum spiritu ejus: deinde superponebam calidè balsamum sulphuris, & tandem spiritu crystalli, & sale illius in spiritu ejus dissolutio, intrà mensem evanuit tumor, & perfectè curatus est omnino.

Curatio quadragesima octava, quartanæ Febris.

MAria d'Honoüs, uxor Francisci de Lorde, annos nata 40. fuit febre quartana vexata, circa annum 1620. in mense Septembri, eam ipsam purgavimus variis potionibus catharticis dogmatice præscriptis melanagogis, & tamen febris permansit in eodem typo; per sex & septem menses; cui tandem medicamenta spagyrica porreximus: purgavimus eam ter aut quater antimonio nostro, & usum quotidianum aquæ cinnamomi consuluimus: deinde extractum theriacæ in paroxysmo ipsius febris dedimus, & sic tandem curata fuit omnino à febre sua quartana, & vivit adhuc.

Curatio quadragesima nona, alterius Febris quartanæ.

FRanciscus de Pene, ætatis 35. fuit anno 1621. à febre quartana vexatus per octo menses. cui omnia ferè remedia dogmatice præscripta adhibi-

ta fuerunt, & regimina victus; circa finem autem octavi mensis à me petii opem, inveniq; eum schirroso ferè hepate, pedibus valdè tumidis digitorum impressionem sustinentibus, ita ut hydropicus videretur: mutato ergo victus regimine; potabat enim aquam, & ptisanam herbis nonnullis, & radicibus alteratam, vinumque merum consului, sed paucum; & manè, jejuno stomacho præscripsi ut sumeret ℥ j. spiritus vini optimi: purgavi ipsum antimonio meo ter aut quater diversis diebus, & usum aquę cinnamomi, aut vinum hippocraticum consului, & præscripsi, & his solis medicamentis curatus est perfectè, & vivit adhuc incolumis ab omni morbo.

Curatio quinquagesima, Febris pestilentis cum nausea perpetua, & vomitu in muliere prægnante.

Raimunda de Solier, uxor fratris mei Geraldi Fabri, anno millesimo sexcentesimo decimo sexto, ætatis suæ 38. & utero gestans, febre maligna, exanthematibus multis rubeis per totum corpus variegata, detenta fuit. Præter autem varia symptomata; quibus febris illa concomitata erat, nausea erat perpetua, & vomitus humorum biliosorum: omnes Medici de salute ægrotantis desperabant, & præcipuè quòd utero gestaret: nihilominus tamen curata perfectissimè fuit, nec abortum fecit; sed & fœtus, & utero gestans servati sunt sequentibus remediis. Inprimis, vomitui succurrimus julapiis acetosis, succo limonum, & oleo vitrioli alteratis, quibus aliquando guttulas tincturæ auri addebamus, & arcani nostri sanguinis humani guttulas nonnullas, & his solis medicamentis sæpissimè ite-

ratis

ratis in jusculis, & aliis poculentis, tandem servata illa mulier prægnans, nulla facta crysi evidenti & manifesta; nisi per insensibilem transpirationem, & vomitum, quem compescuimus primis ipsis diebus, oleo nostro vitrioli & tinctura auri.

Curatio quinquagesima prima, Surditatis & difficilis auditus.

Piissimus aliquis Pater, Religionis Capucinorum, cujus nomen è memoria excidit, ætatis 48. annorum, fuit anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo, in Conventu Castrinovidariensi affectus difficili auditu, nihil ferè audiebat, nisi soni magni essent, & acutissimi: incidit autem in hunc affectum pedetentim, obstructione facta nervorũ qui inserviunt auditui: multos consuluit medicos, multaque remedia expertus est per quinque annos, quibus & Tolosæ, & variis aliis in locis commoratus est, in quibus medicos omnes consultabat. Tandem dum erat in conventu Castrinovidariensi, consuluit me de surditate sua, quam curavi sequentibus medicamentis. Inprimis purgavi illum sexies, per diversos dies, porrectis granis viginti antimonii mei, quibus copiosissimè fluxit alvus, ut Hippocrati satisfaceremus, asserenti surditates alvi fluxu curari posse: deinde caustica potentialia applicuimus tibiarum suris, ut revelleremus humores ab auribus in partes inferiores hisce ulceribus; deinde essentiam thymi, & cariophyllorum simul mixtos, in aures instillavimus, serò & manè, gossipiumque his essentiis pertinctum assiduè ferebat in auribus, victuque semper tenui, & attenuante, vinoq; albo usus est, & oleribus omnibus abstinuit, & sic intra mensem curatus est, & perfectè audivit.

Curatio quinquagesima secunda, alterius Surditatis.

DOminus de Lilac Vitrarius, ob ætatem, sexagenarius enim erat, & ob rigores frigoris Montium Pyrenæorum in quibus degebat, incidit in difficultatem audiendi ex utraque aure; quòd autem intimus erat amicus meus, statim me petiit, & communicavit affectum, & similibus remediis, & observata eadem methodo curavi ipsum perfectissimè, & adhuc vivit incolumis, & sanus; utitur autem ut à recidiva præservetur gossipiis in cavitate aurium delatis, essentia aloës delibutis, ut à frigore præservetur hiberno tempore, & à fluxu humorum; caliditas enim illius essentiæ cerebrum roborat, & humores frigidos discutit nervúmque auditorium in sua limpiditate & claritate conservat, sicque facultas animalis absque ullo impedimento facillimè in aures defertur.

Curatio quinquagesima tertia, doloris Aurium.

DOminus de Couffin circa annum 1611. in mense Octobri, gravissimo dolore auris dextræ laborabat: itaque vocatus, visitavi ipsum, auremque suam externam nulla inflammatione detentam inveni, at sanam omnino: intus autem erat dolor gravissimus: misi itaque sanguinem ex brachio dextro, ex cephalica, ad magnam satis quantitatem; robustissimus enim erat, & in consistenti sua ætate: deinde purgandi ipsum pillulis de agarico, admixtis granis decem antimonii mei: in aurem autem instillavi oleum vitellorum ovorum sæpius distillatum cum sulphure; à prima unctione, seu in aurem dolentem

stilla-

ſtillatione ipſius olei quievit dolor, & tota ipſa nocte dormivit, qui ſeptem alias noctes inſomnes omnino vigiles tranſegerat: manè autem per aurem ipſam copiam puris laudati ejecit; hinc certi fuimus, dolorem provenire ex tumore quodam phlegmonoſo in penitiſſimis auris partibus generato: continuavimus ſtillatioñe olei noſtri vitellini, & perfectè curatus eſt, & vivit adhuc incolumis.

Curatio quinquageſima quarta, alterius doloris Auris.

DOminus Germanus de Vernes, anno 1623. dum Toloſæ degeret, ut Senatus Toloſanus ipſum Conſiliarium Regiũ Caſtrinovidarenſem admitteret, probatione facta ſuæ capacitatis, ob fervorem ſtudii ſui, ob vigiles & inſomnes noctes quas tranſigebat, in catarrhum incidit ferocem, à quo levicula febris erat, cum graviſſimo tamen & acutiſſimo auris ſiniſtræ dolore: eram tunc temporis Toloſæ, vocavit me, & ſtatim per Chirurgum miſi ſanguinem ex cephalica ſiniſtra, & ſequenti die curavi ipſum pillulis de agarico, admixtis granis decem antimonii mei, & in aurem ſuam inſtillavi guttulas nonnullas olei mei vitellini ſupradicti, & ſic perfectiſſimè ſublevatus eſt ab omni febre, catarrho, & dolore, absque ſuppuratione ulla, quòd non eſſet tumor ullus intra aurem; at erat collum, & tota pars illa ſiniſtra capitis inflata, & tumefacta, vel à purgatione, & venæ ſectione, & unctione olei mei evanuit tumor ille externus.

Curatio quinquageſima quinta, Tuſſis inveteratæ.

GRegorius de Polaſtre, Caſtrinovidarenſis Conſiliarius, circa annum milleſimum ſexcenteſi-

mum vigesimum primum, in mense Decembri detentus fuit tussi vehementissima, qua toto hiberno tempore, & verno vexatus fuerit, cum febre lenta, itaque se phthisicum esse putabat; quamplurima enim remedia fecerat, ut à tussi illa liberaretur: unico auté remedio curatus est; usus est tabellis essentiæ succini albi, oleoque, seu essentia ejusdem ad quantitatem guttarum decem, in cochleari aquæ cinnamomi, & in aures instillabat tempore somni guttulas nonnullas ejusdem essentiæ, & sic curatus est intra mensem.

Curatio quinquagesima sexta, alterius Tussis inveteratæ.

BErtrandus Compte, Doctor Medicus, Civitatis de Lauaur, intimus amicus meus, postquam per tres annos integros dolore summo capitis & tussicula, divexatus fuerit: tandem incidit in febrem lentam, & tunc temporis circa annum 1623. tussi vehementissima cruciabatur cum expuitione fœtida, & viridi, & crassa. Dedi illi consilium ut sæpissime purgaretur extracto Agarici, & antimonio meo, quibus adderet grana nonnulla moschi, ut virtute illius efficacius virtus medicamẽtorum deferretur ad caput, quod actum est: melius se habuit à purgatione illa: deinde usus est tabellis essentiæ succini albi, & essentia ejusdem succini albi cum syrupo liquiritiæ, & horum medicamentorum usu, cum optimo victus regimine & arcano sanguinis nostro, Deo annuente curatus est perfectissime intra quatuor menses, & vivit adhuc salvus & incomis ab omni morbo, quamvis omnium medicorũ sententia desperatæ esset salutis: rediit tandem affectus, anno 1626. & mortuus est.

Curatio quinquagesima septima, difficultatis Anhelitus.

ANtonius Caluayrac, dictus le Canou, villanus & rusticus, sexagenarius circa annum 1617. in mense Decembri incidit in difficultatem anhelitus, ob frigus perpessum, & in nive ipsa deambulationem, defluxione facta è capite in thoracem pituitosi humoris viscosi & glutinosi, laboravit toto illo hyberno tempore, absque ullo intermedio. Verno tempore deinde sequenti vocavit me, dum magis premeret affectus. Itaque eum purgavi pillulis meis cephalicis, extructo agarici & antimonio meo, & moscho compositis: applicui causticum potentiale secundæ colli vertebræ, & tabellas præscripsi florũ sulphuris, cum essentia succini albi: & sic frequenti harum tabellarum usu tandem curatus est.

Curatio quinquagesima octava, Anginæ.

VXor Domini de Lamoureux, mercatoris Castrinovidariensis, fuit eodem anno superiori vexata inflammatione summa faucium laryngis cũ tumore phlegmonoso, ex quo deglutiendi difficultas quàm maxima, & respirandi, & febris maxima orta est: vocatus ego statim ejecto enemate emollienti & refrigeranti, misi sanguinem ex utraque cephalica, robustissima enim erat mulier, & in florenti sua ætate, annos nata 25. & cucurbitulas applicui scapulis cum multa flamma, & profunda scarificatione, & guttur exterius perunxi oleo vitellino rectificato nostro, cum sulphure, imò & internas partes eodem oleo, cum penna tetigimus & quarto die ruptus est tumor, & magnam copiam ejecit puris & sanguinis, & sic curata fuit: oborto deinde sudore septimo die per totum corpus, à quo curata est omninò, & à febre libera fuit.

Curatio quinquagesima nona, ulcerati Gutturis & Laryngis.

EAdem uxor Domini de Lamoureux, incidit post multum tempus à curatione anginæ, in defluxionem acrem & mordacem, quæ amygdalas seu partes illas Laryngis, quæ osculum Laryngis claudunt, inflammabat, & excoriabat, summo cum dolore, tussi maxima, & deglutiendi & bibendi impotentia, quòd musculi œsophagi etiam affligerentur illa ipsa distillatione: ad curandam hanc affectioné purgavimus ægrotantem nostram pillulis nostris cephalicis sæpissimè, & caustico in collo applicato humorem fluentem divertimus, & oleo mellis & sacchari ulcus curavimus, & ad cicatricem laudatã conduximus brevissimo tempore: vivit adhuc ab omni morbo libera & incolumis.

Curatio Sexagesima, Pleuritidis.

PEtrus Scaraguel, villanus & rusticus, in mense Maio, circa annum 1621. incidit in gravissimum dolorem utriusque lateris, cum maxima respirandi difficultáte, & sputo sanguineo secundo die; tertio verò die vocatus inveni ægrotantem febre cum maxima, & ferè delirantem: itaque urgente ipsa necessitate sanguinem misi ex utraque basilica ad ℥ vij. ex utraq;, erat enim robustus vir ætatis 31 & quarta die contra communem medendi in pleuritide methodum, antimonium meum propinandum dedi ad granorum quindecim quantitatem, quo multa ejecit supra & infra, maxima cum incommoditate propter dolorem lateris, & ni robustus fuisset, dolori, ni fallor, succubuisset: cavendum quapropter est maximè à vomitu excitando in pleuritide, nec hac in parte sequendus sum: nihilominus tamen

curatus est hac methodo ægrotus, quia ruptus est tumor, & vomuit tussi, multa sanguinea, purulenta, & ejecit: & levatus à dolore, sequenti die, quo antimonium nostrum sudorificum dedimus, quo copiose toto illo die sudavit, & fuit à febre omni liber die septimo; oborto etiam sudore aliquo, quo perfectè curatus est, & vivit adhuc incolumis.

Curatio sexagesima prima, Peripneumoniæ.

DOminus de Vernes Regius Consiliarius Castrinovidarensis anno 1623. circa mensem Julii, incidit in febrem magnam cum dolore capitis gravissimo, anhelitus difficultate maxima, dolore lateris utriusq; ad scapulas vergente, & rubore genarũ maxima, & dormiendi summo desiderio: hæc gravissima symptomata, unà cum febre, primo ipso die ægrotantem nostrum invasêre: itaque me vocarunt primis ipsis diebus, cui statim sanguinem mittere jussi ex basilica brachii dextri ad quantitatem ℥ viij. & oleo ceræ partes dolentes perunximus; die verò tertio misimus iterum sanguinem ex alio brachio ad quantitatem octo unciarum (erat enim robustus & annos natus 35) & partes dolentes perunximus balsamo sulphuris & oleo ceræ simul mixtis: quarto verò die dedimus illi sulphuris nostri antimonialis rubei drachmã unam, cum guttulis nonnullis olei cinnamomi, cũm cortice citri conditis simul mixtis & incorporatis, in formam boli, quo copiosè sudavit toto illo die, & nocte sequẽti; nec propterea remissa est febris, & symptomata, imò eodem tenore & typo permanserunt; quam ob rem sequentia julapia præscripsimus: decoctum pectorale dedimus serò & manè, ad quantitatem ℥ vj. cum ℥ ij. syrupi de tussilagine, & drachma unica

salis

ſalis prunellæ & ℥ ß. ſyrupi papaveris reas, & drachma unica aquæ cinnamomi ſtillatitii, ex quibus omnibus parabatur hauſtus unus pro una doſi, idque usque ad ſeptimum diem & undecimum, in quo curatus eſt perfectiſſime, criſe facta per ſudores copioſos ſeptimo & undecimo die: in quibus diebus ad ſudores copioſiùs eliciendos, & juvandam hac in parte naturam, deglutiendam dedimus drachmam unicam antimonii noſtri ſudorifici rubei, ut anteà die quarto fecimus, ſicque curatus eſt perfectè, & à magno illo morbo liberatus, tutiſſimè & jucundiſſimè: multosque deinde ego obſervata eadem prorſus methodo curavi, pleuriticos & peripneumonicos, quos prætermitto; non enim in votis eſt omnes numerare ægrotos, quos ſalvos fecit alchymia; at ex genere omnium morborum aliquos, ut percipiant miſochymici, facili negotio morbos omnes chymica methodo, curari poſſe, à me ipſo curatos eſſe.

Curatio ſexageſima ſecunda, depravati Appetitus, ſeu picæ.

HIc affectus frequentiſſimus & communis prægnantibus & virginibus viripotentibus, quibus menſtrua non fluunt; pallidos enim colores ſtatim incurrunt, & picam ob pravos vapores qui ab utero malè affecto in ventriculum aſcendunt. Viri autem rariſſimè tentantur hocce affectu; pueri verò frequentius, ob cruditates ingentes, quas colligunt ex victus pravo regimine: ego ipſe puerũ, imò infantulum habui, qui annos natus tres tantùm hoc affectu laboravit, cineres & terram magno appetitu efflagitabat, & comedebat; edulia autem euchyma reſpuebat, imò ipſum lac nutricis ſugere

gere aliquando recuſabat. Itaq; liberavimus ipſum à præſenti morbo ſequenti & unico remedio: dedimus illi grana quatuor antimonii præparati, & deglutiit cum juſculo, eoque remedio aſſumpto duabus aut tribus horis poſt; multa bilioſa, viridia omnino evomuit, & ejecit ſupra & infra, quo debilis factus eſt valde: julapium verò dedimus ex ſyrupo granatorum, cum tinctura noſtra auri, ex oleo vitrioli parata, & ea utebatur ex cochleari; & ſic perfectè curatus eſt, & vivit adhuc ſanus & incolumis ab omni morbo.

Curatio ſexageſima tertia, alterius Picæ.

ANna de la Font ancilla Domini de la Pomarede, laborabat pica, & depravato appetitu; triticum enim & terram, & calcem comedebat, erat autem viripotens virgo, annos nata viginti; menſes illi non fluebant, colore pallido ſubviridi totum corpus ſuffuſum habebat, febricula laborabat, tibiarumque dolore, & reſpirandi difficultate maxima. Vocatus ego ſequenti methodo curavi ipſam: inprimis, ejecto enemate emollienti & carminativo, ſanguinem miſi ex malleolis utriusque pedis, ad quantitatem ex utroque pede ℥ vj. Deinde ſequenti die propinata eſt cum aqua ſalviæ drachma unica ſalis vitrioli, qua potione multa evomuit: ſequenti autem die dedi grana quindecim antimonii mei, quo iterum multa & copioſa valde ejecit ſupra & infra; & his ſolis medicamentis perfectiſſimè curata fuit ab omnibus prædictis ſymptomatis, & à depravato illo ſuo appetitu, quo detinebatur.

Cura-

Curatio sexagesima quarta, deperditi Appetitus.

DOminus Arnaut, qui circa annum 1616. pueros Domini de Baraignes edocebat, incidit in hunc affectum, impransos, incœnatosque transigebat integros dies; absque ullo comedendi appetitu: saturatus semper sibi ipsi videbatur, dum autem ad cibos accedebat nausea summa afficiebatur; marcescente ergo indies corpore incidit in febrem lentam, & vigilias perpetuas. Vocatus ego dedi illi grana quindecim pulveris albi antimonii nostri, quibus multa pituitosa gypsea ejecit per vomitum & secessum: sequenti verò die dedi syrupum corallorum; paratur autem hic syrupus ex dissolutione corallorum in succo limonum depurato, & nonnullis guttulis olei vitrioli animato, ut potentiam habeat solvendi: hæc solutio filtrata & clarificata, cum sufficienti quantitate sacchari optimi coquitur in syrupum: usus est hoc syrupo per tres dies, sumendo, summo manè cochlearia duo, & statim primo die recuperavit appetitum, & cibos summo desiderio appetivit; & sic curatus est & vivit adhuc sanus & incolumis.

Curatio sexagesima quinta, Lienteriæ.

DOminus de Daumada, consobrinus meus anno 1623. ægrotabat in ipsa domo, in mense Octobri, hoc affectu, & ex racemis comestis in maxima quantitate; incidit enim in alvi fluxum violentissimum, ex quo cibos omnes indigestos, & crudos, intactos à calore ventriculi ejiciebat, maxima cum putredine: purgavimus primis ipsis diebus antimonio nostro, & syrupo deinde corallorum, aqua cinnam-

namomi admixta usus est per octo dies, serò & manè sumendo, & sic curatus est perfectè.

Curatio sexagesima sexta, Hepatici fluxus.

IOannes Dannette, servus fidelissimus Domini de la Pomarede, incidit in hepaticum fluxum circa annum 1614. in mense Julii ex potu aquæ frigidæ, & ex lactucis multo aceto delibutis, tempore æstatis sæpissime comesis, sanguinem crudum & aqueũ & copiosum per secessum ejiciebat, nullo tormine & ventris dolore: vocatus ut huic malo mederer, purgavi ipsum primò extracto Rheubarbari, & præscripsi deinde illi victus regimen calidum & humidum euchymum, & syrupum corallorum, admixta aqua cinnamomi, stillatitio, quo usus est per decem dies, sero & manè sumendo, ad quantitatem cochlearium duorum, & sic curatus est tutò & jucundè.

Curatio sexagesima septima, Schirri lienis.

FIliola Domini de Vermes, annos nata septem anno 1623. correpta fuit febre quartana, & post curationem ipsius incidit in tumorem durũ & scirrhosum lienis, prætumidum enim habebat latus sinistrum in regione lienis, nulla apparente inflammatione, urinas ejicebat nigras & turbidas; curata fuit solo usu aquæ stillatitiæ tamarisci, cum oleo vitrioli; sumebat singulis matutinis horis, jejuno vẽtriculo, uncias quatuor istius aquæ, cum guttulis septem olei vitrioli, & intra mensem perfectè curata fuit: prius autem purgata fuit nostro antimonio, dum febre quartana laborabat, ut visum est ante, rediitq; eadem febris, anno 1623. & per sex menses duravit, & scirrhum reliquit in liene, à quo curata est.

Cura-

Curatio sexagesima octava, Icteri.

PEtrus de André, Tolosas, anno 1623. ingenuus adolescens studiis Tolosæ navans operam, subito corruptus fuit ictero viridi, quem & nigrum dicunt medici: vocatus ego statim, quia tunc temporis Tolosæ eram, inveni ipsum febriculis laborantem, & prætumido liene; erat enim apparens tumor & dolor in latere sinistro, nigræ etiam erant urinæ. Statim eo ipso die purgavi ipsum antimonio meo, data communi dosi. Deinde præscripsi julapia aperientia, ex decocto radicum aperitivarum, cui addidi syrupum de limonibus & oleum vitrioli, cum parum aquæ cinnamomi, & illo usu hujus julapii per quindecim dies, curatus est: in fine quorum dierum iterũ purgatus est antimonio nostro, & balneatus est balneo calido aquæ dulcis, & media parte vini, & ab egressione è balneo sumebat ℨ ß. antimonii nostri sudorifici & coopertus in lecto sudabat, idque per quatuor dies factitatum est: ungebatur etiam tunc temporis regio lienis essentia & oleo succini albi, & sic perfectè omnino curationem absolvimus.

Curatio sexagesima nona, Hydropis.

ANno 1621. mense Decembri, apud Tolosates fuit ingenuus adolescens, cujus cognomen la Roque, juris civilis Doctor & in suprema Tolosatum curia Advocatus, filius Procuratoris diligentissimi; annos natos 32. qui ob pravam vivendi consuetudinem, & quamplures diurnas, nocturnasque intempestivas comessationes, quamvis satis temperatè & honestè admodum factas, incidit in tumoré universalem totius corporis, quem anasarcam dicunt Medici. Vocatus ego tunc temporis Tolosæ degens,

degens, cum alio medico clinico hujusce familiæ, remedia vulgaria dogmatica præscripsimus, quibus usus est, sed in vanum: symptomata omnia hujus morbi invitis nostris medicamentis, vegetiori robore & vigore crescebant. Tum pater illius adolescentis unà cum matre, me privatim rogarunt ut si quid haberem arcani, & secreti ad curandum filium illum unicum, libenter porrigerem; confidebant enim plurimum remediis chymicis. Itaque rogatus, tractavi illum spagyrica methodo; nihilominus tamen prius ego communicavi omnia mea remedia medico suo clinico: annuit tandem ipse, cum cerneret voluntatem parentum, & ægrotum quasi desperatum, aut saltem summopere periclitantem. Dedi ergo antimonium meum purgativum per tres subsequentes dies, ad granorum 20. quantitatem, singulis dosibus, quibus multa pituitosa ejecit: purgato corpore, julapiis aperientibus usus per quindecim dies; potiones & doses singulæ alterabantur syrupo margaritarum, & olei vitrioli guttulis decem, cum tinctura auri. His transactis diebus purgatus est iterum antimonio nostro; deinde sudavit per octo dies in hypocausto artificioso, in lecto suo composito, porrecta prius semper drachma una antimonii nostri sudorifici, qua cum calore artificioso illo, multum sudabat: usus est deinde ad roborandum hepar & ventriculum opiata sequenti. ℞. salis corallorum & margaritarum ana ʒ j. tincturæ auri ʒ ij. essentiæ anisi, & cinnamomi ana ʒ ß. lapidis bezoartici mineralis nostri qui est antimoniũ sudorificũ nostrum ʒ j. mosci & ambari grisei ana ʒ ß. corticis citri conditi, aqua cinnamomi dissoluti, & per se taceum transmissi ℥ iij. misceantur & incorporentur simul, & fiat opiata, de qua sumat ad quantitatem nucis avellanæ singulis matutinis

 ho-

horis, jejuno ventriculo: usus est hac opiata per mensem, & sic perfectè curatus est, & liberatus à morbo illo crudeli, confirmato & desperato: præscripsimus deinde optimum vivendi regimen & cõsuluimus ut balnea loci Dencausse, singulis annis, vernante tempore adiret, ibique potaret per septẽ, aut octo dies: & sic vindicatus est omnino à recidivis, & vivit adhuc incolumis & sanus, pius & devotissimus, presbyter jam factus.

Curatio septuagesima, Febris Quartana.

VXor Domini de Sainct Pierre, Procuratoris vigilantissimi in curia Præsidiali Tolosana, anno 1623. mense Decembri, detenta fuit febre quartana, gravissimis concomitata symptomatis, nausea, vomitu, dejecto & deperdito prorsus appetitu, viriumque omnium summa debilitate, annos nata 25. cui dogmatica remedia per quatuor menses à Tolosanis medicis præscripta fuerant, at in vanum: curata tandem fuit usu solo quotidiano superioris præscriptæ opiatæ, & tincturæ corallorum à me præscripto, per mensem integrum, intra quem perfectè curata fuit à febre & symptomatis.

Curatio septuagesima prima, Icteri viridis cum gravissimis symptomatis.

ANna de Maleprade, juvenis admodum puella annos nata 16. cùm menses illi adhuc non fluxissent, pallido & subviridi colore, per totum corpus tincta est, cum gravissimo capitis dolore, nausea,

ſea, vomitu, difficultate reſpirandi quàm maxima, & virium proſtratione: multa fuerunt adhibita remedia, ad eam curandam dogmaticè præſcripta, ſed omnia in vanum. Ego autem vocatus, cùm conſobrina mea eſſet proxima, purgavi ipſam ſale vitrioli perquamoptimè præparato, & ad albedinem ſummam calcinationibus iteratis deducto, per quatuor dies continuos, in quibus multa ejecit ſupra & infra: & deinde uſa eſt opiata noſtra antea præſcripta in curatione, 69. quam conſervam vitæ appellamus, & uſa eſt per quindecim dies manè, & ſero, ſumendo ad quantitatem medietatis nucis avellanæ, & cum aqua cinnamomi ſtillatitia, ſuperbibendo cochlearia duo, & ſic curata eſt ab omni ſuo morbo.

Curatio ſeptuageſima ſecunda, febris Syncopalis.

Franciſcus Faber, filiolus meus annos natus tres, anno 1624. in menſe Decembri, incidit in febrem ardentiſſimam, & à primo ſymptomate in ſyncopem & animi deliquium, à quo vindicavimus ipſum aqua theriacali; rediit ter in die illud animi deliquium, cum virium ſuarum omnimoda deperditione: ita cùm ferè deſperatum viderem, & febre prægrandi laborantem, & ſymptomatis in initio quàm maximis, venenum prorſus intus ſuſpicatus ſum à maligna quadam qualitate: itaque dedi illi cum aqua theriacali grana tria antimonii mei, quo ſtatim multa evomuit viridia, viridi æris ſimilia, illicoque refocillavi ejus ventriculum, cum ſpiritu roſarum & violarum, & tinctura auri, qua uſus eſt per ſex dies, intra quos perfectè curatus eſt abſque ulla alia facta criſi.

Curatio septuagesima tertia, Colici doloris.

DOminus de Bardichon, Præses in curia Præsidiali Lauraguesij, & Protopræses in curia Carcassonensi annos natus 35. anno 1624. in mense Septembri in colicum dolorem incidit adeò crudelem, ut sibi violentas fere manus inferre vellet, ni prudenti qua vigebat mente, ad intolerabiles illos pati dolores commotus fuisset: itaque convocavit illico medicos omnes civitatis Carcassonensis; at nihilominus vana fuerunt omnia remedia, nec ullo pacto dolorem lenire potuerunt: itaque angarium subitò ad me misit, ut una cum illo angarios sumerem equos, ut vitæ suæ præsentaneo periculo succurrerem: quo accepto subitò equum conscendi, & præcipiti cursu Carcassonem tetendi, quam tribus horis appuli & subitò ægrotantem visitavi, mortuum fere, concavis temporibus, naso acuto, lividis oculis, facie tota cadaverosa, livida & subviridi colore tincta: verbis auxiliariis ipsum refocillavi, sanitatem quàm subitò promittendo. Itaque subitò, præsentissima hora, dedi viginti grana antimonii mei in aqua theriacali, & confestim vomuit quam maxima pituitosa, & biliosa, multasque fecit sedes ejusdem naturæ: interim injecimus clysteres carminantes ex decocto herbarum calidarum cum vino optimo, admixto deinde spiritu vini, & oleo anisi, carabes, & rutæ, & sic intra quatuor, aut quinque horas quievit dolor, & satis pacatè dormivit, qui quatuor noctes & dies integros vigiles & insomnes transegerat. Sequentibus verò diebus per quatuor dies iterum purgatus antimonio meo, copiosissima ejecit supra & infra: tum demum refocillatus ejus ventriculus & hepar conserva

ſerva ſeu electuario vitæ ſupra præſcripto: & ſic perfecte curatus eſt: at intra quindecim dies rediit dolor & morbus cum gravioribus adhuc ſymptomatis: vocatus iterum eadem repetii, & præparavi corpus multis julapiis, & purgavi ipſum antimonio meo, & ita iterum ceſſavit dolor & morbus: nihilominus obtuſum & obſcurum ſemper circa umbilicum perſentiebat dolorem, cum brachiorum & ſcapularum frigido torpore, necnon dolore aliquo, & tuſſicula, qua ſemper divexabatur. Itaque ad debellandum hunc pertinacem morbum conſului illi, ut Dominum Andream Deſprit medicum famoſiſſimum, Biterris degentem advocaret, ut una cum illo, antidotariorum noſtrorum loculos omnes ſcrutaremur, ad hunc crudeliſſimum hoſtem debellandum. Vocatus ergo Dominus Andreas Deſprit, conſilium inivimus pro ſalute ejus integra & abſoluta, neve amplius in recidivam incideret: erat enim tunc temporis perfecte ab omni dolore liber, at recidivam timebamus, quòd cibis quamoptimis quibus utebatur, non reficeretur. Itaque ex conſilio Domini prædicti Andreæ purgavimus ipſum multoties, & balneavimus ipſum balneo calenti, & ultimò antimonio meo purgatus eſt, & aqua cinnamomi & aniſi poſt paſtus uſus eſt: & ſic Deo juvante perfectiſſime curatus eſt, & vivit adhuc, nec amplius tentatur illo crudeli morbo, in quem inciderat ex frequenti potu frigidæ aquæ, vigente canicula, vinique refrigerati intra puteum profundiſſimum.

Curatio ſeptuageſima quarta, Hæmorrhoidum Cancroſarum.

Reverendus in Christo Pater Cyrillus, Religionem Capucinorum profitens, vexatus fuit per

multos annos hæmorrhoidibus, quæ tandem in ulcera depaſcentia devenerunt, quibus illicò ſupervenerunt crudeliſſimi dolores: deſperatum iſtum Patrem tulerunt, ad conventum Toloſanum, ut mortem ibi tanquam ultimum iſtius morbi ſolatium & remedium exſpectaret. Anno ergo 1623. in menſe Decembri Toloſæ eram, & aliquando Capucinorum Conventum viſitabam, ideò oſtenderunt Patres mihi illum religioſum, tanquam ab omnibus medicis deſperatum, invenique illum in lecto jacentem, dolores incredibiles ſumma cum patientia vincentem, vidi ulcera ſua, & hæmorrhoidas tumefactas adeò extra anum, ut ovi anſerini maximi magnitudinem æquarent, ulceratas omnimodo, livida & nigra carne, mortua & ſpacelata coopertas, imò & ad internas partes ani & recti inteſtini procedebat ulcus: febris præterea lenta ſemper aderat. Quid ergo agerem, anceps & dubius hæſitabam; deſperabam enim de ſalute ipſius, refocillavi tamen ejus animum languentem, ſanitatem divino juvante numine promittendo, & ipſum pro me orare preceſque fundere rogavi: Itaque dedi illi balſamum dulce Saturni, ut beneficio illius carnes mortuæ deciderent, & ulcus nitidum & lorum maneret, quod uno ſolo die factum eſt: tum demum balſamum ſulphuris compoſui, & loco olei communis & vulgaris olivarum, appoſui oleum hypericonis & oleum vitellorum ovorum, & ex his balſamum ſulphuris compoſui, in quo tantillũ camphoræ diſſolvi, & præcepi ut ter in die ipſo balſamo ſuũ ulcus liniret: primo ipſo die quo uſus eſt, ceſſaverunt dolores omnes, & intra quindecim dies lecto ſe ſeduxit, & ambulavit abſq; dolore, qui per duos aut tres annos integros, tanquam paralyticus in lecto jacuerat, & uſu ſolo il-

lius

lius balſami intra menſem perfectè curatus eſt, nec rediit unquam morbus: vivit adhuc ipſe hujusce rei fidelis teſtis.

Curatio ſeptuageſima quinta, fluxus ſanguinis Renum.

DOminus Stephanus de Monard, Regius Conſiliarius Caſtrinovidarenſis, annos 33. natus, correptus fuit dolore obtuſo renum, & ab ipſo dolore ſanguinem ſtatim unà cum urinis emiſit, magna ſatis quantitate: quievit tandem illud ſymptoma butyro ſaturni renibus applicato, intra ſex, aut ſeptem horas, nec amplius rediit; at urinas albas lacti ſimiles omnino per duos annos, fœtidas, & purulentas reddidit; anno tandem 1621. curatus fuit uſu tinctura corallorum in aqua therebentinæ rectificata: ſumebat ſingulis matutinis horis ℥ ß. aquæ rectificatæ therebentinæ venetæ cum ℥ ß. tincturæ corallorum: habes autem deſcriptam tincturam corallorum in Myrothecio noſtro, cap. 22. lib. 3. butyrum autem ſaturni eſt commune illud refrigerans quod paratur ex diſſolutione plumbi calcinati in aceto diſtillato, ex qua diſſolutione clarificata & filtrata cum oleo violaceo aut roſaceo paratur agitatione & motu harum duarum ſubſtantiarum unguentum ſeu linimentum, quod butyrum dicimus, ob ſimilitudinem butyri veri & iſtius, quod eſt medicamentum ſummoperè refrigerans, adſtringens, & abſtergens: hinc eſt arcanum eryſipelarum & combuſtorum omnium.

Curatio septuagesima sexta, Scabiei universæ, febri lentæ sociata.

DOminus N. scabiosus fere toto suæ vitæ tempore, herpetibus variis & multis per totum corpus sparsis, melancholico admodum temperamento & multo sanguine adusto repletus anno 1623. petiit domum meam, ibique multa mihi patefecit, quæ non est fas mihi proferre, ne descriptione peculiari & rigida nimis, ignotum hominem notissimum faciam. Curavi ipsum sequenti methodo: Injecto & ejecto enemate communi, emollienti & refrigeranti, purgavi ipsum antimonio meo, prima curatione istius centuriæ descripto, per quindecim dies, diē unū in principio pro quiete interponēdo: in fine autem interponēdo duos dies, ut quiesceret à purgatione: deinde usus est per mensem integrū arcano sanguinis ad quantitatem gutt. xvj. in drachma semisse essentiæ corallorum: habes autem hæc medicamenta descripta in Myrothecio nostro ut supra diximus multis in curationibus: & interim curatus est sensim & insensibiliter à scabie sua, & omnibus suis symptomatis: misi deinde sanguinem ex basilica brachii dextri ad quantitatem ℥ viiij. & balneavi ipsum quater in balneo aquæ dulcis tepidæ, & victum humidum & refrigerans & euchymum præscripsi, & sic perfectè curatus est & vivit adhuc qui fere leprosus erat.

Curatio septuagesima septima, Arthritidis.

DOminus Germanus de Poulastre ditissimus Mercator loci de Vignonet annos 60. natus arthritide laboravit per multos annos, & schiaticis doloribus atrocibus: quibus tandem victus aut mori

mori aut sanari cupiens, permultos convocavit medicos, ut malum tollerent, aut saltem mitigarent: Tentavit ergo permulta remedia, dietas resumptivas, purgationes & balnea; sed hæc omnia frustra. Vocatus tandem ego purgavi ipsum antimonio meo, in prima curatione descripto, viginti grana porrigendo in jusculo, & per sex dies continuavi purgationem, diem unum interponendo: ungendo interim partes dolentes oleo ceræ & essentia ossiũ humanorum, descripta in primo lib. Myrothecii mei, cap. 10. in quo capite habes methodum faciendi illam essentiam, & ejus usum. His solis medicamentis intra illos sex dies curatus est, & quievit omnino dolor ille acerbissimus, qui medicorum multorum opprobrium per multos annos fuit: Ne rediret autem dolor, consului ægrotanti ut singulis mensibus uteretur purgatione illa antimoniali in plenilunio, & semel in hebdomade sumeret arcani sanguinis mei guttulas quindecim in aqua cinnamomi: quod factitatum est, & perfectè sic curatus est, & vivit adhuc ab omni dolore arthritico & schiatico liber & incolumis.

Curatio septuagesima octava, Atrocissimi doloris ventriculi, & inappetentiæ.

DOmina Francisca de Villeroux, ingenua puella & virgo honoranda Castrinovidarensis, annos nata 25. ob pallidos virginum colores, quos passa est per multum tempus, & ob paucas menstruas purgationes quibus titubantem, & labilem sanitatem adhuc sustinebat, incidit in deperditum appetitum & dolorem ventriculi atrocissimum, quo cruciabatur diu noctuque, tam post pastum, quàm

ante paſtum. Vocatus ego ut malo ſuccurrerem,malum ſuſpicatus ſum provenire ex humoribus bilioſis, acribus, & mordacibus, tunicis ventriculi adhærentibus:hi autem humores ſunt ſpecies tartari vitriolati chimicorum: nec me fefellit opinio; nam data drachma una ſalis vitrioli præparati ſecundum artem noſtram in Myrothecio deſcriptam, cum juſculo, vomuit quàm maxima bilioſa, viridia, amara maximè, & per ſex dies paſſa eſt alvi fluxum bilioſum, ſeu tartareum vitriolatum, abſque tormine & inteſtinorum dolore, nec ventriculi: & ſic perfectè curata eſt ab illo dolore, atrociſſimo, & rediit appetitus & edendi ſummum deſiderium; vivit adhuc nobilis & ingenua puella.

Curatio ſeptuageſima nona, Molæ.

PUella nobilis & ingenua valde, annos nata 35. cujus nomen & familiam tacere me decor medicus conſulit, perſuadet, & poſtulat Hippocraticum juſiurandum, anno 1626. apud Toloſates ab omnibus medicis & potiſſimum à Domino Queyratio in civitate Toloſana Medico,& Profeſſore meritiſſimo, necnon clariſſimo, tympanite affecta judicata fuit, ob ſigna apparentia, & hiſtoriam morbi ab ipſamet arrogante recitatam,quæ omnia hepar affectum, refrigeratum, & obſtructum manifeſtare videbantur: & quòd puellam honeſtam, & omnimodè caſtam, certiſſimè crederent (quod una cum ipſis ego ipſe ſemper credidi, & ſemper credam) ob opinionem Galenicorum quamplurimorum molam, absque concubitu virili generari non poſſe exiſtimantium, maluit ſemper Dominus Queyratius inclinare ad opinionem tympanitis, ſcirrhi hepatis & lienis,quàm ad molæ ſuſpicionem ullam. Ego verò cùm exiſtimem molam generari ex ſola imaginatione

natione concubitus, esseque monstrum vi & potestate muliebris imaginationis productum & generatum; semen enim muliebre tunc temporis defertur in uterum, ibique calore suo innato, & spiritibus mechanicis & archeis disponitur ad imperfectam illius monstri generationem, cùm ex imperfectione sua, hoc est, ex se solo nihil humani perfecti generare possit, quòd à Deo & natura nullo pacto ad generationem perfectam ex se solo destinatum sit, sed unà cum virili semine permixtum, & in loco debito & à natura destinato conclusum. Nec afferant Hippocratem huic opinioni repugnantem lib. de morbis mulierum, & lib. de sterilibus, ubi eadem verba repetit his verbis: Mola verò generatur, cùm multi menses modicum semen & morbosum conceperint: nam ex verbis his colligi non potest, semen virile debere concurrere ad generationem molæ, modò semen muliebre & fœmineum adsit, sufficit, quod intellexisse Hippocratem, audacter & intrepidè assero; nam semen illud quod per vehementem imaginationem concubitus, & cupidinis ardorem, in somniis in uterum defertur, paucum est, & morbosum; nam à morbo producitur, quem Galenici incubum dicunt. Ex illo ergo semine pauco, & morboso, quod in incubo educitur, in puellis ætate valentibus, mola generatur; nec in præsenti morbo fefellit me opinio hæc, molam suspicatus, non tympanitem, ex motu in utramque uteri partem, & ex elato, modò depresso utero ex flatibus ex corruptione ortis: medicamenta discutientia molam dedi, & uterum aperientia: imprimis enemata validissima ex decocto matricalium in vino albo generoso facto iniicienda curavi: deinde salem vitrioli in potionem dedi, ut

di, ut sursum deorsúmque dejiciendo mola concuteretur, antimonio meo superius citato deinde purgavi, ultimò tandem aquam cinnamomi stillatitii ad magnam quantitatem, uncias purà quatuor, cum drachma semisse essentiæ cariophyllorum, & guttulis viginti essentiæ sabinæ sumpsit, & illico post tres horas apertus est uterus, & fluxit sanguis serosus magna in quantitate: & deinde viridia multa & putrida valde, & tandem molæ quamplurimæ ejectæ sunt magnitudine nucis vulgaris, & una magnitudine nucis Indiæ, & ejusdem figuræ, venulis infinitis scatens, rubei & lividi coloris & carnosæ substantiæ: Hæc autem omnia ejecta magno cum labore, & dolore fuerunt, non secus ut assolet fieri in legitimis, laudatis & perfectis partubus, imò crudeliorem & atrociorem dolorem partus molæ, quàm partus fœtus perfecti existimo; cùm hic partus naturalis sit, & secundum naturæ leges; ille verò præter naturam & crisis innaturalis, & potissimum cùm fiat vi & potestate medicamentorum, quæ extra tempus aliquando legitimum, uterum aperiunt, & quod intus est, concusso utero foras pellunt, quod fieri non potest absque violentia, & periculo ægrotantis: at cum morbus hic lethalis sit, tentanda potius sunt extrema remedia, quàm nulla, ex opinione Hippocratis & Celsi, quod factitatum est, cum felici & prospero successu in prædicta puella; nam vivit adhuc sana, & ab omni morbo vindicata, testes sunt infiniti Tolosates qui historiam morbi sciunt, & viderunt curam in mense Aprili, anno 1626.

Curatio octogesima, Disuria.

Reverendus in Christo Pater Marguestaud, annos natus 70. pius ac devotus Societatis Jesu Religiosus, postquam Tolosæ in Ecclesia divi Saturnini

nini anno 1626. per totum quadragesimale tempus concionatus fuisset magna facundia, & maximo fructu, erectis ad Deum Tolosatum animis, dum discederet, Burdigalámque peteret, in oppido Verdun dicto incidit in disuriam urinæ difficultatem omnimodã, cui mederi & auxiliari non potuerunt medici convocati. Periculum tanti viri Tolosam illicò pervenit, & Religiosi patres ejusdem Societatis, remedia quærentes, venerunt tandem ad me tunc temporis Tolosæ degentem, historiámque morbi narrarunt, & remedia omnia quæ à medicis prudentibus & doctis præscripta fuerant, nihilominus invalida omnia, & absque solatio. Desperato ergo & morti quàm proximo propinandum dedi salem vitrioli in spiritu petroselini, & aqua cinnamomi dissolutum, ad quantitatem ℨj. cujus haustu multa viridia amara, narcotica, quæ spiritibus suis narcoticis facultatem vesicæ expultricem interimebant evomuit, & illico multam quantitatem urinæ rejecit; cum tamen antea nec algaria, nec purgationibus ullis, nec julapis urinam discutientibus, nec unguentis, nec linimentis, & reliquis aliis similibus potuerit vesicam suam exonerare: deinde usus est per aliquod tempus spiritu tartari, spiritu vitrioli & cremore tartari, simul mixtis ad quantitatem minimam, & in jusculis suis permixtis & potatis, curatus Deo dante est, & sanus vivit adhuc, etsi septuagenarius sit.

Curatio octuagesima prima, Maniæ.

EOdem anno curati sunt quatuor maniaci, sola antimonii mei supra citati purgatione, hebdomadatim facta, & assidua in jusculis, & potu ordinario essentiæ mercurii acidæ potione, unà cum nepenthe seu laudano Paracelsi: sumebant enim in singulis

gulis ſuis potionibus quæ ex ſimplici aqua fontis erant, guttulas decem eſſentiæ acidæ mercurii, cum tribus guttuli laudani; & hiſce ſolis medicamentis ſpiritus mercurii vitæ ad cerebrum Palladiſque arcem ſublimatus, & alchooliſatus ſupra debitum & legitimum cerebri temperamentum, maniam cauſans & furorem, coagulatus eſt, & à ſubtilitate dimotus, ita ut ad naturalem redactus ordinem ad congruas & decentes vitæ humanæ actiones edendas compulſus ſit intrà quadraginta dies, aut quinquaginta. Hanc eſſentiam acidam mercurii habes deſcriptam lib. 3. Myrothecii cap. de mercurio: Et hac eadem methodo curati ſunt pluſquam ſexaginta maniaci, quorum nomina recenſere mihi non licet: ſi quis tamen medicorum hæc medicamenta præ manibus habeat, & maniacos in loco clauſo detẽtos detineat, ne verbis ſuis copioſis, & motibus importunis fortiùs incaleſcant quàm poſtulat eorum cura, quæ in quiete & tranquillitate tum animi, tum corporis conſiſtit, certo certius curabit omnes maniacos.

Curatio octuageſima ſecunda, Vertiginis.

ANtonius Canut, Bibliopola Toloſas, anno eodẽ, annos natus 25. vertigine laborabat, nec unquam curari potuit purgationibus vulgaribus & phlebotomia: curavi ipſum, ejus corpore purgato, antimonio noſtro ſupra citato, & eſſentiis thymi & ſuccini albi, cum aqua cinnamomi permixtis ad quantitatem guttularum trium in ℥ j. aquæ cinnamomi ſtillatitiæ, & ſummo manè jejuno ventriculo pota: deinde ad præſervationem ſingulis pleniluniis præſcripſimus doſim antimonii noſtri unicam, quæ eſt, x v i. granorum quæ cum vino generoſo exhibentur

bentur ſervato regimine & cuſtodia. Poſt hanc purgationem utitur conſerva vitæ, ſeu electuario vitali noſtro, quod componitur, ut ſuperius diximus, ex oleo cinnamomi, aniſi, fœniculi, vitrioli, tinctura auri, ſale margaritarum, & corallorum, moſco & ambaro, ſimul permixtis, obſervata vniuſcujuſque doſi varia & diverſa, & omnibus amalgamatis, unà cum cortice citri conditi tripla ad pondus omnium : hoc electuario utitur ad præſervationem tanti mali poſt purgationem antimonialem noſtram, & ſic perfecte curatus eſt. Eodémque anno fecimus curationem ejuſdem vertiignis aliam apud Toloſates ſimilibus medicamentis.

Curatio octuageſima quarta, doloris Schiatici.

GErmanus de Polaſtre, Mercator noſtræ regionis famoſus, detentus fuit per ſex menſes in lecto paralyticus, à dolore ſchiatico : curavi ipſum antimonio noſtro purgando ipſum per ſex dies, ut pars tartari morbum cauſantis vi attractiva antimonii foras pelleretur : poſt purgationem hanc uſus eſt mercurio noſtro diaphoretico rubeo, fixo, ut per ſudores reliqua pars tartari evacuaretur quæ in ſynoviis reſidet, hoc eſt, in perioſtibus, & humoribus vitalibus, ex quibus immediatè partes nutriuntur : hi enim humores ſynoviæ dicuntur ab hermeticis medicis, & quia reſident in perioſtio, ad oſſa nutrienda, ideò ſynovias perioſtia dixi, termino uſus Galenico, ad majorem intelligentiam : non quod ſynovia perioſtium ſit, ſed humor reſidens : in perioſtio ad os nutriendum. In hoc ergo humore, ſal pollens & vigens dolores illos atrociſſimos cauſatur & efficit, & nî extinguatur vis illa, impoſſibile eſt medico dolorẽ arthriticum lenire; ſpiritus autẽ ſalis aſſumptus,

&

& admotus acrimoniam ſalis baſami vitæ temperat, unde in cautione arthritidis, & omnium ejus ſpecierum primas tenet, poſt purgationes antimoniales & mercuriales ſudorificas; quæ per inſenſibilem tranſpirationem, ſalem illum ſuperabundantem balſami naturalis foras eliciunt; nam ſal balſami naturalis noſtri, nũquam acrimoniam acquirit & cauſticandi facultatem, modò benigno mercurii humore diſſolvatur. Humidum ergo mercurii mineralis ab omni venenata qualitate privatum, & ex acido in dulcem liquorem converſum, arcanum eſt arthritici omnis doloris: his ſolis medicamentis curavimus prædictũ Dominum de Polaſtre ſexagenarium, & vivit adhuc incolumis ab omni dolore.

Curatio octuageſima quinta, febris Erraticæ.

DOminus Guinoel Douradou, Caſtrinovidarenſis, Toloſæ degens & ſtudens, annos natus 18. ob ſtudii fervorem incidit in febrem quam Galenici erraticã dicunt, quòd typos, periodos, & paroxyſmos non obſervet æquales; piger omnino ex ſumma diligentia factus, & ſomno diurno nocturnóque ſepultus, macilentus admodum potum & cibum fere omnem reſpuebat, febre lenta ſemper laborans, à paſtu exacerbaſcente, hecticum deſperatæ ſalutis jamiam judicabat pater ſuus Caſtrinovidarenſis Regius Conſiliarius, cùm poſt tres purgationes antimoniales, & unam ex ſale vitrioli in aqua cinnamomi diſſoluto, & poſt julapia ex ſyrupo ceraſorum acidorum, & ſpiritu vitrioli, & aqua roſacea, præſcripta & aſſumpta factus eſt ſanus, & ab omni ſuo morbo liber. Erat autem hæc febris tartarea mercurialis narcotica, in ventriculo ſedem habens.

Curatio octuagesima sexta, Syncopes.

DOminus Stephanus de Monard, curatione 75. à fluxu sanguinis rerum curatus, anno 1626. die 12. mensis Maij: incidit in syncopem tribus horis post prandium, somno meridiano hac in die potissimum correptus, quod antecedentem noctem insomnem transegerat; à somno experrectus incidit in syncopem & animi deliquium, ex quo non potuit nec vino, nec spiritu vini, nec aqua cinnamomi extricari: hinc parentes Apoplecticum ipsum judicantes, & conclamatum esse de salute ejus, rogarunt me, ut omni studio, cura & labore illi auxilium ferrem. Curatus est vomitu provocato, magna aquæ cinnamomi copia pota; & deinde refocillato ventriculo & cerebro arcano nostro pestis, ad quantitatem ℥ ß. præscripto, & assumpto. Componitur autem istud arcanum; ex extracto theriacali, extracto confectionis Alchermes, extracto limonum, malorum aurantiorum, extracto gentianæ, carlinæ, & Angelicæ, & tinctura auri & corallorum simul permixtis, & in vitro optimè clauso asservatis, additis nonnullis granis moschi & ambari.

Curatio octuagesima septima, Catarrhi.

DOminus de Biscambi, Mercator Castrinovidarensis, anno 1626. in mense Majo, catarrho fuit affectus, & fere desperatus à medicis: curavi ipsum purgando ter antimonio meo, per tres auroras subsequentes, & propinatis deinde sex julapiis, ex decocto pectorali paratis, cum extracto limonũ, & malorum aurantiorum, & extracto peoniæ cum spiritu vitrioli, & fumigio carabes albi eundo cubitum: peractis quibus medicamentis intra sex dies fuit ab omni febre liber & tussi, qua summoperè premebatur.

Curatio octuagesima octava, Morbillorum.

FRanciſcus de Fabre filiolus meus, annos natus quatuor, anno eodem circa menſem Maii, tentatus fuit, & afflictus morbillis, cum febre violentiſſima, alui fluxu, & convulſionibus fere perpetuis: vindicavi ipſum à peſtilente illa febre, & lethalibus ſuis ſymptomatis antimonio meo ſudorifico, quòd alii minerale bezoar dicunt, & Paracelſus unicornu minerale, quo uſus eſt quotidie, ad quantitatem granorum viij. & in juſculis uſus eſt etiam arcano noſtro peſtis, ad quantitatem quatuor aut triũ guttularum in juſculis. Arcanum autem iſtud peſtis deſcripſimus, in curatione 86. ſuperiori, & his ſolis medicamentis perfectè curatus eſt cùm tamen lethaliter laboraret; nam morbilli illi, quibus ſcatebat per totum corpus, nigri & lividi erant, & febre violentiſſima, lethargo conjuncta per viginti & octo dies laboravit; nihilominus tamen ſalvum fecimus ipſum his ſolis medicamentis ſupracitatis, & infinitos alios infantulos ſimiliter curavimus, ſimilibus morbillis laborantes, hoc potiſſimum anno, in quo in infantulos & alios fere omnes qui non amplius tentati morbillis fuerant graſſabatur hic morbus, cum periculo mortis, quorum quamplures liberavimus beneficio horum ſupracitorum medicamentorum, divino auxiliante numine.

Curatio octuagesima nona, Luis Venereæ.

QUamplurimi ſunt qui medicamentit chymicis meis curati ſunt perfectiſſimè ab hac lue, & infectione, qui nullo pacto ab ordinariis & vulgaribus

garibus medicamentis, diæta putà vulgaris decocto gajaci, ſalſæ parillæ, & radicis Chinæ, & unctione univerſali unguenti Neapolitani, & fumigo cinabrii potuerunt curari, qui ſolo frequenti uſu antimonii mei cathartici, hebdomadatim ſumpti, & continuo uſu ſulphuris rubei, ex antimonio & ſublimato mercurio eliciti, quod & aliàs diximus minerale bezoar rubeum, ſeu antimonium rubeum ſudorificum, quod modò fixetur, vires auri potabilis æquat. Hic ſolis medicamentis perfectiſſimam luis venereæ curam abſolvimus, quamplurimis in ſubjectis, diverſis ætate & ſexu, imò ipſos lactantes infantulos, eadem lue infectos, horum medicamẽtorum uſu, ab omni vitæ periculo vindicavimus, quorum nomina recenſere jurejurando Hippocratico, prohibemur.

Curatio nonageſima, Lepræ.

NOn poſſum infames hos ægrotantes nominare, nondum enim publicos leproſos curavi, ſed tantum tacitos, & qui nondum vulgo innotuerant, quod in his lepra non eſſet adhuc confirmata, ſed incipiens; atrocibus tamen adeò ſymptomatis concomitata, ut nî remediis malo obveniſſent, de ſanitate ipſorum conclamatum fuiſſet omnino: vidi enim juvenem annos duodecim natum, à parentibus ſanis, & laudati ſanguinis, & balſami ortum, toto corpore ſcabie ſicca ſcatentem, nullo pure & ſanie ex ſcabie illa profluente; at ſiccis ſquammis, veluti in capite ex tinea oriri ſolet, totum corpus penitus, ſola facie excepta, conſpurcabatur. Illum ipſum curavi antimonio meo purgativo, illius doſi de quidecim in quindecim dies iterata; & ſingulis aliis diebus ſumendo cochleare unum tincturæ co[illegible]lli, cum guttulis tribus tincturæ auri, idque

omne in jusculo optimo. Intra octo menses curatus est perfectissimè, ab omni illa lue tartarea, quã Galenicè loquendo lepram dicere possumus.

Curatio nonagesima prima, Tumorum œdematosorum circa cerebri emunctoria.

DOminus de Bonal, mercator Castrinovidarensis, ob defluxiones frigidas humoris pituitosi in colli glandulas, varios patiebatur tumores œdematosos singulis annis, quamvis natus esset annos 40. ita ut ab omnibus scrofulosus crederetur: curavi ipsum ab hac infirmitate, sola purgatione bis in anno iterata antimonii mei, & appositione emplastri calcinati magni Paracelsi, quod hanc suscipit compositionem. ℞. Sulphuris balsami ℥ j. ceræ albæ ℥ vj. olei hypericonis ℥ j. mercurii præcipitati rubei & loti. ℥ j. terræ mortuæ colchotaris ℥ ß. misce, reducantur in emplastri consistentiam, cujus usu curantur œdemata cuncta, & scrofulosi tumores: nam virtute balsami sulphuris, & olei hypericonis, ad pepasmum & maturationem perducuntur, & virtute mercurii, & terræ vitrioli, ad cicatricem laudatam, & multoties vidimus experientia.

Curatio nonagesima secunda, Lumbricorum.

FRanciscus Faber, filius meus, annos natus 5. incidit in febriculam, in quo modò frigus, modò calor exteriùs vigebant, & convulsiones nonnullæ diversis horis: curavi ipsum unica dosi antimonii mei, ad grana quatuor porrecti, & in aqua cinnamomi, una cum aqua absynthii permixti, duabus horis à potione vomuit multos lumbricos: deinde

usus

usus est per tres dies spiritu malorum auratiorum, in aqua absynthii, & perfectè curatus est.

Curatio nonagesima tertia, Luis venereæ in infantulo anno uno nato.

ANno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, apud Castrinovidarenses viguit & grassata est lues illa, propter militum turmas quæ per totum ferè annum Castrinovidarii deguerunt & hybernarunt, ideoq; ex contagione multi infecti sunt, & præcipuè infantuli lac sugentes impurum, & hac lue contaminatum: curavi ego multos, & præcipuè infantulum unum, anno unico natum, sola frequenti dosi sæpius iterata per duos menses mercurii dulcis: hic mercurius paratur sequenti methodo. ℞. Mercurii optimè loti ℥ij. auri optimi ʒj. limetur subtilissimè aurum, aut in tenues bracteolas diducatur, & amalgametur cum mercurio loto: deinde recipe sublimati vulgaris ℥ ij misceantur & incorporentur simul in mortario marmoreo, agitando simul, donec perfectè uniantur: ponantur deinde in ovo physico optimè clauso, ad sublimandum: pulvis albus tenuis, ut farina, summum capitis ovi petens reiiciendus, medius verò albicans, & scintillans, rutilansque custodiendus est, & ter sublimandus, & in singulis sublimationibus ab illa farina fatua, seu pulvere tenui superiùs dicto, vindicandus; quia venenosus est: hic mercurius verè dulcis est, luisque venereæ summum antidotum; purgat solùm inferiùs, & nulla molestia: hujus mercurii frequenti usu puerulos curavi multos, qui ulceribus venereis à capite usque ad pedes, toti scatebant.

Curatio nonagesima quarta, Veneni incantamento sumpti.

CIrca annum 1615. in montibus Pyrenæis, fuit nobilis quædam mulier, quæ sagarum incantamento pomum acceperat venenatum, à cujus esu remansit mulier illa per tres annos integros tabida, summo cum dolore ventriculi, & nausea perpetua, absque tamen vomitu ullo: multos convocavit Medicos in consilium, tum Civitatis Tolosæ, tũ Monspelii, ut sanitatem amissam restituerent, sed in vanum omnia; tabidam, & hecticam in ultimo gradu judicabant omnes. Advenit tandem ut saga illa, à qua pomum venenatum acceperat, mortis supplicio adjudicata fuerit, variis convicta criminibus, palamque fassa est se prædictam Dominam, & honestam mulierem pomo venenato, à Dæmone sibi tradito, in incurabilem morbum perduxisse, nî summus Deus opem ferret. Itaque post mortem sagæ illius, & notitiam sui mali vocavit me, historiamque narravit, dixitque mihi se semper in ventriculo sentire motus varios, & diversos animalium quorundam morsusque eorundem. Miseram hanc ægrotãtem benignissimis ego refocillavi verbis, animumque titubantem, & de sanitate despondentem ad quandam spem salutis voto Virgini Mariæ facto reduxi: consuluimus deinde, ut se Sacramentis Ecclesiæ Romanæ muniret, divino puta Eucharistiæ cibo: deinde dedimus medicamenta chymica sequentia, dissoluimus salem nostrum vitrioli in aqua salviæ & potandum dedimus, summo manè; à cujus sumptione post duas horas vomuit nigra multa cum vero sabulo nigro, & tandem vomuit ranam vivam squamosam, maxima cum difficultate, & deliquio animi: sequenti die iterata dosi ejus-

ejusdem salis vitrioli, vomuit eadem nigrà & sabulosa, & tandem summa cum difficultate, & animi deliquio, & virium prostratione summà vomuit serpentem squamosum parvulum, & crocodilum parvulum, magnitudine digiti & longitudine palmi: refocillata fuit potione aquæ cinnamomi, & potione aquæ theriacalis: & postquam vires collegit, à dolore ventriculi, & morsu se sublevatam esse dixit, & in dies deinde melius se habuit, & sanitatē recuperavit pristinam, habitumque tabidum reliquit, recuperato vivido & florido corporis colore.

Curatio nonagesima quinta, Febris quotidiana.

DOmina de la Roquette, uxor Domini de Megrin, incidit in febrem quotidianam, qua detenta fuit & afflicta per tres menses continuos: deinde hepate frigefacto in tumorem œdematosum pedum incidit, anno 1627. circa mensem Decembrem curata fuit à febre illa, & à tumore, unica dosi antimonii mei; nihilominus tamen curari non potuit unquam à medico suo clinico, quamplurimis adhibitis remediis per tres illos menses, at irrita fuerunt omnia, donec antimonium sanitatem restitueret absolutam.

Curatio nonagesima sexta, Fistula.

FIlius Petri de Planti annos natus quatuor passus est per duos annos integros fistulam in femore dextro: tractatus fuit à chirurgo per sex menses, omni arte adhibita, at in vanum omnia tentata sunt, curavi ego tandem ipsum sequenti methodo. Imprimis purgavi ipsum antimonio meo, ut causas antecedentes tollerem; postquam autem ter aut quater purgatus fuit, fistulam aperuimus scal-

pello chirurgico, ut fundum ejus, & basim videremus, eamque apertam oleo mercurii tetigimus & balsamo hypericonis & sulphuris ad cicatricem laudatam conduximus, & sic perfectè curatus est.

Curatio nonagesima septima, Scrofularum.

PEtrus de Fontes, parvulus puer annos natus 8. miser & pauper ex nativitate sua & origine scrofulosus, curatus fuit hisce medicamentis: imprimis per tres dies purgavimus ipsum nostro antimonio datis granis decem singulis illis tribus diebus: deinde apposuimus collo, ubi erant scrofulæ ulceratæ nonnullæ, aliæ tantùm non ulceratæ, emplastrum magneticum Paracelsi, quod recipit auripigmenti & arcenici, ana ℥ j. sulphuris tantumdem & antimonii etiam unciam alteram: tritis omnibus & bene permixtis, in phialaque vitrea positis, & ad ignem liquatis per horam integram, fit inde massa nigra pellucida, quæ magnes est arcenicalis; hujus triti optimè sumitur uncia unica, & permiscetur emplastro de sulphure, & fit emplastrum mirum ad eradicandas absque dolore scrofulas, intra quadraginta dies. Hoc emplastro usus sum ad eradicandas has scrofulas, postquam chystes omnes eradicavimus: balsamo deinde sulphuris usi sulphuris & sæpiùs purgavimus ipsum antimonio nostro, & sic perfectè curavimus ipsum intra tres menses.

Curatio nonagesima octava, Tumoris scirrhosi.

DOminus d'Annete circa annum 1626. in mense Decembri incidit in defluxionem ad cerebri emun-

emunctorium dextrum, ibique factus est tumor durus, indolens & magnus. Vocatus in ipso morbi initio, præcepi ut sanguinem funderet ex basilica brachii dextri ad quantitatem ℥ vij. Deinde purgavi ter antimonio meo, & emplastrum sulphuris apposui tumori, & pedetentim sic evanuit per insensibilem transpirationem.

Curatio nonagesima nona, Erysipelatis.

PLures quàm decem anno 1627. curavimus hoc affectu detentos sequenti methodo. Mittebamus sanguinem ex basilica, ad quantitatem viribus ægrotantium correspondentem: deinde parti affectæ applicabamus butyrum saturni, & julapia præscribebamus ex aqua rosacea & syrupo violaceo recenti, cum guttulis nonnullis olei vitrioli, & sic perfectè curati sunt omnes.

Curatio Centesima, & ultima hujus Centuriæ, febris Malignæ.

DOminus de la Ville, anteambulo Curiæ nostræ civitatis incidit anno 1627. mense Martio in febrem malignam gravissimis concomitatam symptomatis; erant enim maculæ rubeæ per totum corpus, sopor grandis, membrorum omnium dolor profundus, & acutissimus in sinistro latere, cum quadam expuitione biliosa, inquietudines summæ, & lentus alvi fluxus, cum gravissima febre: curavimus ipsum sequenti methodo. Imprimis ejecto enemate emollienti, & refrigeranti misimus sanguinem tertio & quinto die ad quantitatem unciarum octo singulis vicibus: deinde usi sumus julapiis Alexandrinis oleo vitrioli alteratis, cum spiritu

limonum; demum appropinquante die ſeptimo antimonium ſudorificum noſtrum, quod unicornu minerale & bezoart nominamus dedimus, ad quantitatem granorum quindecim cum ſyrupo limonum aqua cinnamomi, & die ſeptimo oborto copioſo ſudore perfectè curatus fuit, & ab omni febre liber die nono.

Concluſio Centuriæ.

DEdiſſem Centurias nonnullas alias ægrotorum, qui omnes fuerunt curati medicamentis chymicis, ad laudem & gloriam chymicæ artis nî certo certius ſcirem hanc ſolam Centuriam ſufficere, ad tremulos animos & eos omnes qui timent ſanitatem ſuam Chymicis committere refocillandos, & omnino confirmandos, ne amplius timeant: imò confidentius hauriant pocula chymica, ut pote ſalubriora,& palato gratioſiora. Valete igitur amici Lectores, ſpero me brevi daturum in gratiam veſtrûm, Theologiam chymicam, in qua & ſanitas, tum corporis, tum animæ ipſius, chymia duce poterit haberi: faveat operi divinum auxilium, & vos plaudite.

F I N I S.

IN-

INDEX CAPITUM QUÆ IN HISCE NOVEM LIBRIS MYROTHECII CHYMICI continentur.

Liber primus sequentia tractat Capita, & prior numerus Caput: posterior paginam enunciabit.

Gal-

LIBER SECUNDUS.

Cen-

LIBER TERTIUS.

Vene-

LIBER QUARTUS.

LIBER QUINTUS.

LIBER SEXTUS.

Papa-

LIBER SEPTIMUS.

LIBER OCTAVUS.

LIB.

LIBER NONUS ET ULTIMUS.

INDEX RERUM NOTABILIUM, ET CURATIONUM INSIGNIUM.

A

Ar-

alte-

Epile-

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

Nucis

Salis

FINIS.

CHIRURGIA SPAGYRICA

PETRI JOANNIS FABRI
DOCTORIS MEDICI
Monſpelienſis.

IN QVA DE MORBIS cutaneis omnibus Spagyricè & Methodicè agitur, & curatio eorum cita, tuta, & iucunda tractatur.



ARGENTORATI

Sumptibus Heredum LAZARI ZETZNERI.

ANNO M. DC. XXXII.

DOMINO DOM.

DE BUET,

D. DELBERNET, ET IN SUPREMA TOLOSATUM curia, Senatori Clarissimo & integerrimo.

CHymico - Chirurgicum opus, sacro divinæ Themidis Antistiti, adversùs hujusce temporis Zoïlorum impetus, tuendum offerre, non solùm hujus operis tenuitas, & imbecillitas; at etiam ratio ipsa, & decor, clarè admodum dictant, absonum esse, & incongruum. Nefas enim est, tantum virum, à sacris justitiæ exercitiis avertere, quibus adeò totus, totis datur & occupatur, ut momenta temporis maximo sint pretio: veri tamen legitimique (ut me decet) decoris ne sim oblitus, & æqui verique penitus immemor, humanitatem immensæ literaturæ indissolubili vinculo conglutinatam, qua il-

lum præstare præ cæteris prædicant omnes, ſupplicem habere cogar, ut hoc παράδοξον, tanquam veri ſimillimum; ne dicam ἔνδοξον, defendere mihi concedatur: Chirurgiam juſtitiam veram eſſe: hæc enim cùm ſit conſtans perpetuaque voluntas, jus ſuum cuique tribuendi, compeſcendique violentos, & præter gentium leges, concitatos humani animi motus & impetus, extra lances æqui bonique libratos. Illa verò intemperatas naturæ humanæ conſtitutiones, ſoluta unitate confuſas, in temperatam erigere conſonantiam & harmoniam nata ſit: jure merito videtur Chirurgiam juſtitiæ quandam ſpeciem eſſe, ſolutam enim reſtituit partium unitatem, vitali nectare quo vivunt hac ſolutione defraudatam, tanquam jus peculiare & naturale, partibus omnibus natum. Quod enim exterius hominibus jus & commodum dici poteſt, vitæ balſamum vivificumque nectar, quo vivimus & conſervamur, meliori titulo jus noſtrum, verum & legitimum dici poterit, Chirurgiamq; juſtitiam veram eſſe, cùm deperditum illud balſamum tanquam jus noſtrum verum & legitimum nobis reſtituat, libratis æqualiter ſecundum naturæ leges & artis, cuiuscunque partis, corporis noſtri menſuris & ponderibus. Non ergo diſſonum erit, SENATOR CLARISSIME ET

INTE-

INTEGERRIME, Chirurgicam hanc justitiam, sacro tuæ Themidis templo recondere, ut ab invidorum lividis unguibus defendatur: quamplurimi enim eorum turmatim in hanc ad vituperandum insurgent, at concitato aëri simillimus, quæ me excitabunt ea ipsa frangam & disperdam, tuo potissimum clypeo tectus, victoriæque istius spolia, ampla quidem, memoriæ perpetuæ templi tholis appendam, in laudem & gloriam nominis tui, teque Theseum verè meum, & Herculem, hîc & ubique terrarum proclamabo. Vale. Pridie Calendas Aprilis, anni M. DC. XXVI.

Tuæ H. M. Q. Devotus
PETRUS JOANNES FABER
Medicus Philochymicus.

PRÆFATIO IN CHIRURGIAM SPAGYRICAM.

Chirurgia est pars Medicinæ adeò nobilis & præstans ut antecellat omnibus aliis ejusdem Medicinæ partibus, honoremq; & titulum sibi vendicet, primam inventam fuisse, primamque corpori humano opem tulisse. Nam quos primos medicos celebrat antiquitas, Chirurgos fuisse clarum est; Chiron, Podalirius & Machaon, divini Aesculapii soboles, Chirurgi potius fuêre, aut Chirurgiam exercuêre artem, quàm aliam Medicinæ nostræ partem, ut videre est passim apud Homerum, qui carminibus eos Chirurgos insignes celebrat & decantat, vulnera Græcorum in Iliaco bello methodicè & dogmaticè curantes. Ratio etiam postulat, hanc Medicinæ partem primò inventam fuisse, humanoque corpori salubres & auxiliares intulisse manus, quòd morbos quos ipsa tractat manifestos prius fuisse, & intellectui humano prius patefactos & cognitos fuisse, aliis omnibus internis affectibus, quos tractat Diætetica & Pharmaceutica medicina, qui solo intellectu comprehenduntur. Alii verò quos Chirurgia tractat, sensi-

Antiquitas Chirurgiæ.

Chirurgia quare prius inventa.

ſenſibus externis percipiuntur, unde neceſsitas ipſa, coegit ipſos homines indagare prius medelam cutaneorum affectuum tanquam palpabilium. quàm inviſibilium, & ratione ſola, & mentis vi comprehenſorum, in quorum cognitione conjecturis certis ſemper utendum eſt, quibus tanquam fallibilibus ipſa ars noſtra, à Zoilis vituperatur & contemnitur. At Chirurgia nullis huice conjecturis ambiguisque ſubjectis intricatur, quia ea omnia quæ tractat viſibilia ſunt & palpabilia, ea etiam viſibiliter curat & ſanat, ideò mirabilis eſt ejus theoria & practica. A quibus partibus miram definitionem eliciunt Medici Spagyrici his verbis: Chirurgia eſt ſcientia qua cognoſcitur balſamum internum naturale corporis humani, quo partes omnes ac ſingulæ conſervantur, nutriuntur, & fovẽtur, quo cognito, docet applicationẽ externam alterius balſami illi ſimilis & homogenei, ad curationem omnium cutaneorum affectuũ qui ulceribus, tumoribus, vulneribus, fractionibus & luxationibus comprehenduntur: hæc definitio dogmaticas excellit definitiones, quòd in ea lateat arcanum certum & verum curandi omnes affectus cutaneos, & verum ſubjectum totius Chirurgiæ circa quod verſatur, quapropter anteponenda eſt omnibus aliis, & Chirurgia Spagyrica ſummoperè indaganda, tanquam Chirurgorum omnium decus & honor, & ægrorum vera

ſalus & tuta. Inſurget Zoilus? me Hippocratiſum & Galenicum Medicum non debere tot laudibus & encomiis hanc novam docendi methodum extollere, quæ cùm nova ſit, erroribus plenam eſſe non diffidendum, cùm certum ſit, Hippocratem ſcientiæ patrem, & Galenum Medicinæ coryphæum non approbaſſe ullo pacto hanc ſcientiam, cùm de ea nullam mentionem fecerint, & idcircò futilem & inanem eam exiſtimaſſe credendum eſt: me autem prudentiorem & intellectu acutiorem Hippocrate & Galeno exiſtimare vanitatis & gloriæ ſummum eſſe ſymbolum. Reſpondeo hanc ſcientiam quæ Spagyrica dicitur, & quæ Medicinæ famulatur & arcana infinita ſubminiſtrat, novam minimè eſſe, ſed antiquiſſimam, Hermete ejus Profeſſore teſtante, & Democrito qui tempore florebat Hippocratis. Quòd ſi Hippocrates & Galenus hanc non noverint ſcientiam, hoc eſt quòd in Aegypto nunquam peregrinarint, in qua ſola terræ parte vigebat, tunc temporis ſcientia Spagyrica, & apud Aegyptios in arcanis & ſecretis erat, & cabaliſticè tantùm amicis & filiis demonſtrabatur. Adde etiam quòd hæc ſcientia rationibus perquàm maximis & experientiis abundet & veritate, veritatem potiùs, & rationem ſequar quàm authoritatem & fidem alicujus authoris, dictante Hippocrate & Galeno infinitis fere locis,

veri-

veritatem & naturam in physicis esse sequendam. Quapropter si Spagyricam artem sequar, & palàm argumentis defendam, hoc est, quod in ea veritas & ratio elucescat quibus tueri meretur, non contemptâ ullo pacto Galenicâ & Hippocraticâ doctrinâ, quibus junctis Medicus sit admirandus.

SECTIO I.

DE TUMORIBUS CONTRA NATURAM.

QUID SIT TUMOR APUD *Spagyricos Medicos.*

CAPUT I.

APud Spagyricos Chirurgos tumor præter naturam in corpore natus dicitur: materialis intemperies balſami naturalis, quod corruptione primordialium ſuarum ſubſtantiarum ſalis, ſulphuris & mercurii, diſſolvit unionem partium: & vitiat earum debitam magnitudinem, figuram & naturalem ſitum: hæc definitio ſecum continet quidquid eſt neceſſarium ad cognitionem tumoris præter naturam & curam illius, & indicat neceſſariam fore cognitionem balſami naturalis omni Chirurgo qui laudem, & honorem in arte ſua quæritat; ideò antequam de tumoribus verba faciamus, balſamum illud naturale corporis noſtri pabulum & fotum, inveſtigabimus, & notum faciemus.

CAPUT II.

Balſamum naturale quid ſit.

Balſamum naturale quid ſit.

QUod Chymici Philoſophi balſamum naturale dictitant, Hippocrates, Galenus, & alii Medici omnes ejuſdem ſectæ, humidum radicale appellant partium proximum alimentum, humorem vitæ, ſub-

ſubſtantiam vitalem, & aliis fere infinitis nominibus utuntur, ut his, virtutes, proprietates, & energias illius ſubſtantiæ indicare valeant, Chymici præterea communi illorum idiomate Mercurium vitæ illam ſubſtantiam vocant, quòd humorem omnem qui ſecum continet vitæ ſpiritum incluſum, mercurium dictitant, & quia balſamum iſtud naturale quod & aliud humidum radicale dicitur, turgeat ſpiritu vitæ, ideò jure merito mercurius dicitur: hæc nomina humidum radicale, ſubſtantia vitalis, humor vitæ, balſamum naturale & alia ſimilia, non habent tantam ſignificandi energiam neque poſſunt oſtendere virtutes & proprietates iſtius ſubſtantiæ tam efficaciter, & energiticôs quàm vocabulum iſtud (Mercurius) quia cum Mercurius planeta cœleſtis ſoli cōnectitur, eſt Sol, cum verò Lunæ copulatur eſt Luna, cum Jovi Jupiter, & ſic de reliquis, cum communis ſit omnibus & habeat eaſdem ferè virtutes & proprietates planetarum quibus connectitur; ſic pariter humor iſte vitæ, quæ cœlum & elementa conſtituunt, ad generationem & conſervationem rerum omnium, mercurius dicitur ob ſympathiam quam habet cum mercurio cœleſti: dum enim carni annectitur caro fit, dum oſſi, os generatur, & ſic de reliquis corporis noſtri partibus, in quas per alimentum transformatur, habens virtutes & proprieates eaſdem, cum partibus quibus connectitur ad conſervationem earum & nutritionem: Et quemadmodum fabuloſa & myſterioſa antiquitas mercurium deorum nuncium eſſe teſtatur, Jovíſque filium & Alumnum: Pari ratione mercurius noſter, eſt elementorum nuncius: mixtiones eorum & uniones ſua compage conſtituens, filius eſt Jovis, hoc eſt, Dei veri verus eſt filius, &

vera

vera creatura, ex qua omnia quæ extant in rerum natura per creationem in inſtanti facta fuerunt, hinc fit quod humor iſte vitæ, ſeu mercurius in omnibus rebus reperiatur, & in cœlo præcipuè, ex quo in terras deſcendit influentiarum radiorumque cœleſtium ope, & miſcetur præcipuè aëri quo animalia, vegetantia & mineralia opus habent ad converſationem & generationem ipſorum, quod in aëre latitet plus ſpiritus vitæ, quàm in reliquis aliis omnibus elementis. Antiqui præterea poëtæ mercurium cœli & diei filium fecerunt, mercurius itidem noſter ſubſtantia vitalis, & quod balſamum naturale dicimus, nonne filius eſt cœli & Dei, cum indeſinenti fluxu à cœlo deſcendat in elementa, & cum humiditas quæ reperitur in circumferentia mediæ regionis ſecum rapiat & concludat illam vim vitæ, ſoléque ſurgente, & aurora radiante, humiditas illa ſpiritu vitæ impregnata in rorem deſcendat ſuper terram ad alimentum & conſervationem & generationem omnium rerum. Cœlum hanc vim vitæ ſpiritualiter ex ſe ipſo elicit, elicitamque in aëris humiditatem immittit, quæ aurora ſurgente & ſole, cadit in terram beneficio roris, hinc percipimus oculitus antiquos omnes Philoſophos multa cum ratione & profunda rerum ſpeculatione has myſteriorum naturæ fabulas excogitaſſe, eaque ſic occultaſſe rerum myſteria: colligimus etiam Medicos chymicos ſubſtantiam vitalem & humidum radicale, rectiſſimè & optime Mercurium vocaſſe, quod eo ſolo nomine, occultáque ſua hiſtoria proprietates omnes & virtutes illius ſubſtantiæ percipi queant, ut definitionem ipſam ipſius ſubſtantiæ valeamus colligere: Quam definitionem ſic conſtrueremus, Mercurius eſt ſpiritus vitæ quem Deus creavit ad fabricationem mundi & conſervationem. Aut, Mercurius eſt quinta eſſentia omnium elemen-

Definitiones Mercurii.

elementorum ſpiritu cœleſti impręgnata ad generationem & conſervationem rerum omnium. Aut, Mercurius eſt humidum radicale totius mundi, ex quo omnia fiunt, nutriuntur, foventur & conſervantur. Aut ſi ad ſolum hominem definitionem illius accommodare velimus, Mercurius erit ſubſtantia proxima, ex qua immediate partes corporis humani fiunt, nutriuntur & conſervantur in ſtatu naturali.

CAPUT III.

Ex quibus ſubſtantiis balſamum naturale ſeu Mercurius vitæ componatur.

Compoſitio rerũ omnium ex quibus fiat.

MEDICI Spagyrici conſtituunt, compoſitionem rerum omnium immediatè fieri ex tribus diverſis ſubſtantiis, quas vocant, ſal, ſulphur, & mercurium. Dixi immediatè, quod Chymici non negent, & improbent mixtionem rerum omnium mediatam ex quatuor elementis, hanc autem admittunt compoſitionem, ex ſulphure, ſale, & mercurio, non diſpari ratione, ac Medici Hippocratici compoſitionem admittunt, corporis humani, ex ſanguine, pituita & utraque bile, Medicos Chymicos hac in re ſentio, & judico ſubtiliores, in rerum cognitione, quam alios, quia manifeſtum eſt, & omnibus apparet, in ſanguinea maſſa mercurium, ſalem, & ſulphur latitare. Mercurius apparet clariſſimè, cum ſit humor vitæ, ex quo vivimus, hunc autem humorem fatentur omnes Medici, in ſanguinea maſſa latitare, ſub alio tamen nomine, humidi nempe radicalis: ſal autem apparet in urina, in ſudoribus, in ſaliva, in quibus omnibus maximè turget, & verum ſal ſolutum eſt, in eorum ſubſtantiis. Sulphur verò manifeſtum apparet in Axungiis, & pinguedinibus, quæ in corpori-

Mercurius vitæ in quibus reperiatur humoribus.

bus

bus nostris reperiuntur,& in meteoris igneis,quæ ex corpore humano, & aliis animalibus, equis, & canibus,eliciuntur, qui bene curata cute, solo frictu igneos radios, & flammas incomburentes emittunt, quod nunquam posset fieri, nisi actu & verè esset in eorum corporibus sulphur inflammabile, & combustibile, cujus subtiliores & tenuiores partes tamquam flores, circa cutem animalium efflorescunt, ibique solo frictu excalefacti, in flammas abeunt, & sic manifestæ sunt hæ substantiæ sal, sulphur, & mercurius, in massa sanguinea, in qua mercurius omnibus aliis prænitet,&præcellit,cum sit ut diximus humor vitæ ex quo partes omnes nutriuntur,& conservantur. At insurget aliquis? Estne possibile ut mercurius componatur mercurio, & seipso constet? ita est veluti humidum radicale componitur humido. Nam Chymici omnem substantiam aqueam mercurium dictitant, & sulphur omne humidum ignibile, & sal omne humidum quod frigido & humido dissolvitur, & calido & sicco congelatur. Facile jam est asserere hanc ternam chymicorum in substantiis omnibus compositionem, cum oculitus & manifestè reperiantur hæ substantiæ in mixtis omnibus, & cum natura sagax & prudens, chymicus omnibus quotidie per experientiam, circa separationem harum substantiarum prædicta ostendat, ut separet purum ab impuro, & vindicet humidum radicale & balsamum naturale ab omnibus rebus heterogeneis. Nam illæ substantiæ quæ separantur ab humido mixti,non sunt similes in qualitate his substantiis quæ remanent; nam hæ sunt acres & mordaces, aliæ verò quæ remanent, ut partibus sint alimento, dulces sunt, nec differunt inter se essentialiter in compositione humidi radicalis. Etsi hanc compositionem ternam admittam & approbem, non pro-

Mercurius sulphur & sal generaliter dicũtur.

propterea medicorum Galenicorum compositionem ex sanguine, pituita, bile, & melancholia improbare volo, at summopere probo, & tamquam excogitatu miram & doctam laudo. Attamen in illa ipsa compositione sanguinea pituitosa, biliosa, & melancholica, & in illa massa sanguinea ut ajunt, reperio meam ipsam, & chymicorum compositionem, ex sulphure, sale, & mercurio. Quamobrem ne in cognitione naturæ (quæ cum sit una, varias scientias & cognitiones veras producere non potest) Medicos chymicos & Galenicos contrarios faciamus, dicemus compositionem balsami naturalis, seu mercurii vitæ, quatuor constare humoribus, sanguine, pituita, & utraque bile, tamquam vehiculis harum substantiarum, mercurii scilicet, salis & sulphuris, quæ substantiæ laticant in massa sanguinea, non secus ac alii tres humores, pituita, bilis & melancholia in sanguine. In venis nihil est manifestum, nisi sanguis, reli qui humores occulti sunt, massam hanc sanguineam chymica ratione mercurii nomine insignire possumus, propter mercurium in eo abundantem, & turgentem: bilem verò, quæ reperitur separata in chyste fellis, dicere possumus mercurium sulphuris, corrupti & adusti, nam humidum calidum & dulce, forti coctione mutatur in amarum, & alium colorem suscipit. Pituitam vocare possumus mercurium spiritu vitæ privatum, ideò natura expellit illum, tamquam inutilem, & nimis aquosum: melancholiam verò dicimus, mercurium terrestrem & fœculentum & unico nomine tartarum quod chymici omne fœculentum, & scoriam tartarum dicant ad imitationem tartari vinosi, quod separatum dum spiritus vitæ vini, vinum ipsum depurat, & constat in doliis, fæcem & amarcam separando, & omne durum & terrestre excrementum, illud ipsum chymici tarta-

Sanguis quid sit apud Chymicos.

Bilis, quid sit apud eosdem.

Pituita, quid apud chymimicos

Melancholia quid?

tartatum dicunt, & ita non admodum contrarii videntur Medici Galenici, Chymicis.

Caput IV.
De differentia tumorum ex chymica doctrina.

Differentia tumorum secundũ chymicos.

Quemadmodum Medici Galenici tumorum differentias definiunt ex humorum corpus constituentium differentiis. Alios enim faciunt sanguineos tumores, pituitosos alios, melancholicos & biliosos, sic & Chymici pari ratione secundum substantias quas constituentes statuunt tumorum differentias desumere possunt. Nã phlegmonas simplices tumores sanguineos chymici appellant mercuriales tumores, quod his mercurius prædominetur, Erysipelata verò dicunt sulphureos tumores, quod humor igneus & sulphureus ibi excellat, & œdematosos tumores faciunt salitos & ex sale suo ortos, quod in phlegmate & pituitoso humore, sal chymicorum comprehendatur: & scyrrhosos humores tartareos dictitant, quia quod illis tartarum est, est fex, & amurca reliquorum humorum qui balsamum vitæ constituunt: hoc autem excrementum tartareum humori melancholico Galenicorum perquàm optime quadrat, nam ut humor melancholicus est excrementum massæ sanguineæ, sic humor tartareus est excrementum balsami naturalis.

Objectio an tartarus sit humor vitalis. Solutio.

Objiciet Zoilus, cum humor tartareus faciat & constituat scyrrhos, deberet etiam ingredi compositionem balsami naturalis nostri, quem tamen omisimus. Respondemus nullum excrementum tanquã rejectaneum inutile posse & debere compositionem balsami vitæ constituere. Attamen cum vitiatur, separatur, & incommodum malúmque vitæ adfert, potest

poteſt adnumerari malis reliquis & morbis. En jam quatuor ſimplices differentias tumorũ, quas chymici philoſophi & medici poſſunt deducere ex his quatuor ſimplicibus ſubſtantiis, ſale, ſulphure, mercurio, & tartaro. Quæ ſubſtantiæ cum invicem poſſint permiſceri, permixtæ faciũt etiam permixtas & compoſitas humorum doctrinas, non diſſimili ratione ac humores Galenicorum permixti permixtos conſtituunt humores: nam mercurialis ſulphureus tumor reſpõdet quadam ratione phlegmoni eryſipelatoſo Galenicorum, & tumor mercurialis ſalitus tumori phlegmoni pituitoſo quadrat, œdema verò ſcyrroſum reſpondet tumori ſalito tartareo chymicorum.

Cùm particularium & ſingulorum tumorum notas & capita perquiremus, eorum etiam differentias majori & longiori eloquio pertractabimus. Jã verò concludendo dicemus, omnes doctrinas tumorum ſive ſimplicium aut compoſitorum quæ à chymicis aut Galenicis Medicis poſſunt excogitari, in relatas differentias in præſenti capite poſſe reſolvi, quod clarius in capitulis ſubſequentibus Deo dante exponetur.

Cap. V.

De cauſis efficientibus tumorum omnium ex doctrina Chymica.

Medici Chymici admittunt, & concedunt, ut & Medici Galenici, internas & externas cauſas antecedentes & conſequentes, ad generationem tumorum, ad doctrinam faciliorem: etſi enim cauſas materiales cõjunctas admittant diverſas nomine & re, nihilominus tamen concedere neceſſe eſt alias ſimiles cauſas, quæ concurrunt ad generatio-

Cauſæ efficientes tumorũ.

nem tumorum. Alioqüin falſam ſuſtineremus doctrinam Hippocraticam quod abſit, nō enim Chymicam doctrinam ſuſtinemus & amplectimur,ut Hippocraticam abnegemus,ſed ſubtiliorem & acutiorē in arcanis naturæ indagandis Chymicū oſtendimus. Si tamen hæ doctrinæ diverſis loquantur terminis,non tamen contrariæ ſunt, quòd diverſitas terminorum conſiſtat tantum ſæpiſſime nomine non re, unde fundamentaliter & eſſentialiter conſentiunt & in eandem abeunt ſententiam, Sermo enim & loquendi facultas,non eſt ſcientia ipſa, ſed tantùm cortex & tegumentum,quo ſcientia involvitur. Homo veſtibus holoſericis tectus & ornatus, non differt eſſentialiter ab homine, attritis & vilibus tecto veſtimentis,ambo enim ſunt homines. Pari ratione ſe habent ſcientia Chymica, & ſcientia Galenica, ambæ docent naturæ centrum & naturæ purum, at una facilius quàm alia & verbis efficacioribus, ſed in his omnibus latitat ſcientiæ fundamentum unicum & ſolum quod ſummopere neceſſe eſt,ut ambæ ſint ſcientiæ, cum enim ſciētia unica ſit, fundamenta etiam & principia illius unica eſſe debent, quod Chymici obſervant & verè dogmatici ſunt ut & alii, & in præſenti capite hujus libri manifeſtum eſt,non eos contrariari medicis Galenicis quoad medicinæ fundamentū. Medici enim Hippocratici admittunt inter cauſas materiales conjunctas, omnes humores liquidos qui præter naturam fluunt in partem affectam, ibique intumeſcunt: Medici vero Chymici illum humorem fluentem in partes tumore affectas vocant balſamum naturale, mercurium vitæ, qui cum trinus ſit in eſſentia, conſtituit etiam tria genera tumorum quæ ex tribus ſubſtantiis materialibus conjunctis ortum habent, ex ſulphure ſcilicèt, ſale & mercurio,

Chymica & Galenica ſcient. a no diſcor dant.

Conferuntur ſcientia Galenica & Chymica.

curio, & quia hæ tres ſubſtantiæ excrementum fundunt, quod tartarus dicitur, admittunt aliam cauſam naturalem conjunctam per accidens, conſtituentem unum genus peculiare & particulare tumorum, & ſic quatuor cauſas agnoſcunt materiales conjunctas tumorum omnium. Ut & Medici Galenici qui humorem fluentem in partem materialem conjunctam cauſam tumorum omnium dicunt, & hæc cauſa cum quaternis conſtet humoribus, ſanguine, pituita & utraque bile, dividitur in quatuor cauſas materiales conjunctas tumorum, & ſic in re conveniunt, & quadrant hæ ſcientiæ, Chymica & Hippocratica, quamvis vocabulis diſcrepare videantur: humores Galenicorum admittunt Chymici; at in his latitare ſulphur, ſalé & mercurium, omnino contendunt, & humores Galenicorum eſſe vehicula harum noſtrarum ſubſtantiarum, tumores & morbos omnes conſtituentium, ex diverſitate corruptionis, & læſionis partium omnium, dum enim ſal, ſulphur, aut Mercurius corrumpuntur, aut alterantur, à cauſis præter naturam, liquores & humores, quibus coërcentur hæ ſubſtantiæ alterari & corrumpi etiam neceſſe eſt, ex qua corruptione & alteratione, in toto, aut in parte, ſequitur morbus.

Cap. VI.

De Temporibus tumorum ſecundum Chymicam doctrinam.

MEdici Spagyrici, præter quatuor Galenicorum Medicorum tempora, principium, augmentum, ſtatum, & declinationem, quæ in tumorum generatione conſtituunt, admittunt & alia tempora, quæ ab his aliqua ratione differunt, quæ tēpora

desumunt ex motu interni humoris,tumorem causantis, constituentes hac methodo, tempus peculiare definitum, & terminatum unicuique tumori, ut curetur,& desinat in bonam aut malam crisim, modò sciant, prædominantem humorem, & substantiam tumorem facientem,ex hac enim materia dependet tempus illud,in quo crisis fit tumoris. Ut enim peracuti morbi; quarto terminantur, acutissimi septimo,& acuti decimo quarto, sic & apud Chymicos,tumores singuli, statutas habent crises, & finita tempora suæ coctionis, quæ diversa sunt, ex diversitate tumorum: tempore enim longiori uni quàm alii finiuntur & terminantur tumores; Ignei siquidem,saliti,& sulphurei, puri, & simplices,quarto terminantur,vel in salutem,vel in mortem:Si verò mixti sint septimo,veluti est gangrena, carbunculus & Antrax. At mercuriales, saliti, & tartarei, nulla sulphuris portione dominantis permixti,longo tempore terminantur,& tardè percurrunt sua tempora, antequam maturentur; resolvantur,indurentur,aut putrescant, quibus modis, naturà tumores omnes ad laudatam crisim reducit. In hisce omnibus tartareis & salitis resolvendis,& ad crisim perducendis Chymici Medici constituunt tempora longissima; sæpissimè enim uni tribuitur annus integer; alteri verò quatuor, aliis septem,undecim nonnullis tribuũtur anni, quamplurimi verò nunquam resolvuntur; at indurati ægris commoriuntur, propter copiam tartarei humoris,spiritu salis coagulati; qui impedit coctionẽ & maturitatem tumorum omnium, & est sola indurationis eorum causa, Principium verò & fundamentum coctionis,& pepasmi in tumoribus, est spiritus vitæ; qui permiscetur balsami naturalis substantiis; quæ dum alterantur & immoderatio-

nem

nem patiuntur, tumores præter naturam in corpore constituunt, & hi tumores, qui plus illius vitalis spiritus habent, citius ad pepasmum perducuntur, qui verò minus, tardiùs etiam coquuntur. At verò hi, qui nullo vitali spiritu perfunduntur, ita indurantur, ut verè lapidescant in corpore, quod historiis confirmatur quamplurimis: vidi enim & ipse scyrrhos lapidosos, & nodos arthritidis lapides factos, & audivi, & legi apud optimos authores, fœtum ipsum in utero prægnantis mulieris, lapideum factum fuisse, & toto vitæ suæ tempore, hunc lapidem, pro fœtu in utero mulierem gestasse, quia cũ spiritu vitali, & balsamo privaretur, alterationem etiam subire non poterat, nec tempore legitimo, & à natura constituto ex utero excludi, & ideò commortua est mulier illa, cum tali fœtu, quæ tamen poterat liberari, à Chirurgo prudenti, abscisso utero, & abstracto tali lapideo fœtu. Pari etiam methodo, scyrrhi lapidosi debent tractari, à prudentibus Chirurgis, indurati enim à natura, arte nostra debent extrahi. Itaque tempora quæ Medici Spagyrici observant in generatione tumorum omniũ, sunt tempora, & limites coctionis, & pepasmi tumorum. Qui termini incerti semper reperiuntur, propter confusam & permixtam humorum substantiam, quæ tumores generat, quæ cum simplex, & pura nunquam reperiatur in tumoribus constituendis, ideò etiam terminus, & finis ultimus coctionis tumorum, nunquam certus & verus est.

Dixi rationem hujus rei in Palladio.

Tempus quale tumorũ.

Cap. VII.

Quid agendum in curatione tumorum omnium ex chymicis.

In principio tumorum quid agendũ.

IN principio tumorum omnium calidorum, mercurialium & sulphureorum, Spagyrici Medici solent,

ſolent,ut diſſolvere eos valeant & eorum accretionem impedire,ne in magnam molem extendantur, repercutione frigida & aſtringenti uti, purgato prius corpore, pilula unica mercurii, ſeu aquilæ chymicæ, vel pilula panchymagogi, ut humores, qui ſunt aliquando in motu & turgentes,& in partem tumore affectam defluentes, foras expellant, vel etiam prius miſſo ſanguine ad eundem ſcopum, & balſamum vitæ noſtræ refrigerant, detracto (una cum ſanguine) caloris febrilis foco, qui in omnibus præter naturam tumoribus, per ſympathiam in corde excandeſcit: hæc autem repercutio frigida & aſtringens fit,appoſitione aquæ diſtillatæ, ex vitriolo, vel alumine, calore leviſſimo balnei aquæ tepidæ, ne ſpiritus acres & mordaces vitrioli,& aluminis, calore fortiori exeant & aquam acriorem, quam poſtulat uſus repercutiendi, reddant;hæc verò aqua ex vitriolo & alumine diſtillata,ſubtilis admodum eſt,& penetrans interiora tumoris,eaque cum frigidiſſima ſit,temperat internũ tumoris calorem & ſic partẽ tumore affectam roborat, & ſpiritu ſalis, quo mediocriter abundat, impedit ne balſamum partis ſubitò corrumpatur & ſequatur intenſiones conjunctarum cauſarum; ſalis enim ſolus ſpiritus, eſt cauſa conſervationis rerum omnium, & dum ipſe integer manet, manet & mixtum integrum & à corruptione liberum; ſi verò corrumpatur, corrumpitur & mixtum. Itaque dum ſpiritus ſalis integer & incorruptus advenit alicui parti, ad corruptionem ruenti, tunc temporis ſpiritus illius partis roboratur ſimili ſpiritu, & impedit corruptionem balſami naturalis illius partis,propter vitales ſpiritus quibus turget, & abundat:Hinc Cabaliſtæ omnes Ægyptii & Arabes communi omniũ cõſenſu aſſeruerunt in ſale latere omnia

Quid impediat corruptionem in tumoribus.

omnia ſecreta, & vitæ conſervationē, & morborū omniū curationem, perfectionē actionū & facultatum animaliū, fertilitatem vegetantium, ſplendorē & radios lapidū pretioſorum, & rerum omniū vegetabilium animalium & mineralium perfectiones & proprietates, ab ſpiritu unico ſalis dependere: & in Chirurgia ſummum & tutum arcanum eſt, ad curandos omnes morbos cutaneos, quod modo optimè præparetur, eſt balſamū homogeneū & ſimile noſtro interiori quo vivimus, & conſervamur, cujus virtutes & miranda ſecreta detexi in Palladio Spagyrico, & præparationem docui in Myrothecio Spagyrico, capite undecimo libri tertii. At quia multi ſales ſunt, diverſi generis & proprietatis, diverſi etiam erunt, & multi ſpiritus eorundem ſaliū, diverſarum proprietatum nihilominus potentiſſimarum: Et qui extractionem alicujus illius ſpiritus perfectè ſciet, fixionem & dulcificationem, perveniet ad ſummum naturæ arcanum.

Scopus totius Chirurgicæ Chymicæ circa ſua eligenda medicamenta qualis ſit.

Scopus præcipuús totius Chirurgiæ therapeuticæ, eſt extractio ſalis humani, & ex eo puro & puto, purum elicere ſpiritum, & hunc denuo ſali ſuo fixo conjungere ut unum fiant inſeparabile, homogeneum & incorruptibile, qui Chirurgus gratias ſummas Deo poterit agere, tanquam habito medicamento divino, quod erit morborum omnium cutaneorum tuta, cita, & jucunda cura. Docui præparationem hujus medicamenti in primo libro mei Myrothecii Spagyrici, octavo capite, cum proprietatibus illius, uſu, & doſi, quo poteris uti intrepide & audacter ad curationem ulcerum & tumorum omniū in omni tempore, exterius & interius, quo habito alia floccipendenda ſunt. Attamen quia difficillimū paratu eſt, nec omnibus licet adire Corinthum, alia medicamenta docebimus paratu faciliora,

liora, quæ brevi tempore fiunt nullis fere expensis, & potentissimæ sunt virtutis, ut ostendamus Medicinam Chymicam abundare medicamentis omnis generis Vulcano præparatis, ad sublevamen & curam morborum.

In principio tumoris qualia medicamenta applicāda.

In principio ergo tumoris alicujus mercurialis, saliti, aut sulphurei poterit Chirurgus Chymicus uti aqua aluminis, & vitrioli cum pari quantitate aquæ jusquiami papaveris, lentis aquaticæ, quibus poterit imbuere & madefacere stupas, quibus superponetur albumem ovi in spumam agitatum spiritu tartareo irroratum, & hoc cataplasmate repercutere poterit calorem nativum partis tumorem patientis, & frænare intemperatos balsami interioris spiritus, ne ruant in corruptionem, at sensim dissolvant materiam fluentem & per poros invisibiliter expellant, ut sæpius visum est.

In augmento qualia applicari debeant medicamēta.

Si hoc cataplasmate tumor non dissolvatur, at magis accrescat & inflammetur, mutanda sunt remedia, & accipiendum est vitellum ovi, cui admiscebis parum spiritus therebentinæ, parum olei ceræ, & olei de lateribus, & hisce permixtis facies basilicon Chymicum, ad suppurationem tumorum calidorum aptum, in statu addes aliquid olei cariophyllorum aut cinnamomi, ad augendam coctionem & accelerandum pepasmum, & ad roborandum calorem naturalem partis. Suppuratum tumorem aperies scalpello Chirurgico, vel caustico potentiali, aut actuali: educto pure ulcus apertum tenendum est & detergendum ter in die, inductis penicillis oleo de lateribus, vel oleo myrrhæ, vel oleo ex vitellis ovorum, & injecto in ulcus per siphonem extracto aristologiæ rotundæ, quod fit ex spiritu vini infuso in radicem contusam aristologiæ, donec coloretur vini instar: spiritu deinde bal-

neo

neo mariæ abstracto, manet in fundo alembici tinctura Aristologiæ rotundæ, quæ dissolvenda est in aqua plantaginis, aut linguæ serpentis ad ulcera detergenda, & tumores omnes apertos detergendos.

In tumoribus frigidis quid agendum.

In tumoribus frigidis, quos vocant Chymici tartareos & salitos, qui respondent tumoribus à Galenicis scyrrhosis vocatis & œdematosis, purgato corpore & præparato medicamentis è Chymico fonte desumptis, ad antecedentes causas tollendas, sudorificis demum medicamentis iterum præparandum corpus, ut antimonio sudorifico, quod alii dicunt minerale bezoar, vel auro tonanti & sudorifico, aqua cinnamomi permixto, & deinde super tumorem unguentum hoc applicandum. ℞. olei gummi ammoniaci unciam unam, olei de lateribus unciam semis, petrolei dragmas tres, olei cariophyllorum ʒj. incorporentur omnia cum sapone nigro, & gummi caramnæ, & reducantur in unguenti consistentiam, quod erit potentissimum ad resolvendum tumorem tartareum & scyrrhosum tumori applicatum; ante tamen applicationem illius unguenti siccabis tumorem diu linteis duris, & perunges spiritu tartari: si ad suppurationem hac methodo deveniat, tractandum erit ulcus simili methodo, ac præcedentes tumores, si verò, post quindecim, aut viginti dies applicato unguento non suppuretur, ad indurationem & lapidificationem deveniendum est, frigidis, astringentibus applicatis, ut salepetra in aceto stillatitio dissoluta, & linteis imbutis tumor madefaciendus, dum autem optimè induruerit, ferro & igne tollendus est, & ulcus deinde communi methodo ad cicatricẽ perducendum est; cui operationi intensionis primæ vacandum est, ni evidentissime pateat Chirurgo,

 suppu-

ſuppurationis poſſibilitas, citius enim hac methodo curantur tales tumores, alias verò deſinunt in cancrum.

Caput VIII.

De flegmone & ejus cura ſecundum Chymicos.

Flegmon quid.

Flegmone apud Chymicos poteſt definiri: materialis intemperies balſami naturalis alicujus patris, quod corrumpitur in ſuo ſulphure & Mercurio lædens & vitians actiones naturales illius partis, & figuram ſitúmque naturalem. Aut aliter: eſt materialis intemperies Mercurii vitæ alicujus partis, qui exceſſu ſuo intemperato lædit actiones naturales, figuram ſitumque vitiando naturalem corruptione ſalis ſui & ſulphuris. Diverſa ſunt genera flegmonum quæ Spagyricè dividi poſſunt in ſimplex & compoſitum, & hæc genera, in aſtralia & conſtellata, venenata & maligna dividuntur. Aſtralia & conſtellata dicuntur quibus præter communem corruptionem balſami naturalis advenit peculiaris aliqua malignitas, & venenata qualitas ab aſtris dependens, ut bubonibus peſtilentibus, carbunculis, & flegmonoſis tumoribus variolarum & morbillorum, qui jure merito poſſunt deduci in numerum Mercurialium tumorum. Eſt enim hoc genus, ebullitio & excandeſcentia univerſalis balſami naturalis & Mercurii vitæ, de quo Deo dante peculiariter tractabimus in pathologia Chymica, quam brevi tempore in lucem dabimus: in præſentiarum verò hoc in capitulo agetur tantùm de flegmone communi, cujus cum duplex genus ſtatuerimus: ſimplex & compoſitum, utriuſque curam pertractabimus, una eademque methodo, aut ſaltem parum diſſimili, flegmone

Diviſio flegmonis.

enim

enim quamvis ſimplex non ſit; at aliis etiam ſubſtantiis, ſale puta & ſulphure æqualiter aut diverſimode prædominantibus & corruptis componatur, medicamenta tamen quæ inſerviunt corruptioni harum ſubſtantiarum, poſſunt & inſervire corruptioni Mercurialis ſubſtantiæ ſimpliciter dominantis, habenda tamen eſt cautela in refrigerantibus repercutientibus adhibendis, plus enim in compoſitis flegmonis (ubi ſulphur dominans corrumpitur) refrigerandum eſt, & repercutiendum, quàm in aliis. In ſalitis, ubi ſal dominatur plus ſuppurandum quàm refrigerandum, ne in tartareos tranſeant tumores, hac cautela adhibita, ſequens cura omnibus idonea erit. In primis laxata alvo emollienti & refrigeranti enemate, tundenda erit vena baſiliccha brachii oppoſiti humori, ut ſecundum arabes medicos, debita fiat revulſio, ad quantitatem virium, robori, ætati, conſuetudini, tempori & regioni convenientem, in ſenibus enim parum ſanguinis eſt mittendum, in juvenibus verò & adoleſcentibus, in majori quantitate licet mittere ſanguinem, laxata alvo, & miſſo ſanguine, ad purgationem deveniendum erit, ſi tumore affectus cachochymus ſit, & humoribus plenus malignis, & tumoribus obnoxius. Poterit autem purgari ſyrupo roſato ſolutivo Chymico, aut panchymagogo Chymico, aut antimonio præparato, ſequenti. ℞. Antimonii & Mercurii ſublimati an. æquales partes, ponantur in retorta & diſtillentur leviſſimo igne, aqua egreſſa rectificetur ter aut quater, donec glaciei candorem imitetur, nam ſtatim dũ ſentit aërem frigidum condenſatur in glaciem claram, & pellucidam, hanc glaciẽ accipe, in aquam fontis clari & pellucidi projice, donec tota glacies convertatur in pulverẽ albiſſimũ, & permiſceatur aquæ fontis, & fiant ambo brodium album, ſeu lac, huic adhuc

Cura flegmones.

adhuc adde, magnam quantitatem aquæ fontis, & id omne fiat in vitreo vase magno & amplo, ut ambo possint agitari, & deinde quiescere possint, ut in fundo subsideant feces albissimæ: Deinde per inclinationem aqua clara & limpida, quæ supernatat fecibus, à recipiente tollitur & aufertur, hæc prima aqua poterit servari in vasis vitreis ad dissolutionem corallorum, margaritarum, & similium, & ad ulcera venerea curanda, & scabiem omnem, fecibus verò quæ supersunt in fundo, superaddenda est aqua recentis fontis, & toties cum nova aqua recenti, lavandæ sunt feces & abluendæ, donec aqua, quæ superimponitur dulcis egrediatur, & acrimonia omni privetur, tunc temporis feces illæ albissimæ ponendæ sunt in crucibulo seu titillo testaceo, & in levissimo calore exsiccandæ, & servādæ, ad usus varios, ad purgandos humores quoscumque sursum & deorsum; absq; ullo periculo hypercatharsis, dosis hujus pulveris est quindecim grana ad summum; in pueris verò grana duo, aut unum sufficiunt.

Purgato corpore, & sic dogmatice præparato, deveniendum est ad partem affectam tumore correptam, quam in principio refrigerabis aliquantulum, ut calor naturalis, hac repercussione foveatur, occlusis poris, & collectis suis viribus & ad centrum detrusis, ut ipsemet calcinati operationum omnium author, vel ad resolutionem insensibilem tendat, vel ad suppurationem, quo cognito, sequendus est naturæ motus, si ad resolutionem insensibilem inclinetur continuandus est usus refrigerantium, & repercutientium, uti sunt butyrum saturni; aqua prima vitrioli, quam rorem nonnulli dicunt, vel aqua aluminis: Si verò ad suppurationem inclinet, parti applicanda sunt suppurantia medicamenta, qualia sunt oleum ceræ, oleum vitellorum ovorum, balsamum sulphuris,

ris, oleum ex lateribus, & galbani, vel ex his omnibus composita balsama, cum spiritu therebentinæ, cui dissoluta sit camphora, hæc omnia simplicia, vel composita medicamenta, possunt parti flegmone affectæ applicari, donec supuretur pars, quod brevissimo tempore fiet, aperto deinde tumore, continuenda sunt adhuc aliquandiu suppurantia dicta, deinde cum extracto Aristologiæ, rotundæ & aqua salis & mellis æqualiter mixtis, ad cicatricem deveniendum est, & callositas & durities, quæ relinquuntur, post curationem tollendæ sunt hoc solo litu sequenti. ℞. Aquæ rosarum ℔ i. salis communis vulgaris calcinati ℥ iij. mellis ℥ ij. extracti Aristologiæ ℥ iij. misce fiat litus, quo foveatur pars affecta donec dissolvantur callositates & durities flegmonum.

Quod verò pertinet ad curationem flegmonum malignarum & pestilentialium, tractatu de peste dicemus.

Caput IX.

De Carbunculo ex Chymicorum Doctrina.

Quod carbunculus aut Antrax dicitur apud Galenicos, apud Chymicos tumoris Realgarini nomine afficitur, quod tumores Mercuriales malignos & pestilentes adurantes & causticos, Realgare Mercurii ortum habere asserant, vocant autem Realgar, Mercurii excrementum terreum malignũ & acre, & mordax, quòd excrementum seu realgar, in omnibus constituunt elementis Spagyrici Medici, in omnibus quidem elementis, tum macrocosmi, & microcosmi, imò & in influxu ipsorũ astrorum realgar constituunt: nam malignum illud quod tempore pestis, ex astris dependet, Realgar astrale dicunt,

Realgar quid.

Real-

Realgar autem cujuſcumque elementi præter realgar terræ & aquæ inviſibile eſt, & ſolo conceptu mentis percipitur, niſi ab effectis terræ vero & aquæ, invenitur & palpabile eſt, & ut iſtud reperitur in macrocoſmo, quod eſt excrementum Mercurii ſalis & ſulphuris, ex quibus metalla fiunt, maligna qualitate & venenoſa præditum, ob imperfectionem & cruditatem ſuam, quodque applicatum partibus humanis adurit, veſicas excitat, & vitali ſpiritu privat, ſic pariter voluerunt Spagyrici Medici, in microcoſmo reperiri Realgar, quòd à facultate expultrice & ſeparatrice, ex tribus principiis ſuis electum & in partes exteriores corporis detruſam, ſcarram, veſicas, inflammationem, & partium mortem inducens id ipſum pari Realgaris nomine notarunt, tumoreſque corporis humani, in quibus hæc ſymptomata reperiuntur, tumores ex Realgare dixerunt. Et quatenus Mercurius macrocoſmi, ſeu vitalis humidi ſubſtantia ſuum Realgar habet: eatenus etiam voluerunt Chymici, vivifici nectaris ſubſtantia quæ microcoſmum conſtituit, ſuum habere Realgar, quòd ſimilia in microcoſmo ageret, habét enim ambo, macrocoſmus & microcoſmus inter ſe, ſimile ſymbolum, nihil in uno poteſt reperiri, quin & in altero potentia & virtute reperiatur, itaque cum in microcoſmo reperiantur Antraces & carbunculi, qui ſua maligna qualitate, ſuperiora ſymptomata excitent, ex Realgare humani corporis ortum habere dixerunt, & ſimilibus verbis, definitionem horum tumorum complexi ſunt.

Carbunculus quid.

Carbunculus ſeu Antrax nihil aliud eſt, quàm tumor factus ex Realgare Mercurii humani corporis, quod virtute excretricis facultatis, in partes ignobiles detruditur ſolutionem continui excitans ſua fluxione, cum rubore maximo, livido, nigro, calore, duri-

duritie, seu callositate & dolore, & scarra & vesica, quæ omnia symptomata comitantur assiduè hos tumores. Realgar enim illud tumorem excitans, corrumpit partem in quam detruditur, & in alienam naturam convertit, unde solutio continui, & reliqua sequuntur symptomata. Antrax & carbunculus ex se non differunt, nisi secundum magis & minus: Antrax enim dicitur, dum scarram nigram excitat, unde antrax, quòd satius carbo dicatur, & scarra nigra seu caro combusta similitudinem carbonis habeat, Antrax græcè dicitur, carbunculus verò dicitur, quod suo rubore & inflammatione ingenti, rutilantis carbonis & prunæ imaginem repræsentet, vel lapidis pretiosi, carbunculi dicti, nitorem & splendorem rubrini imitetur.

Dolor est maximus in hisce tumoribus, durities, & callositas, quod in Realgare tumores hos constituente, reperiatur sal, maxime causticum & adurens, quòd pungit, vellicat & lancinat partem affectam. Durities verò & callositas, ab eodem sale dependent, quod coagulat & constringit partes Mercurii & sulphuris, quæ una cum sale in partem affectam fluxerunt, crises seu termini, quo terminantur & finiunt, vel in mortem, vel in salutem, hi tumores, sunt septimus, decimus, quartus, aut vigesimus primus dies, in quibus solent terminari, & suum omne virus exercere, eo communicato cordi per arterias, quæ in partem affectam desinunt, periculum consistit in quantitate Realgaris, nam si copiosum sit adeò ut non possit vinci & domari, à calore naturali, tunc temporis conclamatum est, de salute ægrotantis, si verò minimum sit in quantitate, ità ut facilè vincatur, vacat omni periculo: id autem cognoscitur brevitate & tarditate temporis, quo pars affecta symptomatis variis afficitur, nam si in brevissimo tempore gra-

graviſſima appareant ſymptomata, ſuſpicandum eſt, magnum eſſe & copioſum Realgar, ſi verò tarde & lente ſymptomata naſcantur, minimum arguunt Realgar, & proinde in tuto eſſe ægrotantis ſalutem, quod tamen non eſt negligendum, nam ſi optimis remediis, intus & extra aſſumptis, & admotis non curetur affectus, creſcit virus ipſius Realgaris, & ex benigno fit malignus & periculo plenus Antrax, quod tamen ſequenti methodo Deo dante, evitare poſſumus.

Cura carbunculi. Si febris adſit ingens, & ægrotantis vires, temporis conſtitutio, ætas, & reliqua ferant, mittendus eſt ſanguis ex parte oppoſita parti antraci affectæ, & illico ſuccurendum eſt cordi, alexiteriis medicamentis, nec ullatenus purgandum ullo medicamento quamvis benigniſſimo, quòd virus ad centrũ retraheretur. Alexiteria autem quibus opem afferre valemus, ſunt quàmplurima apud Chymicos, eáque potentiſſima & efficaciſſima, inter quæ ſunt momia vitæ, quæ eſt ſanguis florentis & benè valentis hominis, lento calore exſiccatus ſpiritu limonum & acido vitrioli liquore imprægnatus, & in trochiſcos cum pauca myrrha paratus, doſis hujus medicamenti eſt dragma ſemis, in aqua cinnamomi, ſummo mane jejuno ſtomacho.

Eſt etiam ſummum alexiterium medicamentum, ſpiritus ſalis communis, ſi auri calcinati aliqua portio in eo ſolvatur, oleum etiam acidum vitrioli, ter aut quater rectificatum, & à ſuo phegmate privatum, tinctura auri imprægnatum, ſummum eſt medicamentum, ad cor tuendum contra vim peſtilentis carbunculi: aqua theriacalis, ſuccus limonum coctus & à ſuo phlegmate vindicatus & in mivam, (ut aſſolet fieri in Cydoniis) redactus, antimonium ſudorificum, Mercurius ſudorificus, aurum tonans, aurum pota-

potabile,& auri tinctura, & corallium & margaritæ solutæ in spiritu salis,summa sunt medicamenta alexiteria, quibus venenum omne, & pestilentem auram è corpore fugare possumus, & irritam facere,sumuntur in jusculis assuetis, aut in aqua communi potabili,aut syrupis cardiacis, & acidis.

Postquam remedia ad internas partes attuleris, deveniendum statim ad externas, & præcipuè ad partem affectam, quæ statim multis scarificationibus parvis vellicanda est,ut citius foras venenum erumpat, deinde oleo Mercurii seu liquore ex antimonio & sublimato æqualiter mixto, profluente, centrum antracis inungendum est, & causticandum,postquam scarra deciderit, emplastro ex magnete arcenicali,pars tota tegenda est, ut virtute illius emplastri virus omne foras eliciatur, deinde aqua sclopetaria, seu extracti aristologiæ rotundæ, pars ad cicatricem conducenda est, quod brevi fiet tempore.

Cap. X.

De Bubone.

Bubo quid.

Bubo est,ex Chymicorum doctrina tumor apostematosus in emunctoriis partium nobilium originē habens ex corruptione & alteratione Mercurii humani corporis,qui in hisce partibus per facultatem expultricem demandatur, cum pulsatione,tensione, dolore, vomitu, defectu animi & cordis tremore, ex diversa corruptione istius mercurii, in hisce tumoribus variam sortiuntur bubones divisionem,nam si cōjuncta est corruptio hæc, cum peculiari malignitate,malignos constituit bubones,si verò nulla malignitas & pestilens qualitas in hac corruptione insit, non maligni fiunt bubones,unde dividuntur in malignos & benignos, maligni-

lignitas, seu pestilens aut venenosa qualitas bubonum, dependet ex peculiari corruptione & alteratione sulphuris & salis, quæ una cum Mercurio cõfluũt, ad partem bubone affectam, ibiq; corruptione suarum substantiarum, similem tumorem constituunt, excrementis suis turgentibus, excrementa enim harum substantiarum, similes tumores faciũt, non enim Mercurius sal & sulphur, per se, tumores constituunt ullos. at ratione suorum excrementorum, quæ cum præter naturam sint, harum substãtiarum, Mercurii puta salis & sulphuris, pugnant & agunt in has substantias, & alterant & corrumpũt, & in eandem naturam convertere satagunt, ut moris est omnibus agentibus: id autem fieri nequit sine læsione, partium in quibus fit hæc pugna, & actio, cum præcipuè tota natura & virtus ejus, suo calore vivifico, tendat ad expurgationem horum excrementorum, ut amandet ea ad emunctoria, tanquam ad partes minus nobiles, & vitæ minus inservientes ut tibi calor naturalis ad pepasmum reducat, & eorum venenum extinguat, & domet. Excrementa Mercurii, non tantùm confluunt ad generationem bubonum: at etiam salis & sulphuris, dicuntur tamen bubones, Mercuriales tumores quòd excrementa Mercurii, in his prædominentur, cæteris salis scilicet, & sulphuris excrementis, sal in omnibus bubonibus suum colchotar constituit & accumulat, ex quo durities, callositas, & difficultas resolutionis fiunt: sulphur verò, salsuginem suam, & nitromemphytin, ex qua inflammatio, rubor ingens, & colores varii omnes ortum habent & multa alia symptomata.

Materiales hæ omnes causæ & sufficientes, ex centro Mercurii salis, & sulphuris nostri, originem ducere possunt, sunt enim ex se capaces & sufficien-

tes,

tes,hæc omnia excitare,absque præsidio & auxilio causarum externarum. In bubonibus tamen malignis & pestilentibus, semper hæc causæ internæ ab externis coadjuvantur. Cœlum enim & astra spiritualiter influūt in hæc inferiora, spiritus mercuriales,quæ cum nequeant esse, sine excrementis, pariter ac Mercurius vitæ noster, ex quo vivimus, hinc fit, ut suis excrementis,excrementum Mercurii humani augeatur & crescat,unde inevitabilis est morborum ortus,cum &id quod nobis vitam quotidianam, & cibum impertiat nobis etiam mortem tribuat, ita ut una & eadem offa, vita & mors deglutiantur.

Aër etiam in quo vivimus & ex quo vitalem auram inspiramus, multis terræ exhalationibus, & vaporibus atris,una cum influentiis cœlestibus, inficitur & contaminatur,quibus præcipuè conspurcatur vitalis nostra substantia, & hinc varii oriuntur morbi,secundum variam & peculiarem corruptionem, in ea substantia existentem, præsertim bubones, & omnes alii maligni seu pestilentes tumores. Quin imò & venerei bubones ab aëre excitantur,& astris, ut videre est apud Indos meridionales,ubi magna guajaci copia crescit, ibi enim sæpissimè morbus venereus fit epidemicus & generalis,ita ut hic morbus non ab hominum venereis actibus, seu pollutionibus deditorum proluvie, & spurcitia ortum habeat, sed etiam ab aëre & astris, quæ peculiarem infectionem &contaminationem Mercurio vitali nostro infundunt.

Cura bubonis.

Curatur bubo cujuscunque sit generis, missione sanguinis, ex parte opposita parti bubone affectæ. Deinde verò si pestilens non sit bubo, at benignior sit aut venereus, medicamento aliquo benigno Spagyrico, eoque cathartico ad purgationem

devenire possumus: dari poterit unica semis syrupi rosati laxativi in dragma unica, aut duabus cremoris tartari, si verò pestilens sit & malignus, abstinendum est ab omni purgatione, ne retrahatur venenum à circumferentia ad centrum, at illico deveniendum ad sudorifica & alexiteria medicamenta, ut his cor foveatur, & defendatur à veneno interiori, poterunt autem omnia ad usum revocari, quæ superiori capite de carbunculo enarrata fuerunt; tum topica omnia, nisi quod in bubone suppurandum est, & materia coquenda est & digerenda, ut ad suppurationem laudabilem deveniat, præsertim in bubonibus venereis & benignis, in pestilentibus verò, suppurandum quidem est, at non expectanda est absoluta & perfecta suppuratio, sed statim ad aperturam caustico actuali deveniendum est, propter venenatam qualitatem quæ in eis latet, ne intro recurrat, cui scopo poterunt esse in usu cucurbitulæ scarificatæ, circa partem affectam, & per totum corpus, ut attrahatur venenum, seu maligna qualitas, quæ in centro corporis latitat, & quiescit.

CAP. XI.

De Gangrena, & Sphacelo.

Gangrena quid.

Gangrena, Sphacelus, estiomenos & syderatio Galenicorum, sunt ejusdē speciei, ac ea omnia quæ apud Chymicos dicuntur vitæ privationes, extinctiones spirituum vitalium, corruptiones substantiæ vitalis, mortificationes partium, & ultimo calcinationes salis balsami naturalis, Galenistæ asserunt hos morbos succedere & sequi inflammationes partium tumoribus malignis, aut vulneribus correptarum. Chymici verò Medici, Galenicis hac in parte, non refrangantur, & causam incognitam Gale-

Galenicis indicant, asserendo, gangrenas sphacelos, & ejusmodi alios similes morbos, qui partes vitali spiritu & nectare privant, dependere à calcinatione salis balsami naturalis, quod violentia, sui sulphuris inflammati acquirit acrimoniam maximam, & virtutem adurentem, & causticantem, qua partes vitali nectare denudantur & ut mortuæ separantur à vivis.

Itaque definiunt Chymici gangrenas & syderationes Galenicorum, calcinationes salis balsami naturalis, ad talem usque acrimoniam, ut aduret & corrodat sua acrimonia reliquas omnes partes, quas antea, suo naturali esse fovebat, conservabat, & in vitam custodiebat.

Causæ antecedentes internæ gangrenarum, ex definitione ipsa possumus colligere, nihil enim sal, excalfacere potest balsami naturalis, præterquàm febres omnes & inflammationes omnes universales & particulares, quæ virtute sulphuris inflammati salem sublimant & separant, & amandant in partem aliquam, quòd sal, sic separatum calore & sulphure ipsiusmet partis, in quam amandatum est, calcinatur iterum magis ac magis, & incineratur, donec virtutem acquirat adurendi, & causticandi, privationem sui Mercurii naturalis, qui suo dulci humore ob ejus acrimoniam tẽperabat, & sic partes adurit & vessicat, & tandem vita privat. Sic sal istud in partem amandatum, & ibi calcinatum est causa conjuncta & immediata gangrenarum, sal verò qui est in balsamo vitæ, antequam separetur ab eo balsamo, est causa antecedens & mediata horum affectuum. Sunt & aliæ causæ antecedentes externæ gangrenarum, quæ disponunt salem ad separationem & calcinationem ejusdem, veluti sunt astra quædam, quæ peculiari suo influxu, calcinant

 & de-

& deſiccant ſalem balſami naturalis, unde & latinis ſyderationes dictæ ſunt gangrenæ, quòd ab aſtris & ſyderibus originem habeant, fulgura etiam & tonitrua aliquando gangrenas ſæpiſſimè conſtituunt, ſuo nitroſo ſpiritu, qui ſalem vitæ deſtruit & deſiccat, magnum quoque frigus etiam gangrenas conſtituit, hac ſimili ratione, natura cum tendat ſemper ad conſervationem ſui ipſius, & frigore magno, aliqua illius pars tentetur & affligatur, in eam ipſam partem natura calorem maximum immittit, tanquam frigoris hoſtem potentiſſimum, illo autem calore, ſal ipſius partis frigore affectæ, deſiccatur & ad calcinationem reducitur. Experientia ipſa comprobantur hæ omnes rationes, nam videmus quotidie, ſalis quàm plurima genera reperiri, qui dum calcinata ſunt & humore omni privata, adurunt partes & cauſticant quibus applicantur, dum verò adhuc ſoluta ſunt & in humore permixta, talem non habent adurendi potentiam, ut in cauſticis potentialibus cernere licet, quæ fiunt ex ſale fabarum, ficus, & tartaro calcinato & ſalepetra, ſunt tamen quamplurima ſalium genera, quæ etſi calcinentur, deſiccentur, & humore priventur omni, nullam tamen adurendi facultatem habent, nec ullam potentiam gangrenas faciendi. Unde ſal in quibusdam hominibus adeò dulce eſt, ut quamvis deſiccetur, nullas gangrenas, imò nullas ſcabies excitare poteſt: ut cernere licet in quibusdam hecticorum & tabidorum corporibus, in quibus nulla ſcabies, aut ulcus reperitur, niſi ſola ariditas & totius corporis marcor & ſiccitas, propter ſalis balſami naturalis deſiccationem & calcinationem. Sunt verò multi qui ſemper ſcabioſi ſunt, malignis herpetibus ſcatent & aliis abundant cutis exulcerationibus, hi omnes ſale acri & mordaci abundãt, quòd ſitu-

ſi tumore aliquo & ingenti inflammatione tententur, aut ulcere aliquo, aut vulnere, periculum eſt, ne in gangrenam incidant, propter ſalem hunc acrem & mordacem, quo turget eorũ balſamum naturale, quod leviſſima ſui ſulphuris inflammatione, ſalem illum calcinat & mordaciorem reddit, adeò ut adurendi & cauſticandi potentiam habeat; Alii vero homines qui nunquã ſcabioſi, nec ullis cutis ulcuſculis ſcatent, nunquã etiã gangrena affligi poſſunt niſi cauſa aliqua externa violentiſſima coadjuvãte.

Cura horum affectuum, conſiſtit in extinguendo ignem ſalis calcinati balſami naturalis, ignis autem ejusmodi poteſt extingui medicamentis Chymicis & aſſumptis & admotis, quæ ſunt interius aſſumenda, ut cauſas antecedentes tollamus iſtius deſiccationis, & calcinationis ut ſunt julapia Chymica refrigerantia & humectantia, quæ multum proſunt huic rei faciendæ, veluti ſunt ſequentia. ℞. Aquæ roſaceæ, plantaginis & nenupharis & acetoſæ, an ℔ j. Syrupi violati, ſyrupi nenupharis & de granatis acidis an. ℥ ij. aceti ſulphuris per campanã facti & olei vitrioli an. ℥ j. ſpiritus ſalis communis rectificati ℥ iij. miſce fiat Julep clarum, ſumat ſero & mane ad quantitatem. ℥ vj. longo tempore à paſtu, juſcula quibus utitur æger alteranda ſunt, lactuca & acetoſa, & ſucco acido limonum, aut granatorũ, vel ſpiritu ſalis, tota enim cura conſiſtit in efficacia & virtute iſtius ſpiritus, nam eo liquore ſal calcinatum & deſiccatum reducitur ad ſuum naturale temperamentum, quod unusquisque experientia cernere poteſt, nam ſal quodcunq; acre & mordax, ſi in ſpiritu ſalis rectificato ſolvatur, ad miram dulcedinem reducitur; imo ſpiritus iſte ſalis optimè præparatus, externis explicatis gangrenis & ulceribus [illegible] dolore narcoticũ ſummũ remedium eſt.

Possunt & exterius applicari remedia ignea, qualia sunt caustica potentialia, oleũ Mercurii, aqua fortis & stigialis, ut horum medicamentorum igné potentiali, extinguatur ignis potentialis salis gangrenæ, eo enim extincto, extinguitur & gangrena nisi aliud sal causticans & adurens succedat à causa antecedente, postquam gangrena extincta est, ad cicatricem ulcus facillimè deducitur, oleo mirrhæ, vel oleo ex vitellis ovorum, vel balsamo sulphuris sequenti. ℞. florum sulphuris. ℥ iij. olei violati. ℔ j. bulliant simul in vase testaceo agitando bacculo, donec coloretur oleum violatum in rubicundissimum colorem, tunc auferendum est ab igne & addentur olei ex vitellis ovorum. ℥ iiij. & reponendum ad usus.

Cap. XII.

De Erysipelate & ejus speciebus.

Erysipelas quid.

QUod Galenistæ Erysipelatem dicunt, tumorem biliosum, ex subtilissima bilis parte, ad cutem amandata, tanquam ad universale partium omniũ emunctoriũ, id idem ipsum dicunt Medici Chymici, tumorem sulphureum quem ita definiunt florẽ sulphuris balsami naturalis, ad cutem amandatum, inflammationem & dolorem causantem, huic sæpissime flori per miscetur flos balsami naturalis, differentias omnes & species Erysipelatis cõstituẽs, nam erysipelata sæpissimè conjuncta, sunt cũ corrosione aliqua cutanea, & ulcusculis, quæ non possunt dependere, & originem trahere à solo sulphuris balsami naturalis flore: at trahunt originẽ à flore salis balsami naturalis, qui una cum flore sulphuris, ad cutem sublimatur, ibique parit omnes differentias erysipelatum: nam quod Medici vulgares miliarem erysipelatem asserunt, id ipsum Medici Spagyrici,

gyrici,

gyrici,ex tenuiſſima ſulphuris parte & flore ſalis, originē trahere dicunt:tenuiſſima portio ſalis,quæ ad cutem,una cum flore ſulphuris ſublimatur,conſtituit ulcuſcula illa, milii granis ſimillima. Sic omnia eryſipelatum genera quæ compoſita ſunt, quæ una cum inflammatione, & dolore ulcera pariunt,dependent à ſale balſami naturalis, qui ſecūdum variam ſui ipſius acrimoniam & mordacitatem varia in cute generat ulcuſcula ſuperficiaria, vel profunda, varias producit eryſipelatum differentias,ſive ſint hydroæ,Ephælides, phlyctenes, & epinyctides, & ſimiles aliæ, quas Galeniſtæ fecerunt ob variam cutis excoriationem, quas itidem, Medici Spagyrici,ad variā & diverſam ſalis balſami naturalis,acrimoniā & mordacitatem retulerunt.

Cauſæ Eryſipelatum omnium, vel externæ, vel internæ ſunt.Internæ,vel ſunt antecedentes& conjunctæ, antecedentes ſunt (ſi eryſipelata ſimplicia ſint) tenuiſſima ſulphuris balſami naturalis portio, quæ leviſſimo calore ad cutem ſublimatur, ibique inflammationes illas parit, ſi verò compoſita ſint,& una cum inflammatione conjuncta ſint ulcuſcula quædam & cutis excoriationes, tunc temporis,flos ſalis balſami naturalis,una cum flore ſulphuris connectitur,& ſunt cauſæ antecedentes internæ, eryſipelatum compoſitorum: conjunctæ verò cauſæ horum affectuum, ſunt iidem flores ſalis & ſulphuris,ſi compoſita ſint eryſipelata, ſi ſimplicia,ſunt flores ſulphuris tantum, hæ cauſæ conjunctæ dicuntur ſeu immediatæ, dum flores, hi ad partem tumore affectam incuneantur,&à balſamo naturali ad cutem particularem partem detruduntur,facultate expultrice dum turgent & abundant in eo balſamo naturali.

Cauſæ vero eorundem affectuum externæ,ſunt

omnes res,quæ excalfacere possunt balsamum naturale, in eoque producere possunt copiam sulphuris & salis, quales sunt, vini potio copiosa, frequens & iterata, motus violenti, tum animi, tum corporis, ut ira, & excandescentia frequens, deambulatio ad solem fortem, balneum calidum, & ciborum acrium & mordacium frequens usus, ut allii, cepæ, & similium, hæ omnes res possunt excalfacere præter naturam balsamum naturale, in eoque producere copiam sulphuris & salis, quæ deinde cum turgent in eodem balsamo, calore ipsius balsami ad cutem sublimantur, ibiq; incuneantur, & pariunt diversa erysipelarum genera secundum variam salis & sulphuris sublimationem, ut ante dictum est.

Cura Erysipelatum.

Cura omnium erysipelatum simplicium, vel compositorum dependet à sequenti methodo, laxata alvo, clystere emolliente & refrigerante, mittendus est sanguis ex parte opposita parti affectæ, & servanda quantitas, ætati, regioni & viribus ægri proportionata, misso sanguine, præscribendus vivendi usus refrigerans & humectans, ut temperetur calor excedens balsami naturalis, itaq; juscula omnia quibus utitur æger, temperata erunt & alterata succo pomorum acrium, aceto, succo limonum, granatorum, acetosa, endivia, & lactuca, interdicetur æger interim omni vini usu, phtisana utetur alterata aqua lactucæ, acetosæ, & posca veterũ, vel aceto sulphuris per companam facto, vel oleo vitrioli acido, quæ omnia possunt calorem præter naturam balsami naturalis, temperare, & acrimoniam salis extinguere. Instituto victus regimine, ad topica deveniendum est, butyrum Saturni sufficiet ad curam absolvendam erysipelatis simplicis, frigide externis applicatum, fit autem butyrum saturni sequenti modo ℞. Acetum distillatũ in quo bullierit, frustulum, litargirii aut minii, per horæ

horæ quadrantem agitando cum baculo, postquam acetum deposuerit fecem & hypostasim suam,& clarum erit, & limpidum. ℞. hujus aceti parum in paropside terrea aut alia, & cum oleo violaceo cum digitis simul agita, & incorpora donec in butyri albissimi consistentiam convertatur, adde sæpe aliquid ejusdem aceti,sale litargirii,aut minii imprægnati & aliquid olei violacei semper agitando, donec sufficientem habeas butyri quantitatem, quod butyrum reservabis ad curam erysipelatum simplicium, si verò composita sint, eodem etiam butyro uti poteris, sed ut curam absolvas, & ulcuscula cures, oportet, ut aceto litargirii sale impregnato, laves ulcuscula, antequam butyro saturni utaris, vel etiam curantur hæc ulcera lacte saturni, quod fit hoc, & eodem aceto, cum oleo tartari simul mixtis & in vitreo vase agitatis donec in lac candidissimum convertantur, hoc solo litu utere.

Caput XIII.

De Oedemate & ejus speciebus.

Oedema quid.

OEdemata Galenicorum, sunt apud Spagyricos tumores præter naturam ex Mercurii excrementis ortum habentes; Mercurius enim apud Chymicos,ut anteà dictum est,lato sumpto vocabulo, est qualiscumque liquor & humor in corpore existens, unde phlegma Galenicorum cum liquor sit, seu humor, Mercurii nomine indicari potest,& tumores ex phlegmate & pituita ortum ducentes,tumores Mercuriales dici possunt, & quemadmodum pituita Galenicorum, cæteris humoribus permiscetur, & composita & permixta œdemata constituit, sic & Mercurius Chymicorum cœteris constitutivis substantiis permiscetur, & permixtis constituit Mercuriales

riales tumores, nam aliquando conjunctus reperitur Mercurius cum ſulphure, & conſtituit Mercuriales & ſulphureos tumores, quæ dicuntur à Galenicis œdemata eryſipelatodea, aliquando & cum tartaro connectitur Mercurius, & conſtituit tumores tartareos Mercuriales, qui dicuntur à Galenicis œdemata ſcyrrhoſa, aliquando & conjungitur cum Mercurio vitæ, & conſtituit tumores à Galenicis nuncupatos, œdemata phlegmonoſa, ſic quatuor ſunt ſpecies œdematum compoſitorum ex compoſitione quadruplici humorum in corpore ſtagnantium, ſimplicia tamen aliquando reperiuntur œdemata in corpore humano ut & compoſita: compoſita tamen frequentiora ſunt, quam ſimplicia, quia ſemper Mercurius humanus ſive excrementitius, ſive alimentitius, connexas habet alias ſubſtantias, ſecum permixtas, quæ una cum mercurio prædominium habent in conſtitutione œdematum, ſecundum quod prædominium in his œdematibus, dant nomen ipſis tumoribus. Simplex œdema poteſt definiri ex Chymicorum doctrina: tumor mercurialis ex congeſtione & fluxione Mercurii aquoſi ſive excrementitii in partem aliquam corporis humani, in quam amandatur ex balſamo naturali vitali, tamquam quid inutile vitæ, ibi conſtituens humorem indolentem, laxum, & mollem, abſque inflammatione. Eſt indolens œdema ſi privetur ſale, nam ſal in tumoribus dolorem conſtituit, inflammationem vero ſulphur unde œdemata ſimplicia ſeu tumores Mercuriales ſimplices, indolentes ſunt, quod ſale priventur acri & mordaci, à quo dolor ortum habet, tum in tumoribus, tum in ulceribus, ut videbimus in eorum tractatu, hi tumores ſimplices mercuriales ad ſuppurationem non deveniunt, quod humor mercurialis excrementitius hos tumores faciens privetur ſpiritibus vitæ, aut ſulphu-

phuris, à quibus pepaſmus & coctio, ſeu ſuppuratio in tumoribus dependet,at reſolvuntur per inſenſibilem tranſpirationem per poros cutis,calidis medicamentis appoſitis, quæ ſuo innato calore & propriis ſpiritibus ſulphureis, coquũt & ad pepaſmum deducunt crudam & incoctam Mercurii aquoſi ſubſtantiam; aut inſenſibiliter reſolvunt quod frequentius operantur quàm aliud.

Cura horum omnium affectuum,tam ſimplicium quàm compoſitorum conſiſtit in regimine victus, & in appoſitione medicamentorum ſubtilium & calidiſſimorum, ut cauſa materialis œdematum frigida, cruda & incocta,tollatur & evaneſcat, aut ſaltem, ad pepaſmum reducatur. Victus ergo calidus & ſubtilis erit,vino albo ſubtili & optimo utetur,& juſculis aqua cinnamoni alteratis; & pane aniſato, & carne euchyma, caryophillis condita. medicamenta autem quæ interius aſſumi debent, erunt cathartica & purgantia medicamenta, qualia ſunt antimonium præcipitatum quod ita fit. ℞. Antimonii & mercurii ſublimati, an. æquales partes reducantur in alchool, & imponentur retortę vitreæ ad diſtillandum leviſſimo calore: gumma ſeu liquor craſſus, egreſſus rectificetur ter aut quater. Deinde permiſceatur aqua communi clara &munda,pulvis qui præcipitatur in fundo albiſſimus, lotionibus multis aquæ communis edulcoretur, donec nullam habeat acrimoniam, ſed dulcis penitus & inſipidus ſit, hic pulvis erit catholicum chymicum ſummum,quo uti poteris ad purgationem omnium morborum, ſupra & infra purgat abſq; ulla læſione, doſis ejus eſt quindecim grana, in vino optimo aut juſculo; Pulvis hic albus ſi permiſceatur æquali quantitati ſalispetræ,in tigilloq; forti ambo comburentur, ter aut quater iterata combuſtione ſimili,poſtquam lotione aquæ communis ſalis

Cura œdem.

petra ſublata fuerit, & iterum edulcoratus pulvis, tunc temporis non eſt purgans ullo pacto medicamentum, ſed ſudorificum medicamentum, cujus dragma unica in aqua cardui benedicti aſſumptà, copioſos elicit ſudores, quo etiam uti poteris ad curationem horum œdematum, poſt purgationem; itaq; ex uno & eodem medicamento, abſolutam habebis curationem iſtius affectus. Quod verò attinet ad medicamenta parti apponenda, ut per inſenſibilem tranſpirationem reſolvatur tumor vel ad ſuppurationem reducatur, multa poterunt in uſum reduci, qualia ſunt ſpiritus vini ab omni phlegmate denudatus, vel oleum tartari, vel eſſentia roriſmarini, vel eſſentia ſalviæ & ſtœchados, vel oleum philoſophorum quod & laterinum dicunt, vel petroleum. Quod ſi petroleum aut eſſentia aliqua alia ſuprà dicta, lateres imbibantur coctiles, & contuſi in retorta vitrea poſiti diſtillentur, ſecundum artem prodibit oleum, oleo philoſophorum communi & vulgari longe efficacius, ad curationem iſtius œdematoſi affectus. Poterit etiam regio hepatis inungi oleo cinnamomi, aut caryophillorum, aut eſſentia carabes ſeu ſuccini, quæ eſſentia potentiſſima eſt ad roborandum hepar, ut non ſeroſum producat mercurium & aquoſum, ſed ut ſpiritibus vitæ abundet, potens etiam hæc eſſentia eſt ad cerebri facultates omnes roborandas, unde ſiſtit omnes catharrhoſas defluxiones, quæ ſunt fontes & origines œdematum omnium, unde ejus uſus frequens utiliſſimus erit ad cauſas horum affectuum antecedẽtes tollendas, ut evaneſcant tandem. Ad hoc peculiare œdematum caput, poſſet referri tractatus de ſcrofulis, cum hæ œdemata ſint: Sed ad tractatum ſeu ſectionem de ulceribus, hunc tractatum remittemus.

CAP.

Caput XIV.

De Scyrrho secundum chymicorum doctrinam.

Scyrrhus qui & apud Galenicos Medicos dicitur tumor præter naturam ex melancholico humore natus frigidus & terrestris valde, quem naturalis calor, virtute & facultate excretrice, ad cutem pellit, & amandat, ibique in lapidem aut lapideam substantiam muscilaginosam convertit & permutat, unde indolentes, duri & suppurationis incapaces fiunt hi tumores, quod sua virtute & lapidea materia comprimant arterias & venas partis tumore simili affectas, adeò ut impediatur commercium & aditus vitalium & naturalium spirituum, qui sunt suppurationis & pepasmi vera causa efficiens, calor enim innatus horum spirituum massas illas & tartareas materias emollit nisi omnino extinguatur.

Scyrr... quid.

Est autem tartarus apud chymicos excrementum fæculentum, seu magma cujuscumque humoris vitæ inservientis, quod excrementum privatur omni fere vitali spiritu, unde tumores fiunt omnes indolentes & duri, & curatu difficillimi, quia materia est difficilis resolutionis & pepasmi incapax, ob rationem dictam. Hi ergo tumores præter naturam à tartaro seu magmate balsami naturalis ortum habẽtes, quod suo sale coagulentur in lapidem quasi substantiam, partem affectam inde efficiunt duram frigidam & absq; ulla inflammatione & sensibili dolore : hæc descriptio suo ambitu complectitur veros & legitimos scyrrhos, qui dependent à tartaro chymicorum, quod cõparari potest pituitæ frigidæ Galenicorũ, quę

cum

cum ſit ex ſententia eorum excrementum frigidum maſſæ ſanguineæ. Sic & tartarus eſt excrementum balſami naturalis, quo vivimus, nutrimur & ſuſtentamur. Quia tamen balſamum iſtud naturale compoſitum eſt ex tribus ſubſtantiis, ſale ſcilicet ſulphure & mercurio, trina etiam erunt excrementa diverſa, quæ nomine tartari poſſunt efferri, unde tartarus erit mercurii, ſalis & ſulphuris, que tartara differentiam conſtituent inter hos tumores, duros & ſcyrrhoſos. Nam ſæpiſſimè tartarei hi tumores ſunt verè ſimplices, hoc eſt ex ſolo tartaro ſimplici compoſiti: ut ſæpe tartarus ſalis permiſcetur tartaro mercurii & ſulphuris, & ſic conſtituunt tumores dicti à Galenicis ſcyrrhi eryſipelatodes, & hi abſolute non ſunt indolentes, quia propter ſalis portionem, quam obtinent, corroſionem quandam habent, & ulcerationem internam carnis, partis affectæ: unde à ſolutione continui, dolor quidam oritur, in hiſce tumoribus: & nonnulla etiam inflammatio propter ſulphuris portionem, à quo fit inflammatio, & levis quædam ſuppuratio, non tamen vera & laudata, quia, quod ſuppuratur, in hiſce tumoribus, crudum & incoctum eſt, & aquoſum, quod calor naturalis ſulphuris inflammati exprimit & ſeparat, ex tartaro mercurii inutilis balſamo vitæ: ex partibus quidem mercurii non adhuc coagulati, ab ſpiritu ſalis, qui ſemper in ſcyrrhoſis tumoribus reperitur, & duritiem & firmitatem, horum tumorum cauſans. Si verò ſal iſtud ſeu tartarus dominium habeat in hiſce tumoribus, cæteris humoribus tartareis, ex iſta combinatione, fiunt cancri occulti Galenicorum maligni, & curatu omnino difficiles, quam difficultatem noſcens Hippocrates, in Aphoriſmis annotavit, hos non eſſe, curatione aggrediendos, quia citius inquit pereunt curati, quam intacti. Ratio in promptu eſt hujus rei apud

Scyrrhus eryſipelatodes.

apudChymicos, quod in hiſce tartareis tumoribus, & cancroſis, magna copia ſalis, acri & mordacis latitet, qui acrior & mordacior redditur medicamentorum curantium appoſitione; hæc enim medicamenta, cum calida ſint, acriorem & mordaciorem, ſuo calore reddunt ſalem: unde eo modo efferatur, magis ac magis morbus, uſque ad interitum.

Non tamen incurabiles ſunt, quod ſal iſtud adurens & cauſticans edulcoretur, & ejus ignis extinguatur, medicamento aliquo, ad hoc idoneo, veluti erit liquor Mercurialis dulcis, vel oleum lunæ dulce, vel auri Chymici: his enim certiſſimum eſt, curari poſſe crudelem hunc morbum; unde ſi Hippocrates horum medicamentorum notitiam habuiſſet, abſolutum & generalem non feciſſet de cancris occultis aphoriſmum, & omnes ſuos de morbis incurabilibus mutaſſet aphoriſmos: ſunt enim hæc medicamenta morborum omnium verum, & unicum remedium, exiſtimo etiam poſſe curari oleo ſalis dulci rectificato, in cujus applicatione ſola, extinguitur ignis ſalis calcinati, & diſſolvitur ejus durities, & coagulatio. Ex his pauciſſimis verbis poſſet Chymicus Philoſophus, integram & abſolutam habere tumorum ſcyrrhoſorum curam: at eam, in gratiam filiorum artis, amplioribus lineis, expandamus.

Habes quæ medicamẽta deſcripta ſine fraude, in 3. lib. myrothe ſii mei ſuis peculiaribus capitib.

Cura ergo integra & abſoluta tumorum ſcyrrhoſorum omnium, ſequenti fiet methodo; purgabitur imprimis ægrotus, pulvere antimonii, ſupra deſcripti ter aut quater, diverſis in diebus ſervato regimine, & cuſtodia: Deinde per octo dies, ſudabit in lecto coopertus, omni arte adhibita, aſſumpto pulvere; ejuſdem antimonii ſudorifici, ſupra etiam deſcripti bezoar minerale dicti; & aſſumet ad quantitatem, dragmæ unius, cum uncia una

Cura ſcyrrhi.

aquæ cardui benedicti, & inter sudandum assumet cocleatia nonnulla spiritus vini, tartari sati, ut copiosius & abundantius sudet, tartareosaque materia universi corporis dissolvatur, & in tenues dissipetur partes; & fricabitur scyrrhus & pars affecta, oleo laterino, vel oleo salis, interim præscribetur victus tegimen calidum & humidum & euchymũ, cum moderata corporis exercitatione, ut incalescat corpus, & refocilletur naturalis calor, ut dissolvat per insensibilem, transpirationem humores illos crudos, & serosos. Balnea etiam thermalia, & lutũ quòd in his aliquando sulphureum & nitrosum reperitur, post purgationes varias prædictas, multum conferunt ad curam absolvendam, propter salem solutum mineralium quem secum coërcent, qui multum confert ad causas antecedentes & cõjunctas tollendas. Quantum ad topica attinet medicamenta, sequens unguentum præstantissimum est. ℞. Salis armoniaci ter, aut quater, à sale communi decrepitato & calcinato, sublimati, unciam unam, floris salis urinæ humanæ, unciam semis, aquæ vitæ tartari satæ, unciam unam misce, & agitando in phiala vitrea converte in butyri consistentiam, de quo uti poteris ad curationem scyrrhosorum, tumorum, ungendo partem affectam, ter aut quater, in die, superimponendo emplastrum gummi ammoniaci, aqua vitæ dissoluti.

Spiritus omnium lapidum, & ossium humanorum, qui extrahitur ex eorum sale, fortissima distillatione, ut artis est, mirandum præbet spectaculum in curationibus, horum tumorum, & præcipuè in curatione cancri occulti, nam absque dolore, & cutis apertione insensibiliter dissolvit & disperdit, lapideas & nodosas illas substantias, & omnis salis ignis extinguit ardorem; At aurum Chymicum dissolu-

dissolutum omnibus præstat intrinsecus assumptũ & extrinsecus applicatum, Renovat enim totum corpus,& ad æquale reducit temperamentũ: quicquid dicant hi,qui illud irrident.

CONCLUSIO SECTIONIS PRIMÆ.

Tumorum infinitus est ferè numerus, qui corpus humanum infestant, quorum nulla fit mentio, in supradicta sectione, quòd omnes qualescunque sint, referri queant,ad tumores antea citatos & descriptos,quales esse possunt, verrucarum omnia genera, quæ ad tartareos tumores referuntur, & simili methodo curentur, nec pariter loquutus sum,de igne volatili, maculis, lentiginibus, natis,& similibus aliis,quæ possunt referri ad œdematum, aut erysipelatorum genus, & in eorum cura, observanda est similis,& eadem methodus, ut ægrotis satisfacere valeamus. Itaque transeundum est ad sectionem secundam hujus operis,in qua vulnerum dabitur tractatio.

SECTIO. II.
DE VULNERIBUS.

Cap. I.

Quid sit vulnus,quæ sint ejus causæ, & differentiæ.

Vulnerum tractatus, secundum Chymicorum doctrinam, differt aliqua ratione, à tractatu eorundem vulnerum, secundum Galenicorum doctrinam:

ctrinam: possunt tamen ambo conciliari, levissimâ verborum explicatione, nam quod Medici Galenici, solutionem continui à causa externa violenta, in parte molli, cum effusione sanguinis dictitāt, idque vulnus simplex vocant, id ipsum Medici Spagyrici, divulsionem seu separationem partium unitarum per balsamū naturale, cum effusione ejusdem balsami, à causa violenta externa appellant. Quod solutionem continui cum effusione sanguinis dicunt Galenici, quadrare videtur & convenire cū divulsione & separatione partium unitarum per balsamum naturale, cum effusione ejusdem balsami, est tamen aliqua differentia in eo quod balsamum naturale, plus dicat quam sanguis; & ea ratione, definitio Chymicorum plus indicat & ostendit, quid necessariū sit in curatione vulnerum, quā ostendat definitio Galenicorum; nam ostendit balsami naturalis conservationem debere fieri, si unionem ejus spectemus, quæ est cura totius continui solutionis; nam natura antequam uniat partes divulsas & separatas, oportet ut habeat copiam balsami integri & illæsi, ex utraque parte, ut partes se invicem tangentes & se deosculantes, unire se valeant; nam si putrescat & corruptum sit aliqua ratione balsamū naturale, nunquam coalescet vulnus, quin prius evanescat illa corruptio, & separetur. Unde suppurationē evitandā esse, in vulneribus curandis omni studio indicat, hæç Chymicorum definitio; Quam suppurationem evitabis per applicationem balsami alicujus externi, quod potentiam habeat & facultatem arcendi & impediendi corruptionem omnem.

Vulnus quid.

Causæ vulnerum.

Causæ vulnerum communium externæ sunt, etsi aliquando pars interior aliqua rumpatur & vulneretur; quod motu aliquo violento, & præter naturam, exterius facto; id oriatur; causa semper externa

terna est, etsi effectus internus sit, fluxione etiam aliquando interna possunt fieri vulnera.

Differẽtia vulnerum. Differentiæ vulnerum desumuntur ex variis causis, aliquandò enim ex partibus, quas afficiunt: nam si nervos afficiant, nervosa vulnera, & punctiones, si carnes carnosa vulnera, & contusiones. Si ossa, ossea vulnera & fractiones dicuntur. Aliquando autẽ desumuntur eorum differentiæ, ex figura, unde dicuntur profunda vulnera, lata rotunda & magna, aliquando verò habent differentiam ex rebus à quibus dependent ut sunt morsus diversorum animalium, & scorpionum ictus de quibus omnibus in capitulis particularibus Deo dante dicemus.

CAP. II.

De prognostico vulnerum & eorum cura in genere.

Vulnerũ periculũ unde dependeat. VErum veroq; verius est, ex communium medicorum doctrina, vulnera (& morbi alii omnes) periculosiora esse, quo nobiliores occupant partes corporis humani, vitæ inserviẽtes, his omnibus vulneribus, quæ ignobiles occupãt partes, nam vulnus bracchii, manus, pedis, carnis, & similium partium, non adeò periculosum est, ac vulnus capitis, cordis, hepatis, ventriculi, intestinorum & similium partium vitæ inservientium, nam cum vita in hisce partibus fundamentum radicale habeat, & hæ partes sint fontes vitæ, à quibus dimanat & cõmunicatur vita, cæteris partibus non potest fieri, quin vita læsa in ipso fonte, pereat in partibus, quibus communicatur. Itaque cum caput læsum est, & vulnere aliquo affectum, si profundum sit vulnus, aut meninges lædantur aut substantia ipsius cerebri, gravissima sint symptomata, verbum amis-

 sum,

ſum, convulſiones, vomitus & ſtridor dentium adſit, ſanguis effluat per nares aut aures, tunc temporis conclamatum eſt de ſalute ipſius vulnerati, & ſtultus omnino eſſet Chirurgus; qui medicamentis Chymicis hunc vulneratum curare vellet. Sic de reliquis partibus nobilibus aut vitæ inſervientibus prognoſticum faciendum eſt, cum magno vulnere & profundo tentantur, ut ſi ventriculus vulneretur, & ſtatim ſequatur vomitus, ſingultus, convulſio, dolor magnus, ventriculi, tunc temporis Chyrurgus certiſſimam mortem prædicere debet, & mente careret omni, ſi diceret bene eſt, hoc vulnus, ego curabo illud, intra paucos dies, balſama mea hæc efficient, & reliqua verba vanitatis plena, quibus ſolent uti circumforanei iſti chymiculi, ardeliones, qui modo balſamum aliquod habeāt, regna percurrunt omnia, & omnibus morbis unico medicamento ſuccurrunt & deludunt omnes & Chymicæ arti ſunt dedecori, & veri latrones, & publici ſycophantæ ſunt, nec pœnas dant ullas, nec juſtitia huic publico malo, dat remedium. Mittamus autem hos circumforaneos Chymicos, ut redeamus ad noſtram Chirurgiam.

Si quæ pars ergo nobilis & vitæ inſerviens vulnere læſa magno, mors prædicanda eſt, & remedia quædam ad ſolatium parentum ægrotantis adhibenda ſunt. Si verò partes aliæ ignobiles, lædantur, ſi magnum non ſit vulnus, & profundum, & valeāt vires vulnerati & ſuadeat regio, ætas conſtitutio temporis, & mos regionis, mittendus eſt ſanguis ex parte oppoſita parti vulneratæ, ut fiat revulſio, balſami naturalis tendentis ad partem vulneratam ut ſuccurrat ei. At nimia quantitas nocet potius, quā proſit, quia ejus quantitas & nimia copia opilationem parit & prohibet evētilationem nativi caloris,

unde

unde corruptio oritur, & ut huic succurramus malo, sanguinem mittimus ad revulsionem faciendam & retinendum istius balsami concursum; misso sanguine aqua frigida eluendum est vulnus, & detergendum ab omni sanguinis grumo. Deinde balsamo sequenti agglutinandum est vulnus, aut si sanguis effluat magna quantitate, compescendum est croco martis superimposito, antequam balsamum sequens applicetur. ℞. Decocti Aristologiæ rotundæ in vino albo tenui facti. ℔ j. Olei communis & rubei hypericonis. ℔ j Therebentinæ venetæ. ℔ ß. Succi consolidæ majoris ex ejus radice extracti. ℔ vj misceantur omnia in testaceo vase & bulliant simul ad consumptionem decocti Aristologiæ & succi consolidæ majoris, & redeant omnia ad consistentiam balsami, de quo vulnera perungendo mirabiliter ad cicatricem perduces brevissimo tempore. Si verò vulnera sint composita & magna, auferendum imprimis est, ante applicationem istius balsami, quicquid est heterogeneum vulneri, ut ossa fracta, carnes contusæ, fragmenta vestium, tela, pilæ plumbeæ & similia, quæ in capitulis particularibus subsequentibus Deo dante videbimus, & de his copiosior erit sermo.

CAP. III.

De Vulnere simplici.

Vulnus simplex quid.

CHymici vulnus simplex dicũt, cum superficies ipsius cutis, quam græci δέρμην καὶ ἐπιδέρμηον dicunt, cum carne subsequente læditur, solutione ipsius continuitatis, cum effusione balsami naturalis, quod continuitatem constituit, & hæc effusio fit sine tumore, & inflammatione partiũ circumjacentium, aut cum vulnus factum est absq; deperditione magna substantiæ, ubi nec os fractũ est, nec ner-

vus punctus, nec symptomata gravissima sunt, itaque duplici ratione vulnus simplex dici potest, primo, quod in eo vulnere fiat simplex effusio balsami naturalis, per solutionem levem & superficiariam continui. Secundò quòd in eo non sint symptomata gravissima, & portentosa, at levissima, & nihil mali prædicentia. Ita ut vulnus simplex sic breviter definiatur, est deperditio seu effusio balsami naturalis, partium similarium per solutionem earum, absque magno detrimento ipsarum, & absque sequela symptomatum violentorum, & magnorum accidentium. Causæ afficientes, externæ sunt, omnes res quæ possunt dividere, scindere & separare partes unitas, humani corporis, quæ continent balsamum naturale ad sui nutritionem & conservationem.

Differentiæ horum vulnerum simplicium sumũtur, ex partibus quibus infliguntur, & ex figura externa, quàm habẽt, ex profunda scilicet figura quadrata longa, triangulari, rotunda, quadrata longa, triangularia dicuntur vulnera, quæ figuræ & formæ externæ, variant eorum vulnerum curam, & prognosim, ut videre est in rotundo vulnere, cujus labia cum æqualiter inter se distent difficillimè coalescunt, propter eorum longinquitatem (& ut ita loquar) deosculationis difficultatem.

Cura simplicium vulnerum.

Cura consistit in unione simplici harum partiũ, quæ separationem & solutionẽ continui passa sunt: Nam modò ligamento aliquo inter se, deosculari se possint, superimposito balsamo superius descripto cap. 2. hujus sectionis, ad cicatricem deducuntur laudatam brevissimo tẽpore, aut sola virtute ipsius ligamenti, quia balsamum naturale internum modo ne putrefiat & corrumpatur, hãc agglutinationem & cicatrisationem, per se facit & tentat, tan-

quam

quam ad finem suæ conservationis, poterit etiam inungi vulnus, ad ejus agglutinationem sequenti balsamo, quod ad hæc est superiori præstantius, & citius aglutinat. ℞. momiæ optimæ, uncias duas, mellis albi, uncias quinque, mirrhæ unciam unam, radicis aristologiæ rotundæ, & symphiti majoris an. uncias duas, croci martis unciam unam, hæc omnia pulverata indentur in matratio vitreo, cum libris duabus aquæ ardentis optimæ, & maneant in digestione per duodecim, aut quindecim dies, quotidie agitando materiam, ut facilius spiritus vini extrahat tincturam rerum. Deinde per inclinationem extrahendus est spiritus tinctus & feces comprimendæ & filtrandæ, nec clarescant liquores qui inde eliciuntur, & distillandi levissimo calore, ut separetur spiritus aquæ ardentis, & maneat in fundo alembici balsamũ, quo uti poteris ad vulnera quæcumq; agglutinanda, quòd balsamum dicetur, balsamum mumiæ compositum, nam ex mumia paratur aliud simplex balsamum, sequenti methodo. ℞. Sanguinis humani recentis ex homine sano, & valenti eliciti quantum volueris, ponatur in scutella terra vitreata, & desiccetur super carbones, bacculo ligneo agitando materiam, donec in pulverem siccum convertatur, hunc pulverem conjũge cum sufficienti quantitate spiritus aquæ ardẽtis, & pone in matratio optime clauso in digestione, per octo dies, agitando quotidie naturam donec coloretur spiritus vini in sanguinem, deinde filtretur, & evaporetur in alembico vitreo, tenuissimo calore, ne comburatur donec spissitudinem mellis habeat, hoc balsamum serva & custodi in vasis vitreis, ad vulnera curanda, quàm citissime, cui balsamo in æquali quantitate si conjũgas balsamum sulphuris, balsamum efficies mirandum pro cura, tuta cita, & jucunda ulcerum omnium.

Balsamũ sanguinis humani.

CAP.

Cap. IV.

De vulnere quod & contusio dicitur.

Contusionis descriptio.

Contusio secundum Chymicos; potest dici, quando ictu aliquo violento, non inscisivo, sed comprimente, carnis, sub cute, balsamum naturale, & sanguis partium contusarum, vasa sua linquit, & fugit cum violentia, iterumq; redit cum motu violento, ut ferat opem, parti solutionem patienti, ita ut accursu balsami & sanguinis tumescat pars, & ibi corrumpatur balsamum & sanguis, cum sint extra vasa sua, per illam contusionem, & corruptio illa sanguinis, & balsami quæ fit, in contusione dicitur à græcis ἐγχύμωσις, quæ est sanguis coagulatus in parte contusa; balsamum ergo istud, & sanguis aut alius liquor vitæ inserviens, qui accurrit parti contusæ, cum sint extra vasa sua naturalia, non possunt longo tempore incorrupta perdurari, hinc videmus, carnes contusas nigrescere, livescere, aliisq; coloribus variegari secundum diversos sulphuris colores, qui in corruptione per digestionem enascuntur; sulphur enim quod reperitur in balsamo naturali, est pater, & origo omniũ harum secundarum qualitatum, dum fit quædam alteratio in eo balsamo, corrumpitur autem extravasatum balsamum naturale, quod sal ejus fixum & naturale, copia adventitii serosi humoris seu Mercurialis dissolvatur, & sic sua siccitate privetur, humidum acquirendo, cui calor naturalis ipsius balsami, & partium connectitur, & agendo in illud humidum copiosum, fit inde putredo, & corruptio in ipso balsamo, ni succurratur à Medicis, medicamentis putredinem

Corruptio balsami extravasata unde dependeat.

nem inhibentibus, quæ ex ſequenti methodo poterunt deſumi.

Contuſio vel eſt particularis alicujus partis, vel univerſalis totius corporis, caſu aliquo altiſſimi loci, vel contuſione arenæ ſacculis per univerſum corpus facta. Tunc temporis ſi ſit univerſalis, mittendus eſt ſanguis, è baſilica bracchii dextri ad quantitatem ſufficientem & correſpondentem viribus, & ætati ægrotantis, & regioni, ne ſanguis ex venis internis occurrat magna copia ad partes contuſas, & magnas producat enchymoſes. Deinde dandum eſt contuſo balſamum mumiæ ſimplex ad quantitatem dragmæ unius cum unica una ſucci limonum, ad refrigerādas partes internas, & ad euchymoſim evitandam, & Julapia præſcribenda, ex ſucco limonum, aqua roſacea, & decoctione acetoſæ, & ſyrupo granatorum acidorum. Ultimo ad topica medicamenta deveniendum, perungendus eſt ægrotus, univerſaliter toto corpore, balſamo mumiæ compoſito, ſuperius deſcripto, & pelle arietina recenti involvendus eſt ægrotus, nam in tali pelle recenti, adhuc ſpiritus naturales ipſius animalis ſunt qui ſummopere ſuccurrunt partibus contuſis, & roborant omnino partes. Victu interim humido & refrigerandi eſt utendum propter periculum febris, propter internas euchymoſes, donec decimus quartus dies tranſierit, unde juſcula ſua erunt alterata acetoſa, portulaca, ſucco limonum, & arantiorum aqua roſacea, & potus ejus erit ptiſana. Ab omni medicamento purgante abſtinendum eſt violento, & forti, quia eo multiplicatur febris & enchymoſis, ſed ſi alvus non fluat enematibus emolientibus & refrigerantibus utendum.

Quan-

Quantum attinet ad contusionem particularem alicujus partis, cum ferro aliquo, in aqua & aceto madefacto, comprimenda est contusio, pedetentim, ut balsamum, & sanguis qui est in parte contusa cumulatus, redeat ad suas partes, tum ultimo forti ligamento liganda est, superposito emplastro astringenti, ex fermento, aceto, & croco martis parato. Quod si intra viginti quatuor horas, contusio sanata & curata non est, at enchymosis magna sit, aperienda est scalpello contusio, & lavanda, extracto Aristologiæ rotundæ, ter aut quater in die, donec perfecte cicatrisetur ulcus & curetur.

Cap. V.

De vulneribus cum solutione venæ & arteriæ.

Vulnera ex solutione venæ.

Vulnera in quibus venæ aut arteriæ rumpuntur, differunt omnino, ab aliis, propter hanc hæmorrhagiam, seu sanguinis fluxum copiosum, qui in his contingit, præsertim in ruptione magnarum venarum aut arteriarum, is enim sanguinis fluxus, illico compescendus est, cum sanguis sit thesaurus vitæ, & spiritus, qui una cum sanguine per totum corpus sparguntur, & deportantur, ad balsami naturalis nutritionem & conservationem. Itaque si fluat sanguis, & pereat, & una cum sanguine spiritus vitæ, & balsami fomes perire necesse est. Itaque compescendus est hic sanguinis fluxus, antequam curam vulneris aggrediaris; ut autem hunc scopum pertingere valeamus, perpendendum est primo: An vulnerati permotus sit animus, ira aut aliqua alia animi passione, quæ quidem compescenda est & quiescenda, antequam media, sanguinem compescentia adhibeas, quia tunc temporis natura non recipit virtutes & effica-

ficacias remediorum cum sit in motu violento, & moveat sanguinem ad fluxum; Perpendendum etiam est, si sanguinis fluxus ex vena rupta dependeat ex coitu venereo, vel ex ebrietate, & ciborum repletione, vel ex motu violento aliquo corporis, ut saltu, tripudio, aut similibus, qui omnes motus, tum animi, tum corporis; temperandi sunt, & quiete aliqua extinguendi, antequam remedia nostra adhibeamus, alioquin enim periculum est, ne pars tumefiat in phlegmonem, & aliquando, in gangrenam & superaccidat febris universalis; variis symptomatis & periculis concomitata, quibus sæpissimè & citissimè succurrendum, relicta cura præcipua & principali vulneris nostri, unde in longius tempus quam par sit, & postulet prudentia Chyrurgiæ, differtur, vulnerati solatium.

Cura Vulneris ex solutione Venæ.

Postquam ergo sagaci mentis examine considerataæ fuerunt hæ omnes rationes supradictæ; deveniendum erit, ad sanguinis fluxum sistendum astringēdo & ligando si fieri possit orificia venarum aut arteriarum quæ sanguinem fundunt superimponendo medicamenta Chymica astringentia & sanguinem innata virtute sistentia. Qualia sunt, terra exanimata, seu mortua vitrioli calcinati. Postquam enim vitriolum violentissimo igne calcinatum est ad rubedinem usque, & solutum in aqua communi; feces quæ relinquuntur ex solutione illa; modo edulcorentur omnino, & priventur omni sale suo, qui sua est anima; terra illa deinde dicitur mortua & exanimata vitrioli, quæ citissimè compescit & sistit, omnes hæmorrhagias tam externas, quam internas. Exterius applicatur cum albumine ovi malaxando simul & agitando; & parti vulneratæ frigide applicando, interius verò sumitur cum succo granatorum acidorum, aut limonum, aut cydoniorum, ad quantitatem dragmæ unius,

unius, & ſiſtit omnes fluxus ventris & diarrhœas. Crocus etiam martis pollet virtute efficaci, ad ſanguinem compeſcendum,& præſertim ille,qui paratur à Chymicis, ex chalybe candenti in aceto extincto, donec chalybs in rubiginem convertatur, aut pulverem ſubrubicundum,qui pulvis in aceto diſtillato digeſtus, donec coloretur acetum, & acetum evaporatum, linquit melleum liquamen in fundo alembici, qui liquor malaxatus & incorporatus farinæ fabarum, vel bolo armenæ, efficaciſſimum prebet emplaſtrum,ad ſanguinem compeſcendum. Oleum etiam mercurii ſuperius deſcriptum idem præſtat,cauſticando partes & orificia venarum &arteriarum, modò palea aliqua, hoc oleo delibuta pertangantur, quod caute peragendum eſt,propter inflammationem, quæ ſolet, ex cauſtico iſto exoriri, ſi in magna copia,oleum iſtud ſuperimponatur, ſuperiora jam dicta huic præſtant,& anteponenda ſunt.Præſtat huic lapis magnetis calcinatus & aceto extinctus, donec in pulverem convertatur & albumini ovi malaxatus & vulneratis ſuperimpoſitus,gypſum etiam calcinatum & lotum, & ſale ſuo per lotiones varias & iteratas privatum, valet, & confert ad eumdem effectum vulneribus ſuperimpoſitum. Poſtquã ſanguinem fluentem compeſcuimus; Vulnera deinde communi methodo antea deſcripta,ad cicatricem laudatum conducenda ſunt,balſamis adhibitis.

Cap. VI.

De vulnere cum ſolutione nervi.

Nervus quibus ſubſtantiis componatur

Nervus cum habeat originem à ſale, quod eſt in humido radicali,ſeu balſamo vitæ, in quo ſpiritus vitæ turgent, qui ſunt ignes inviſibiles humido aquoſo,& humido fixo,ſeu terreſtri puro,& limpido circun-

circundati, unde soliditas & transparentia in nervo est, nervus hic inquam compositus & conflatus ex tribus his substantiis, mercurio, sale & sulphure, tubus & canalis, quo spiritus vitæ defertur undiquaq; per universa corporis membra, ad eorum nutritionem & conservationem. Si lædatur in ipsa sua substantia, necesse est, corpori ipsi supervenire, & accidere, symptomata præter naturam complurima, ut convulsiones, spasmos, motus, sensusque privationes, & alia multa gravissima propter nervis miram armoniam & ad vitam, ejusdem necessitatem. Quibus vitæ malis ut medeamur necesse est, primo scire, quo genere læsionis, lædatur ipse nervus, vel enim læditur punctione, vel ruptione, vel contusione, his enim tribus tantum vulneribus lædi solet: quod ut procul dubio sciamus, vulnus dilatandum est, in parte carnosa, ut optime nervi læsionem videamus, id autem faciendum est, subtili scalpello & subtili manu, & cavendum ne nervus, iterum lædatur. Si punctus sit tantum superficialiter, & punctura non sit, profunda, & magna, at perceptibilis, unctione olei therebentinæ rubei, calide superimpositi citissime curatur. Si verò magna sit, & apparens, & aliqua nervæ substantia seu pars scissa sit, scindendus est omnino nervus, & deinde oleum iterum therebentinæ rubeum rectificatum, calide superimponendum, vel tinctura mumiæ, ex spiritu therebentinæ extracta, superimponenda est calide, hæc enim citissime curat omnia nervorum vulnera, præscripto idoneo victus regimine, & misso semper sanguine, è parte adversa & opposita parti vulneratæ, ad revulsionem faciendum, & inflammationem impediendam, id enim semper prius faciendum est, antequam remedia adhibeas parti læsæ. Essentiæ euphorbii, rutæ, rorismarini, salviæ, vermium terrestrium, vitellorum

ovi,

ovi, sabinæ, resinæ, ceræ, picis, & mellis præstantissimæ sunt, & curant citissime & tutissime vulnera nervorum. At datur compositum balsamum cæteris prædictis præstantius, & nobilius, illud autem componitur sequenti methodo. ℞. Olei mellis rectificati. ℥vj. Olei seminis ebuli & mirrhæ an. ℥v. Balsami mumiæ superius descripti. ℔j. Misce servetur ad usus in vasis vitreis optime clausis, balsamum etiam quod per descensum elicitur ex catulis, si ter aut quater rectificetur; præstantissimum etiam est remediũ ad hæc vulnera curanda.

Balsamum ad vulnera nervorum.

Cap. VII.

De vulnere cum solutione ossis.

De vulnere cũ solutione ossis & ejus cura.

IN vulnere cum solutione ossis, multa consideranda sunt: primo, an os fractum ruptumque sit, intra carnes ipsas, absque læsione carnis aperta: secundo an ipsius ossis fractura intra carnes ipsas, fit cum fragmentis & frustulis, vel tantum raphanidon (ut inquiunt Galenici) fit fractum os, vel in longum scissum: tertio an fragmenta ipsius ossis fracti adhæreant & jungantur omnino periostio, quod est membrana; qua immediate, ossa circumteguntur & beneficio cujus ipsa ossa sugunt alimentum ex carne & venis, si enim non adhæreant, tollenda sunt ipsa ossa & fragmenta omnia, antequam remedia adhibeamus ulla; si vero os tantum transversim rumpatur raphani instar colloquenda est pars, seu membrum; quod patitur vulnus, in suo esse naturali & liganda secundum artem & quies omnino toti membro, & corpori imperanda, donec natura callum obducat & porrum ut dicunt, vice ossis, quod solet fieri intra quadraginta dies. Interim victus refrigerans & humectans ægroto est

to est imperandus, sanguis mittendus, ex parte opposita parti vulneratæ. Ad febrem & inflammationes quascunque impediendas & arcendas, si in longum sit scissum, & adhæreat perioſtio, non auferendum est os, sed pars liganda, & in suo naturali situ, & esse collocanda, & eadem methodus observanda in hac fractione, ut in ea quæ fit raphani instar. Postquam ligata sunt membra, possunt exterius applicari balsama agglutinantia superiori capite enarrata, conferunt enim maxime omnia & præsertim balsamum mumiæ compositum & simplex, & balsamum ex catulis, quibus balsamis, ad majorem efficaciam poterit permisceri oleum ex ossibus humanis extractum, & rectificatum, & oleum simphyti majoris seu consolidæ majoris, quæ omnia balsama multiplicant, & adaugent virtutes & energias prædictorum balsamorum, ita ut mirandos præstent effectus, in agglutinatione ossium fractorum.

Cap. VIII.

De Vulnere animalium venenatorum.

De Vulnere venenato & ejus cura.

Vulnera quæ infliguntur ab animalibus venenatis, non differunt inter se ab aliis, nisi ratione veneni, quod animalia ipsa, suis morsibus infundunt in ipsa vulnera, ratione cujus veneni, particularem & peculiarem exigunt curam, ratione solutionis continui & agglutinationis ipsius solutionis conveniunt & quadrant omnino, at in hisce vulneribus venenatis, solutionis ipsius continui agglutinatio, non est magni momenti: imo ratione ipsius curæ, est ultima in executione, præcipuum quod urget, est venenum, quod in primis, est extinguendum,

dum, & è vulnere tollendum, & eradicandum. Ut autem methodicè id fieri possit, sciendum primò est, quid venenum sit, & qua ratione, suam exeret vim, & facultatem lethiferam, ut autem id sciatur, sciendum etiam est, quid sit alimentum & qua ratione sint inter se contraria, alimentum & venenum, contrariorum enim eadem est scientia, alimentum ergo, ex Chymicorum Philosophorum sententia (quæ quidem hac in re aliorum Philosophorum sententiis, & opinionibus præponderatur) est substantia similis & homogenea substantiæ, qua nos nutrimur & conservamur, & partes corporis nostri conflatæ sunt, vel est substantia similis & homogenea humido radicali nostro quo vivimus, quæ substantia separatur à calore & attrahitur, per similitudinem suæ substantiæ, ab his omnibus quæ in alimentum sumuntur. Unde verissimum est, alimentum esse substantiam puram quatuor elementorum virtute cœlesti, seu spiritu æthereo, & vitali, imprægnatam, quæ à calore naturali animalium separatur ab esculentis, & poculentis omnibus, ut fomentum & conservationem sui ipsius recipiat, hinc veneni definitionem colligere facillimum est, tanquam aliquid alimento contrarium, & sic verè definietur, venenum est substantia quædam impura, dissimilis, & heterogenea substantiæ, qua vivimus, & partes nostri corporis conflatæ sunt, vel est substantia dissimilis, & contraria humido radicali nostro, quo vivimus, quæ substantia crescit, & ortũ habet, ex excrementis vitalis substantiæ, in quibus vis & efficacia mortis consistit. Vel in genere, venenum dicemus impuram & excrementitiam elemẽtorum nostrorum substantiam, nullo cœlesti spiritu æthereo & vitali, imprægnatam, at realgarinis virtutibus scatentem, & turgentem quibus vitæ

spiri-

ſpiritus ſuffocatur, & extinguitur. Itaque cum jam ſciatur quid ſit venenum, poteſt facili negotio medicamentum & remedium, & apponi, ut virtus ejus evaneſcat, nec in vulneribus quibus infunditur, ſuã exeret facultatẽ, & retundatur & diſperdatur.

Cura Vulneris Venenati.

Cum ergo vulnus aliquod venenatum, tibi occurrit, quod inprimis agendum eſt, balſamo vitæ, tum ipſius vulneris, tum totius corporis ſuccurrendum eſt alexiteriis, quibus turget Chymicorum myrothecium. Si quis morſus fuit & vulneratus ab apibus, à veſpis, à ſerpentibus & ab aliis animalibus venenatis, quibus terra noſtra & regio ſcatet, illi ipſi ſuccurres; ſolæ aquæ theriacalis lotione, cum ſale communi calcinato, cucurbitulam prius applicando vulneri, ut fortius, & citius attrahatur virus veneni, quod adhuc in ſuperficie vulneribus reſidet, quod ſi profundius quàm in ſuperficie ejaculatum ſit, oleum myrrhæ eſt applicandum, & vulnus lavandum aliquo ſale ſerpentis, in aqua theriacali, cujus etiam ſerpentis ſalis, in aquã theriacali ſoluti, dragma una potanda eſt; ut virus veneni penitus extinguatur: obſervato victus regimine refrigeranti & aſtringenti, ut in febribus peſtilentibus, ſi vulneris ita poſtulet & exigat periculi ratio. Si verò vulnus infligatur ab aliquo alio animali, quod potentiſſimum, & lethale habeat omnino venenum, quale eſt venenum rabidi canis, viperæ, ſcorpionis & ſimilium animalium, quæ venenum ſubtiliſſimum & acutiſſimum habent, quod citiſſime penetret totum vitæ balſamum, & ſuis inficiat qualitatibus, huic vulneri poſſumus mederi unico remedio chymico, quod potentiam habet & efficaciam, omnia venena evincẽdi: eſt autem iſtud remedium, ſpiritus ſalis purus, & rectificatione multoties iterata, ab omnibus excrementis vindicatus, & cor-

pori ſuo itidem puro, & calcinationibus multis, & ſæpe iteratis, cũ lotione multiplici, ab omni excremento terreſtri vindicato, conjunctus: hic ſpiritus & corpus ſuum, ſimul juncta; ſunt remedium potentiſſimum & efficaciſſimum, imò & certiſſimum vulnerum omnium venenatorum, quæ ab animalibus venenatis infliguntur. Qui huic certiſſimæ veritati fidem recuſant, perpendant quæſo, & rationis lance præponderent virtutem aquæ marinæ in curandis vulneribus rabidi canis; hæc enim ſolo aquæ marinę balneo curantur, ratio autem eſt, quod mare abundet tali ſpiritu qui incoagulatus & infixus, ſuas permeat aquas & inflat, unde cùm quis vulnere venenato infectus his proluitur aquis, ſpiritus ſalis ſtatim penetrat vulnus, & venenum ibi latitans, ſua innata facultate extinguit, imò & aliis ſuis manifeſtis qualitatibus, balſamum naturale ipſius partis, à putredine conſervat. Ita ut ſic præſervatum, ad naturale ſuum eſſe, ſeipſum ipſummet redigat, & ſolutionem continui curare aggrediatur; hoc autem remedium paratur difficillimè, & poſtulat doctum & patientem artificem, propter difficultates & longinquitatem ſuæ præparationis, quòd pharmacopolis noſtris durum penitus eſt, & nimis arduum; nihil enim amant, niſi quod paratu facillimum eſt, & quòd citò crumenas implet, ita ut faciant & parent remedia, non ſanitatis ergo, ſed avaritiæ, & ditandi cauſa. Si quis medicorum noctes & dies, annos & menſes; & totum vitæ ſuæ curſum impendat præparationibus Chymicis; & inquiſitioni novi alicujus medicamenti; ut locupletius antidotarium reddat, & majorem cõſtituat medicamentorum ſuppellectilem, ſtatim omnes eum ipſum invidiæ ſtimulis lancinant & mordicãt, & audacem prædicant, & temerarium medicum, qui

qui omni ſpreta ratione & methodo, ægrotos præcipitat, levi quacunque occaſione, ut medicamenta ſua tentet, & probet, quod mihi contigit in natali mea ipſa civitate Caſtronovidarenſi, in qua ſemper omnes pharmacopolas, imò & medicos alios omnes nō commilitones, ſed Zoilos invidiæ plenos habui. At non me terruit unquam hoc humanæ miſeriæ telum, imò potiùs, adverſus ipſum fortior, contractis ſuperciliis ſteti, & audentior ivi, ut medelam ferre poſſem omnibus malis, aſſumptis undiquaq; medicamentis, & quòd ex Galenico fonte haurire non poteram, id ipſum ex mari Chymico, expiſcari non erubeſcebam. Itaque ſi in cura vulnerum canis rabidi, non ſatis valeant medicamenta Galenica, eritne dedecus medico, ſi recurrat ad fontes Chymicorum, ut inde hauriat aquas tanti veneni victrices? ſi verò non habeat ſalis ſpiritum, ut huic veneno ſubvenire poſſit, poterit medicus Spagyricus ſequenti uti methodo.

Scarificetur undiquaque vulnus & dilatetur: ut ex parvo fiat magnum & ſanguis effluat: quamdiu effluere poterit, deinde comprimendo vulnus & aqua ſalita lavando, iterum compelletur ad ſanguinis fluxum, ut venenum una cùm ſanguine, & ſanie foras effluat. Deinde adhuc cucurbitulæ, cum multa flamma applicentur vulneri, ut attractio major fiat, applicatis cucurbitulis, & ſæpè iteratis, ungatur vulnus oleo Mercurii, vel aqua forti, aut cauſticis, in aqua ardenti diſſolutis, ut ſi quid veneni adhuc latitet in partibus ipſius vulneris, aduratur & in aliam convertatur naturam, adurentibus hiſce medicamentis, quæ potentiali ſuo igne profundiſſimè penetrant, & vulnus ipſum ſummoperè inflammant, ita ut per inflammationem attrahant ſuperficialiter humores adhuc profundos: & ſic natura

tura ipſa ex toto corpore , ut extinguat illum ignem, humorem illuc admittit, unde in illa admiſſione, venenum etiam admittatur una cum humoribus, ibique ambo putreſcunt & formæ veneni exeunt, illæſo corporis totius balſamo, interim dum hæc fiunt, partibus internis & cordi præcipuè eſt ſuccurrendum aqua theriacali aſſumpta, cum oleo ſpagyricè præparato ferri, ſeu martis, ad quantitatem guttularum decem, aut duodecim in uncia & ſemiſſe aquæ theriacalis, ſi non adſit febris, ſi verò febris adſit, in uncia una ſucci limonum dari etiam poterit : caro ſerpentis alicujus ſale communi decrepitato condita, vel ſal ſerpentis alicujus, quod potentiſſimum eſt remedium, adverſus omnia venena, ſi ſumatur in aqua cardui benedicti aut ulmariæ, ad quantitatem dragmæ unius, ſuperſudando quantum fieri poteſt, per decem aut octo dies, iteratis iiſdem potionibus, ut venenum ad ſuperficiem è centro pellatur, poteſt etiam dari ad majorem efficaciam, Deique gloriam & laudem qui benignè ubi malum, ibi remedium poſuerit, ſal ipſius canis rabidi, qui ex combuſtione ipſius corporis elici poteſt ut artis eſt , quique purificatus & lotus filtrationibus & lotionibus , ad quantitatem dragmæ unius in uncia unica aquæ theriacalis, vel ulmariæ poterit propinari ſingulis matutinis horis jejuno ſtomacho, donec convaluerit omnino æger, & quadraginta dies tranſierint , per quod omne tempus vulnus ſemper apertum tenendum eſt, & ne coaleſcat & cicatrizetur impediendum omni arte adhibita, ut venenum inde exire poſſit facilius, quàm per reliquas corporis partes, ſic Deo dante habebis abſolutam canis rabidi vulneris curam, medicamẽtis hiſce Chymicis, quæ cùm putredinem neſciant, putredini maximè reſiſtunt , & hinc omnibus re-

bus quæ inducunt putredinem, etiam obſiſtunt, quod in curandis vulneribus, præcipuus debet eſſe ſcopus: Si enim medicamenta quæ foras applicantur corruptioni obnoxia ſunt, imò & corrupta ipſamet, qua ratione & qua mente poteſt concipi, ut vulnus ipſis medicamentis curari poſſit, nihil enim dat quod non habet, ſanitas & incorruptibilitas (ut ita loquar) in unum concurrunt, ſi ergo medicamenta communia incorruptibilitatem non habeant, imò ipſa corrupta ſint (nam pulveres radicum, & herbarum, & ipſamet olea, quæ compoſitionem eorum ingrediuntur, cariem & rancorem effugere non poſſunt, unde tetrus odor & fœtor in emplaſtris, & unguentis communi methodo paratis (ſi ergo hæc medicamenta communia corrupta ſint, qua ratione poterunt dare vulneri ſanitatem, ſi incorruptibilitatem, ipſi vulneri præſtare nequeant, neque ejus balſamum impedire, quin corrumpatur, & putreſcat? hoc eſt velle curare putredinem putredine, & Hippocratis oraculo, fidem non adhibere, quod jubeat, contraria contrariis eſſe curanda. Reſipiant quæſo Medici Galenici, qui omni ſpreta rationis lance, medicamenta Chymica, imò, & totam artem Chymicam floccipendunt, in eamque ululant, veluti canes in lunam, at eorum ululatus, nec ſplendorem ejus diminuet nec extinguet, quin radiis ſuis colluſtret infinitos Hermetis filios & alumnos, qui pretium ſuum, condignis verbis extollent, eique templa & altaria honoris & laudis, mente pura, & non fucata conſtruent, in ejusque tholis ſpolia ampla inimicorum omnium ſuorum ſuſpendent.

Cap. IX.

De Vulneribus Sclopetorum, armorumque aliorum igneorum.

Vulnera omnia quæ ab armis igneis sunt, non differunt ab aliis quæ in superioribus capitulis tractavimus; habent enim solutionem continui omnia cōmunem, & multa alia quā plurima symptomata, nempe solutionem nervi, venæ, arteriæ & ossis, & præterea dolorem, inflammationes & totius corporis febrem: at hæc tamen vulnera differunt ab aliis, quod in his fit adustio partis vulneratæ, veluti facta fuerit ab aliquo ferro candenti & ignito, propter illam adustionē & aggregata omnia dicta symptomata, quæ in his vulneribus reperiuntur, hæc vulnera peculiarem expostulant curam. Ita ut cum hoc vulnus sit quasi compendium reliquorum omnium vulnerum, cū in solo ipso vulnere, alia cætera comperiantur, necesse etiam est excogitare remedia quæ propria sint & cōveniant omnibus vulneribus, & simul curent eorum omnium symptomata. Adustio quæ in hisce vulneribus cōperitur, advenit ex motu illo violentissimo, quo volvitur & fertur pila illa plumbea aut ferrea, quæ ex illis instrumētis ferreis, igneo pulvere & tormentario plenis, igne concepto foras cum violentia pelluntur & emittuntur; in illo enim motu violentissimo, incalescit pila illa, ita ut candeat & ignescat: quo circa dum aliquas corporis partes vulnerat, suam ignitā & candentem facultatem parti imprimit, eamque adurit, ac si esset aliquod ferrum, igne ipso concalefactum & ignitum. Addam & ego quod ex pulvere tormentario ipso, quod cōponatur & fiat ex sulphure, salepetra & carbonibus, simul malaxatis & alchoolizatis permixtis, crusta quædam salita igne poten-

Vulnera sclopetorum qua ratione differat ab aliis.

potentiali plena, cooperiatur pila illa plumbea, qua uti solent milites, ad instrumenta sua bellica implenda & farcienda, beneficio cujus crustæ salitæ & ignitæ, carnes vulnerum aduruntur, & causticantur, unde necesse est medicamentis propriis & convenientibus illam adustionem tollere, quod sequenti methodo fiet. Imprimis applicandum est vulneri recenti unguentum refrigerans saturni, descriptum capite de erysipelate, sectionis primæ hujus operis, quod ex aceto stillatitio & minio, litargyrio, aut calce plumbi paratur, cum oleo rosaceo: postquam viginti quatuor horæ transierint ab applicato unguento illo sæpius iterato intrà illud tempus, ut virtus caustica omnino tollatur & extinguatur, mitendus est sanguis ex parte opposita parti vulneratæ, ad revulsionem faciendum, ne balsamum vitæ, nimia copia ruat, in partem vulneratam, & copia sua producat obstructiones, & hinc caloris naturalis eventilationis prohibitiones, unde inflammationes & multa alia gravissima symptomata: Misso sanguine ad quantitatem viribus ægrotantis correspondentem, immittendum est in ipsum vulnus ipsum oleum myrrhæ, permixtum in æquali quantitate cum extracto Aristolochiæ rotundæ, vel cum extracto symphyti majoris, cum aliquibus guttulis spiritus salis, & olei rectificati garyophillorum: hoc balsamum mirum est, in curandis hisce vulneribus, modo syphone aliquo in omnes ejus sinus penetret & immittatur, & si vulnus habeat exitum, oportet ut balsamum istud exeat, ab illa parte, & sic perfectè colluat totum vulnus. Quod si vulnus non habeat exitum, at unum tantum profundum foramen, in quo adhuc pila plumbea superstes est, quod in hoc vulnere faciendum est, ante applicationem balsami, est pilæ illius plumbeæ extractio, aliarumq; rerum heteroganearum, ut sunt fragmenta ossis,

Cura vulneris sclopetorum.

ta ossis, & vestimenti, & alia multa quæ in instrumentis bellicis reposita inveniuntur, quæ omnino extrahenda sunt, ut vulnera agglutinari & curari possint: postquam ergo extracta sunt volcellis, & aliis instrumẽtis Chirurgicis illa omnia, applicandum est balsamum superius dictum, & continuandum donec curatum absolutè sit vulnus: imperandum est etiam vulnerato ut partem vulneratam immotam teneat, nam si ligamentis id facere cogatur, periculum est ne propter ligamenti violentiam, dolorem patiatur multum & gravem, quod omnino evitandum est, unde ligamenta omnia stricta fortia, & pixides cupreæ vel ligneæ, quas Chirurgi excogitarunt ad partes vulneratas invitis vulneratis, immotas tenendas, improbandæ omnino sunt, quòd dolorem excitent, quod omnino evitandum: nam natura dum molitur curam, nullum excitat dolorem: unde Chirurgus prudens & doctus, cum sit naturæ servus, sequi omnino debet naturam & imitari, ut autem ad hunc scopum queat collimare Chirurgus, multa sunt apud Chymicos Medicos balsama, vulnera omnia curantia absque ullo dolore. At inter ea ipsa, quæ ego in scriptis Chymicis reperi, tria tantùm notatu dignissima comperi, quibus Chirurgus uti poterit. Primum sic componitur: Accipienda est caro humana recens & sani hominis, ad quantitatem trium aut quatuor librarum, deinde ℞. Pulveris radicis Aristolochiæ libram semis, radicis symphyti majoris librã unam, rhapontici uncias duas: Rheubarbari optimi unciam unam, baccarum succi unciam unam, croci martis uncias tres, minii unciã unam, florum hypericonis manipulos duos, pilocellæ & millefolii an. m. j. linguæ serpentis m. vj. folii serpentariæ majoris m. j. iarri m ß. foliorum lauri m. j. betonicæ & florũ ejus an. m. ij. corticis mali granati, & quercini an. ℔ j. fru-

ctuum

ctuũ rubi. ℔.ij. omnia contundantur, & caro rumpatur in frustula, & bulliant simul per duos dies, in vase duplici optimè obturato, cum optimo vino rubeo, imponendo semper vinum, dum inter bulliendũ consumitur, peracta hac coctione, materia prælo est torquẽda, ut exprimatur vinum, & succus rerum quæ motionem passæ sunt, magma quod ex expressione relinquitur magno igni committendũ ut calcinetur, & reducatur in cineres albissimos, qui conjungendi sunt decoctioni præcedenti, & huic addendæ sunt olei therebentinæ unciæ tres, olei myrrhæ ℥ ij. olei garyophillorũ, ℥ ß. olei ceræ ℥. iiij. olei mastichis ℥ iij. olei Sacchari ℥ iiij. Extracti sanguinis humani, seu tincturæ ipsius ℔. ß. misceãtur, & in phiala vitrea forti & capaci, imponantur & obturentur, & digerãtur in cineribus tepidis per decem, aut quindecim dies, deinde bulliant simul aperto vase, donec cõsumatur, & evaporetur liquor humidus & aquosus, relicto tantum oleoginoso: deinde dum adhuc calet, filtrandum oleum ut separetur à cineribus, & partibus crassis & terrestribus, & reponendum in vasis vitreis obturatis, ad usus nostros mirandos & stupendos.

Balsamũ Antimonij. Secundum balsamum quod ego miratus sum sæpissime, est ex Antimonio, sequẽti methodo. ℞. Antimonii crudi & Mercurii sublimati an. ℔. ij. reducantur, in alchool tenuissimum, & deinde misceantur simul & indantur vitreæ retortæ, & distillentur léto igne, gummi quod egreditur rectificetur semel in nova retorta, deinde postquam rectificatum fuerit gummi istud, ponatur in phiala vitrea capaci & super illud projiciatur magna quantitas aquæ laudati fontis, limpidæ & claræ, & permisceãtur simul, & convertãtur in lac, supersedeãt deinde vasq; quiescat, ut hypostasi facta, aqua clara quæ supernatat

pul-

pulveri albo, per inclinationem auferatur, addendo novam aquam laudati fontis, & iterum agitentur simul & moveantur & quiescant: ut iterum hypostasi facta, per inclinationem auferatur eadem aqua clara, & conjungatur priori in vase aliquo vitreo reservatæ, opus hoc iteretur tamdiu, quamdiu aqua quæ superfunditur pulveri albo, acris est & acetosa, pulvis hic albus sic lotus & dulcoratus: potest reservari ad purgationem universalem cujuscumq; morbi, aqua verò acetosa distillanda est, calore levi cinerum, donec guttæ quæ exeunt, acescant, tunc temporis finienda est distillatio, & quod remanet in fundo alembici acre, & valde acetosum accipiendum & superfundendum est Antimonio crudo in pulverem tenuissimum reducto, in vase vitreo oblongi colli, & per mensem integrum digerendum in cineribus tepidis, donec coloretur Antimonii acetum, seu spiritus acetosus, in rubicundissimum colorem, instar sanguinis: hæc deinde tinctura auferenda est per inclinationem, & novus spiritus acetosus ejusdem antimonii superfundendus & iterum digerendus, donec coloretur ut ante, & sic tota tinctura antimonii extrahenda est, quæ distillanda est levissimo calore balnei, donec guttæ flavescant, tunc temporis cessanda est distillatio, & magmati melleo, quod in fundo alembici remanet, superfundendus est vini spiritus rectificatus, & digerendus donec coloretur, & auferendus per inclinationem post colorationem, & iterum superfundendus novus est spiritus, & digerendus, donec iterum tota extrahatur tinctura beneficio vivi spiritus, hic spiritus tinctus, distillandus est levi calore, donec ejus guttæ flavescent: tunc temporis mutandum est recipiens, & vera tinctura Antimonii recipienda, quæ est balsamum mirum, quo uti possumus ad vulnera omnia absque dolore curanda, imò omnia

omnia vulnera tam interna, quàm externa, & optimum est arcanum ad lepræ moderanda symptomata, & leniendam ejus ferocitatem. Multi sunt Chymicorum, qui in descriptione istius balsami, acetum commune stillatitium assumunt, at decipiuntur omnino, nulla enim tinctura elicitur aceto communi stillatitio, nam ipsemet expertus sum tincturam antimonii extracti solo suo spiritu aceto, ut experientia ipsa testari poterit cuilibet Chymico.

Tertium balsamum quo uti possumus ad vulnera nostra curanda, potest desumi ex carne hominis vel carne cervi, sequenti methodo. ℞. Carnis humanæ, vel cervinæ, ℔. vj. Scindantur in minuta frustula, & indantur in phiala vitrea obturata, & bulliant in balneo mariæ per quatuor horas continuas deinde dum adhuc calet vas, aperiatur, & per inclinationem auferatur liquor carnis humanæ, aut cervinæ, magma verò quod in fundo vasis remanet comburendum est, & calcinandũ fortissimo igne, ad cineres usque; ex cineribus per aquam communem sal extrahendum est. ut artis est, & purum putum factum calcinationibus multis & lotionibus iteratis convertendũ est, & conjungendum liquori suo, cui denuò est adjungendum sal ex ossibus humanis extractum, aut cervinis, & sal etiam hypericonis ad quantitatem unciarum trium, aut quatuor si fieri potest; ut conservari possit illæsus & incorruptus liquor balsamicus carnis humanæ, aut cervinæ: huic adhuc mixtioni & compositioni addendum est oleum therebentinæ & ceræ, ad quantitatem medii ponderis totius commixtionis, & sic conflatum hoc balsamum reponendum est in vasis vitreis perquàm optime clausis ad usus nostros.

Multa alia sunt balsama apud Chymicos, quibus vulne-

vulnera omnia curari possunt, at hæc supra dicta mihi magis arrident & placent, non contemno tamen alia, quibus omnibus balsamum Antimonii enarratum antepono, & consulo omnibus Chirurgis ut præ manibus habeant, nam si illud debitè præparatum possideant, non egent medicamentis aliis, ut curent cutaneos omnes morbos, modò victus præscribatur opportunus & conveniens, ut in vulneratis ab armis igneis, & tormentariis præscribendus est victus humidus & frigidus, ad arcendas phlogoses, tum generales, tum particulares ipsius vulneratæ partis, vinumque prohibendum est, donec septimus saltem dies transierit, aut decimus quartus, in quibus solent exoriri omnia periculosa vulnerum symptomata, & loco illius possunt uti ptisana, cum syrupo limonum & guttulis nonnullis olei vitrioli, vel sulphuris, juscula vulneratorum alterari debent cucurbitis, cucumere, melone, portulaca, lactuca, & cichorio, & possunt edere omnes juvenes carnes, & pisces omnes, & cum hoc victus regimine Deo dante, ad laudatam & brevem vulnerum omnium cicatricem & agglutinationem perveniet Chirurgus prudens doctus & diligens, cui regimini addet vulnerum nitorem, hoc est, ut quotidie vulnera abstergat ab omnibus excrementis, imò membra vulnerata ipsa, & totum corpus, à fuliginibus crassis, & aliis excrementis emunget, ut corpus transpiret, & membrum vulneratum, ne hinc exsurgant multa symptomata, quæ non ex vulnere, at ex transpiratione impedita exoriri solent.

CAP.

Caput X.

De Vulneribus Capitis.

Caput cùm in se coërceat omnes animæ facultates, sit domicilium ipsius animæ, & organum sensuum omnium, si vulneretur profundo aliquo vulnere, ita ut cranium ipsius offendatur, symptomata multa patitur peculiaria, quibus aliæ partes vulneratæ non afficiuntur, veluti sunt convulsiones universales, spasmi, stupores, diminutiones sensuum cum privatione vocis, quæ omnia symptomata originem habent ex partibus læsis, & offensis, quæ cranio coërcentur, læsæ enim hæ partes vel per se, vel per sympathiam & communicationem, patiuntur alterationem in suo balsamo naturali, fixo vel infixo, quod est causa proxima & immediata animæ facultatum & virtutum & potentiarum organicarum. Chirurgo itaque cui erunt ejusmodi vulnerati, competet vulnera ipsa speculari, & videre an profunda valde sint, & qua in parte capitis sint, quæq; ossa cranii offendantur & suturæ, ut judicium firmum & certum de his vulneribus ferre possit. Si pericranium solum quod est mẽbrana carnosa cranii lædatur, illud vulnus facillimæ est curæ, brevissimoq; tempore agglutinationem adipiscitur, methodo communi curandi vulnera simplicia: si verò cranium offendatur, quod læsum est in ipso cranio tollendum est prius ante curationẽ ipsius vulneris, dilatãdo imprimis vulnus ut partes omnes ipsius læsi cranii conspicere valeamus: deinde partes omnes ipsius ctanii læsi, auferẽdæ sunt instrumentis Chirurgicis, quib. turget Chirurgiæ supellex: cerebri verò substantia cooperienda est linteo aliquo delicato, balsamo humanæ carnis peruncto, quod antea descripsimus, regimen victus optimũ & medi-

De vulneribus capitis.

medicum observando, & sanguinem mittendo è basilica partis affectæ, ejusdem lateris, viribus ægrotantis correspondentem, ad revulsionem faciendam, ne sanguis concurrat ad partem vulneratam, ibique putrescat & causentur varia symptomata vulneribus ejusmodi frequentia, quibus ut occurramus tutissimum est remedium sanguinis missio, quam postquã celebraverimus methodicè, vulnus ipsum tantũ linteis delicatulis, balsamo carnis humanæ supradicto perunctis, & modicè delibutis cooperiendum, cavendo ne magnam copiam balsami in ipsum vulnus immittamus, eò quòd balsami ipsius substantia ingrederetur substantiam cerebri, & ipsam læderet, quod non solùm in balsamo observandum est, sed etiam in omnibus aliis medicamentis, vulneribus capitis applicandis; nam substantia ipsa cerebri non patitur ullam aliam substantiam; quin lædatur ab illa, unde non lavanda sunt vulnera capitis, in quibus cranium sublatum est, & ipsa cerebri substantia denudata est; sic sola applicatione balsami carnis humanæ, ejusq; perunctione curabuntur Deo dante omnia capitis vulnera, & symptomata omnia gravissima evitabuntur, perungendo eodem balsamo spinam dorsi, & partes capitis vulneri collaterales.

Caput XI.

De vulneribus Pectoris.

De vulneribus pectoris.

Vulnera pectoris aut profunda sunt, aut superficialia, quæ superficialia sunt, nullo modo ambigendum est quin simplicia sint vulnera; & quin curentur eadem ac simili methodo vulnerum simplicium. Quando verò profunda sunt, vulnerantq; partes ipsius thoracis internas, tunc temporis peculiarem expostulant curam; & distinguuntur ab aliis sim-

ſimplicibus vulneribus. Perpendendumq; Chirurgo prudenti & docto, qualeſnam ſint vulneratæ partes. An pulmones, vel mediaſtinum, an Diaphragma, vel vena porta, vel cor. Omnes enim hæ partes conſiderandæ ſunt, tamquam vitæ neceſſariò inſervientes; quarum partiū vulnera lethalia fere ſunt omnia, & adhuc lethaliora ſunt propter diſpoſitiones pravas harum partium, ad morbos fixos & hecticos, in nonnullis ſubjectis. Qua ratione conſulo omni prudenti Chirurgo, ut illico in vulneribus profundis pectoris, in quibus aliqua pars vitalis, aut vitæ inſerviens læditur, recurrat ad prognoſticum mortis, ne infamentur præſidia quæ multis fuere ſaluti, néve videatur Chirurgus eum occidiſſe quem ſors ipſa peremit, facto tali prognoſtico, recurrendum eſt deinde ad remedia ſalutaria, nec propterea debet Chirurgus auxiliares vulnerato ſuo recuſare manus, quod ſequenti methodo facere poterit.

In primis debet vulnus ipſum ſpatula ſua argentea, vel cādela aliqua tenui percontari, ut ſciat à quibus partibus tendat & quas vulneret. Deinde vulneri applicandum eſt emplaſtrum refrigerans & aſtringens, deſcriptum in capite de vulneribus ſimplicibus, & ſtatim mittendus eſt ſanguis ex baſilica oppoſita parti vulneratæ, ut revulſio fiat, & vulnerato imperandum eſt, ſeu conſulendum, ut cubet ſuper vulnus ſuum, ut ſanguis effuſus in capacitatem thoracis effluat foras per orificū externum vulneris. Poſt duodecim horas ab applicatione emplaſtri aſtringentis & refrigerantis, renovandum eſt illud ipſum emplaſtrum ter aut quater, & ſingulis vicibus pus & ſanies ipſius vulneris extrahenda ſunt, & abſterſum perquàm optimè vulnus perungendum eſt balſamo ſulphuris ſuperius deſcripto, capite de gangrena Sectionis primæ, & vulneratus debet ſemper accūbere

F vul-

vulneri suo, ut pus & sanies exeant & reliqua omnia, quæ sunt vulneri extranea, semper solo balsamo sulphuris perungendum est vulnus missis omnibus aliis remediis, solo enim illo, & unico possunt optime curari omnia thoracis vulnera. Tinctura etiã Aristolochiæ rotũdæ oleo violaceo dissoluta confert maximè ad eamdem curam: at sulphuris balsamum præstat.

In hisce vulneribus solent supervenire multa gravissima symptomata qualia sunt febres, difficultates respirationis & urinæ, quibus omnibus possumus subvenire optimo victus regimine, refrigerante putà & humectante, & mediocriter abstergente. Vinum omnino prohibendum est & loco illius utendum ptisana alterata syrupo de liquiritia, & de tussilagine cum guttulis nonnullis olei seu aceti sulphuris per campanam facti. Lac asininum & humanum imperandum ut bibant toto curationis tempore, & juscula sua alteranda sunt herbis pectoralibus.

Datur & aliud balsamum sulphuris superiori præstantius ad curanda prædicta vulnera, quod præparatur ex floribus sulphuris in spiritu therebentinæ decoctis in vitreo vase obturato, donec rubescat ut sanguis spiritus: hic spiritus tinctus supermiscendus cum optima aqua ardente alchoolizata, & dirigendus est, donec tinctura sua spolietur, & transeat in aquam ardentem, quæ distillanda est levissimo calore, ut in fundo relinquat sulphuris tincturam, quæ fortissimo igne compellanda est in novum recipiens vitreum, & servanda ad usus, potest applicari externè, & assumi internè ad quantitatem guttularum, decem aut duodecim cum lacte humano.

Balsamum etiam quod præparatur ex margaritis preciosis, præstantissimum est remedium in curandis pectoris vulneribus: præparatur autem aceto stillatitio, in quo dissolvuntur margaritæ digestionibus

variis

variis & iteratis, in eodem aceto renovato & iterato, super sal quod relinquitur ex evaporatione primi aceti dissolventis illud sal purum putum factum solutionibus in aqua communi factis, & evaporationibus multoties iteratis, solvitur in spiritu optimo vini, & simul in vase vitreo oblongi colli digeruntur: deinde per distillationem separatim spiritus vini, & ultimò in recipienti novo colligitur spiritus, seu balsamum margaritarum, quod phthisicis curandis, & vulneribus pectoris omnibus aliis remediis & medicamentis præstat, & antecellit: potêst etiam idem spiritus margaritarum decorandæ faciei mirum esse pigmentum.

Caput XII.

De Vulneribus superioris & infimi ventris.

De Vulneribus superioris & infimi ventris.

Vulnera superioris & inferioris ventris si profunda non sint, nec vulnerent partes internas in hisce locis contentas, non differunt à vulneribus simplicibus, & debent curari ut simplicia vulnera: quòd si profunda sint, & vulnerent partes internas, tunc temporis differunt valdè, & periculosa sunt secundum partes quas vulnerant; ventriculus enim si vulneretur in sua substantia, & ita profundum sit vulnus, ut undiquaque perforetur, conclamatum est de salute ipsius vulnerati; ventriculus enim pars est spermatica, numquam agglutinationem & coagulationem recipit: si verò superficiatim vulneretur, potest curari in optimè temperato, & euchymo viro, à prudenti Chirurgo, & experto, & docto, medicamentis & balsamis adhibitis ex arte, & præscripto optimo vivendi regimine. In eo vulnere subveniunt dolores ingentes & crudeles, quibus succurritur oleo

 there-

therebentinæ, & balſamo mellis & ſacchari; plurimum enim conferũt hæc balſama, in ventriculi vulneribus curandis & agglutinandis: ſumuntur ad quantitatem dragmæ ſemis in lacte humano, & applicantur exterius tepidè immittendo in vulnus ipsũ ipſa balſama. Si verò hepar ipſum vulneretur profundè valdè, cõclamatum omnino eſt de ſalute ipſius vulnerati; ſi vero ſuperficiatim tantum, poteſt in euchymo corpore curari hoc vulnus, appoſitis balſamis ſanguinis humani & carnis humanæ, & interius aſſumptis, ad quantitatem dragmæ unius cum dragma ſemiſſe eſſentiæ ferri, in juſculo optimo, aut lacte humano uſtulato chalybe candenti: balſamarum etiam antimonii ſuperius deſcriptum multum & plurimũ confert ad curationem horum vulnerum; ſed omnibus præſtat tinctura ſanguinis humani, & balſamum carnis humanæ, quod eſt omnibus anteferendum. Interim dum hæc fiunt & vulnus ſic tractatur, non eſt ſilentio tranſeundum, quod mittendus eſt ſanguis ex baſilica brachii dextri ad quantitatem viribus vulnerati correſpondentem, & vulnerato conſulendum ut ſemper & aſſiduo, vulneri ſuo accumbat, ut pus & ſanies foras exeant, ne pariant copia ſua inflammationes internas & phlogoſes.

Eſſentia ferri & eſſentia colli multum etiam confert, ad curationem hujuſce vulneris & ſplenis, qui, ut & hepar vulneratum curari debet, obſervando eamdem methodum; non tamen adeò perículoſiora ſunt ſplenis vulnera, ac hepatis. Quod ſi omentum & inteſtina vulnerentur, ſequenti methodo procedendum eſt ad ejus curam: omentum imprimis illico intùs ſuo loco collocandum eſt, & reponendum; quod ſi aliqua pars ſui refrigeretur, illa pars ſecanda eſt, & reliquum omenti ſtrictè ligandum eſt, & intus reponendum, & pars quæ reſecta eſt, perungenda eſt,

ante-

antequàm intus reponatur, balſamo carnis humanæ, ut citius coaleſcat, imò ligamentum ipſum, quo ligatur omentum delibutum debet eſſe, & madidum balſamo eodem: deinde comprimendum eſt vulnus, ne iterum exeat omentum, & balſamis antimonii, carnis humanæ, & tinctura ſanguinis humanæ vulnus ipſum perungendum eſt ter in die, & vulnerato præſcribendum eſt regimen victus humidum, & refrigerans: oportet ut cibetur juſculis tantùm alteratis lactuca, cichorio, portulaca, & acetoſa, & adhuc parcè admodum cibandus eſt, ne cópia ciborum ingeſtorum tumeant inteſtina, & ſic impediatur eorum (ſi vulnerata ſint) curatio; nam inteſtina eadem methodo curari debent ac omentum, non tamen ullo pacto reſcindenda ſunt, ſed conſuenda filo aliquo tenui ſerico rubeo, balſamis prædictis delibuto, & vulnus externum hiſdem balſamis ſemper perungendum donec coaleſcat: tinctura ſanguinis humani poteſt aſſumi interiùs, & potari in vulneribus inteſtinorum & ventriculi, ut citiùs coaleſcant & agglutinentur: nec ſilentio & oblivione involvenda eſt ſanguinis miſſio, ad quantitatem viribus vulnerati correſpondentem: in omnibus vulneribus ſanguinis miſſio eſt potentiſſimum arcanum, ut ſymptomata mitigentur, & ne nova oriantur, quod curationem valdè accelerat.

Cap. XIII.

De Vulneribus Articulorum & juncturarum.

Articulorum & juncturarum vulnera differunt omnino ab aliis omnibus prædictis vulneribus, propter copiam nervorum, ligamentorum, tendonum, muſculorum, & oſſium quæ in his reperiuntur,

De Vulneribus articulorum.

tur, ſimul compacta & unita, ad articulationem complendam & perficiendam; quæ omnia in vulneribus ejuſmodi, alterationem & morbum patiuntur, ex ſympathia, & vicinitate loci vulnerati: & ſi aliquando omnes illæ ſimul vulnerentur partes, propter magnitudinem vulneris, quod cum ita ſit, partes vulneratæ rejiciendæ, & tollendæ ſunt, ut ſi oſſa fracta ſint, rejicienda ſunt, ſi nervi contuſi valdè, & ſciſſi, ſcindendi omnino ſunt, & à vulnere alia omnia extranea rejicienda veniunt, Antequàm curationem illius aggrediamur, rejectis his omnibus, ad ſanguinis miſſionem deveniendum eſt, & ad topica ſtatim remedia recurrendum, & ut vulnus compoſitum eſt, ſic & compoſita requirit balſama ut curationem debitam habeat. Sed antequam imponas balſama agglutinantia, applicandum eſt vulneri recenti emplaſtrum aſtringens & refrigerans, compoſitum ex croco martis, farina furva, aut farina hordei, aqua plantaginis, albumine ovi, omnia permiſcenda ſunt in forma cataplaſmatis, & frigidè vulneri recenti applicanda, ut inflammationem arceant, & ſanguinem ſiſtant: deinde duodecim tranſactis horis auferenda ſunt, & vulnus aqua frigida lavandum, & abſtergendum ab omnibus ſordibus, & balſamis prædictis ſuperioribus in capitulis perungendum: vel ſi Chirurgus non habet hæc balſama, poteſt uti ſimili balſamo donec alia habeat, quod cito ſic præparatur. Sumendæ ſunt quatuor, aut quinque libræ carnis arietinæ, aut vituli, aut bovis, & in fruſtula conſcindendæ ſunt & vitro indendæ optimè clauſo ne reſpiret, cum ſequentibus herbis. ℞. Ariſtolochiæ rotundæ radicis. ℔. ß. radicis ſymphyti majoris pulverati ℔. ß. Florum hypericonis m. j. vini optimi ℔. j. hæc omnia cum pulveribus Ariſtolochiæ & ſymphyti indenda ſunt in phiala vitrea optimè clauſa, & imponenda balneo

mariæ

mariæ bullienti, per quatuor horas his transactis auferendum est vas illud vitreum quod continet materias & dum adhuc calet, per inclinationem auferendus est liquor qui in eo continetur, cui addenda est therebentina Veneta, ad quantitatem unciarum quatuor, & parum simul in scutella terrea calefacere, ut simul uniantur, & vinum pedentim evaporetur, saltem pars aquosior: dum simul sunt unita, & incorporata, asservanda veniunt in balsamum satis præstans in curandis prædictis vulneribus, optimo præscriptio victus regimine.

CONCLUSIO SECTIONIS SECUNDÆ.

De Vulneribus.

CAP. XIV. & ULT.

SI quid in hoc tractatu silentio involutum sit, nec Asiatica facundia, & longissimo eloquio tractatum, id de industria fecimus; non enim omnia quæ pertinent ad Chirurgicam artem tradere voluimus quòd multi sint & ferè infiniti Medici, qui hoc egerunt: nos tantùm in lucem edere tentavimus ea quæ alii numquam tractarunt, nec meminerunt, nisi ænigmaticis circumlocutionibus, nulla methodo, nec ordine ullo. Quod fecimus in gratiam Alchymiæ, ut eam notā omnibus, si fieri potest, faciamus, & honorem suum, & laudem in tenebris detentam, & incarceratam tamdem in lucem educamus, ut videant omnes, Alchymiā veram esse scientiam, fundamentis certis, & firmis stabilitam, axiomatibus stipatam infallibilibus, quibus Philosophia & Medicina si decorentur, præstantiores & nobiliores multo sunt scientiæ, quàm dum communibus, & vulgaribus nituntur scholæ trivialis præceptis. Prætermisi etiam ex industria in hoc tractatu, compositionem & structuram partium vulneratarum, ut hinc perciperentur differen-

ferentiæ carnis, membranæ, & musculi, tendonis, nervi, ossis & cartilaginis, quænam ex primis nostris substantiis, sale, sulphure, & Mercurio, prædominium habeat, in compositione earum partium, hæc omnia omisimus, quòd Deo dante (modò ille sufficiens mihi largiatur ævum) in Physiologia Chymica (quam in lucem brevi editurus sum) fuse admodum tractaturus sim. Quæ cognitio est valdè necessaria Chirurgo, ut administrare queat balsama homogenea, & similia partibus vulneratis, ad agglutinationem & cicatricem laudatam accelerandam: nam partes carnosæ vulneratæ, exigunt balsama & postulant medicamenta quibus prædominetur, Mercurii substantia & vitæ sulphur, cùm caro his componatur prædominantibus substantiis; membranæ verò, venæ & arteriæ vulneratæ, expostulant balsama, in quibus prædominentur, sulphur & sal: Cartilagines verò, nervi & ossa requirunt balsama, quibus prædominetur sal, & præcipuè in ossibus ruptis agglutinandis, quia in eorum compositionibus natura ipsa, sal copiosum naturale posuerit: in cartilaginibus verò, & nervis posuit sal copiosum, & Mercurium, & propter Mercurium flexibiles sunt, & transparentes nervi & cartilagines. In omnibus balsamis in superioribus capitulis descriptis, & præscriptis, ad curanda vulnera, uniuscujusq; partis, hunc ordinem & prædominium substantiarum, salis, sulphuris, & Mercurii observavi, quod notum erit cuilibet Chymico, sagaciùs intuenti. Præscripsi etiam balsama universalia, ad curationem omnium vulnerum, in quibus æquali lance libratæ sunt substantiæ salis, sulphuris, & Mercurii; ita ut etsi simplicia sint, ut sunt tinctura sanguinis humani, balsamum carnis humanæ, balsamum antimonii, hæc tamen generales habent virtutes propter temperatum, & æquale harum substantiarum dominium in eorum compositione.

Ossa sal copiosum habent.

SEC-

SECTIO III.
DE ULCERIBUS.

CAP. I.
Quid sit ulcus secundùm Spagyricos Medicos.

MEDICI Galenistæ, ulcus definiunt solutionem continui in parte carnosa cum pure & sanie: Spagyrici Medici verò ulcus definiunt, alterationem balsami naturalis, in parte carnosa, per solutionem continui, quæ sale naturæ alterato, & corrupto, fit, & producitur: dum enim sal naturalis balsami, per quandam alterationem à suo naturali temperamento diffidet, acquirit statim vim corrodendi, & caustici potentialis facultatem, qua carnes, & reliqua cuncta adurit, & separat ab unitate continui: imò & caries ipsius ossis, ab acrimonia & urendi facultate, ipsius prædicti salis dependet, ita ut caries ipsius ossis nihil aliud sit quàm solutio continui, in ipsa ossis substantia, ab ipso sale acri, & mordaci facta. Galenici Medici in definitione ipsius ulceris, nullam mentionem faciunt de hoc sale, nec de ulla alia substãtia huic homogenea simili, aut aliqua ex parte correspondente: nam pus & sanies, quæ in ulceribus admittuntur ab illis, sunt balsamum vitæ corruptum & in pus degeneratum, à sale acri & mordaci, quod corrodit & corrumpit partes, quibus continetur balsamum, ita ut impossibile sit, has partes posse corrumpere, quin & corrumpat balsamum

Vlcus quid.

Pus & sanies in ulcerib. quid.

mum vitæ, his partibus contentum, quo balſamo, & partes ipſæ nutriuntur, conſervantur, foventur, & fiunt.

Cap. II.

De ulcerum cauſis.

Ulcerũ cauſa.

MEdici Galenici conſtituunt cauſas ulcerum omnium, omnes humores in corpore contentos, qui calore naturali poſſunt acquirere aliquam corrodendi facultatem, quique ad cutem amandati, tanquam ad ſentinam & commune totius corporis emunctorium, ibi ſuam exercent facultatem, partes corrodendo, & cauſticando, unde genus omne ulcerum & differentiæ prodeunt, ſecundùm humorum diverſitatem, ex quibus fiunt. Chymici Medici, humores non curantes, at tanquam vehicula quædam eſſe exiſtimantes, quibus deportatur cauſa immediata & proxima omnium ulcerum, ideò nullam mentionem de humoribus faciunt in recenſendis ulcerum cauſis; aſſerunt tantùm unicam eſſe cauſam ulcerum omnium, ſalem putà balſami naturalis, qui ſeparatus à balſamo naturali, calore ſui ipſius, aut alterius alicujus externi agentis, deſiccatur & calcinatur, & in illa calcinatione acquirit vim ſolutionem faciendi, in partibus, in quibus ita diſpoſitus & ſeparatus reperitur; ita ut cauſa antecedens ulcerum omnium ſit ſal, quod reperitur in balſamo noſtro naturali: cauſa verò conjuncta ſit ipſum ſal, qui reperitur in ulceribus ipſis & qui ſolutionem facit: hæ ſunt cauſæ antecedentes internæ: dantur adhuc externæ antecedentes, quæ ſalem ipſum, tum ulceris ipſius, tum balſami noſtri naturalis diſponant ad quandam deſiccationem & calcinationem: has cauſas Spagyrici Medici ad aſtra & influentias retulerunt quæ poſſunt virtu-

virtute sua ignea & astrali, salem disponere ad calcinationem, seu desiccationem, & coagulationem. Nam astra quæ prædominantur balsamo nostro, aliquando multiplicant salem, aliquando Mercurium, aliquando sulphur, ita ut quæ multiplicant salem, sint ipsa quæ possunt multiplicatione sui ipsius, ipsummet salem coagulare, & desiccare, & ita solutionem continui facere in aliqua parte, in qua reperitur talis multiplicatio, salisque desiccatio: hæc ipsamet astra, quæ in balsamo nostro multiplicant salem, possunt & in parte ipsa aliqua particulari, salem multiplicare, ibique ipsum calcinare & desiccare, & ita disponere ipsum, ad solutionem continuitatis ipsius partis, & ulcus producere, & esse causa ipsius ulceris externa, conjuncta & proxima, ut videre est sæpissimè in multis anni temporibus, in quibus ulcera prodeunt particularia in multis hominibus, & in una tantum regione, & non in altera, quod dependere ab astris certissimum est; epidemicum enim omne, à cœlo est, hócque ulceris genus difficile admodũ curatu est, quòd ut curetur, conjunctam causam tollere necesse est; astrum autem istud cùm sit causa conjuncta, sublatu quàm arduum est, & difficile, opus subtilissimi astronomi, & acutissimi & peritissimi physici est: nam ut tollatur hæc causa conjuncta, seu istud astrum, necesse est invenire aliud astrum terrestre efficacissimũ, quod & alterius astri, superiores virtutes & efficacias extinguere queat, aut impèdire ejus influentes virtutes, partem roborando, & ulcus cicatrizando reducto ad temperamentum debitum & naturale, balsamo ipsius ulceratæ partis: alimẽta etiam omnia, quæ sale mordaci, & acri abundant & scatent, ut sunt porri, allia, cepæ, raphani, & salita omnia, ut carnes, & pisces omnes sale

condi-

conditi, possunt esse causæ externæ antecedentes ulcerum: hinc fit ut omnes ferè Christiani post quadragesimale tempus, adventante verno tempore, in quo humores bulliunt, & multiplicantur, scabiosi fiant, quòd toto illo tempore quadragesimali, pisces sale conditos ederint & multa alia sali ta, quæ salem ipsius balsami naturalis multiplicā ipse verò multiplicatus & auctus, calore sui ipsi naturali & innato coagulatur & desiccatur, & fertur ad cutem, ibiq; pruritum excitat corrodendo cutem, & sic producitur scabies & aliæ cutaneæ defœdationes.

Motus etiam violenti corporis nostri, dum ipsum saltu, cursu violento, & continuo agitamus, possunt recenseri inter easdem causas antecedentes externas ulcerum: nam ipsi motus possunt balsamum naturale supramodum excalfacere, & dum hoc ita fit, si balsamum abundet sale acri & mordaci, amādatur per facultatem expultricem, in aliquam partem corporis, ibique desiccatur, & in sua desiccatione cutem corrodit, & partem, & producit ulcus secundùm mordacitatem & acrimoniam ipsius salis in partem amandati.

Causæ vero conjunctæ externæ, apud Spagyricos Medicos, sunt omnes res, quæ exteriùs applicatæ partibus nostri corporis habent virtutem & efficaciam eas corrodendi, & earum continuitatem solvendi, ut sunt omnes aquæ fortes, & caustica potētialia, & herbæ quamplurimæ, ut Ranunculus, flammula, scrophularia major, & multæ aliæ, quibus mendici quamplurimi, nebulones & perditi, tibias & crura sua ulcerant & dilaniant, imo & caput suum tinea defœdant, ut eleemosynam & aliquid argenti & auri, & victus ab avaris hominibus extorquere possint, quæ tamen ulcera sola vini lotione,

tione, quàm citissimè curantur, quia succus plantæ ulcerantis eluitur, & tollitur qui est causa externa conjuncta, unde pars citò suo innato balsamo curatur: Quod ita posset fieri in aliis naturalibus ulceribus, si causæ antecedentes omnes & externæ conjunctæ possent ita cito tolli: hoc opus autem difficile admodum est medicamentis vulgaribus, & balsamis Spagyricis: hoc solum relinquitur possibile tincturæ Philosophorum, & balsamo Arabico universali, quod cito temperet omnes humores.

CAP. III.

De differentiis ulcerum.

Vlcerũ differẽtia.

Differentiæ ulcerum, apud Spagyricos Medicos desumuntur, aut ex causa eorum materiali & efficienti, quæ sal est, vel ex locis & partibus, quas ulcera occupant & infestant. Galenici vero desumunt differentias ex causis & symptomatibus omnibus quæ in ulceribus superveniunt; quas quidem differentias probant ut & Spagyrici: primas quidem tanquam suas, secundas vero tanquam externas & accidentales: quantum autem ad causas Chymicas attinet, audacter assero, esse adeo cognitu necessarias omni Chirurgo; ut si eas ignoret, non possit mereri nomen & titulum perfecti, & peritissimi Chirurgi; non enim ulcera omnia curare poterit, si causas eorum ignoret, quod remedia convenientia & apta non possint excogitari ad curationem ulcerum, ignoratis eorum causis. Si sal verbi gratia alicujus particularis ulceris ignoretur, qua ratione poterit Chirurgus invenire aliud sal, quod sit contrarium alteri sali ulcus causanti, ut ignem illius extinguat, & virtutem corrosivam temperet; in quibus totus curandi cardo versatur: nam sicut in ma-

in magno mundo ſal tartari, ſalem aquæ fortis extinguit, & ita temperat, ut ſine noxa ulla portari queat aqua fortis, modo ſal tartari in eam projiciatur; ita in parvo mundo, in homine puta, ſal tartari extinguet omnia ulcera, quæ fient à ſale vitrioli, aut nitri, & ſic de reliquis fiet, modo eorum antipathiam ſciamus. Id non ſolùm in ulceribus cognoſcere prodeſt; at etiam in calculo & arthritide, & aliis ejusmodi, quæ à ſale balſami noſtri fiunt: ſi cognoſcas, ſtupendos prodes effectus: nam calculum & arthritidem certiſſimè curabis, ſi coagulationes & ſolutiones ſalis habeas notas; nam ſal coagulatum à ſoluto diſperditur, & ſolutum à coagulato curatur: hoc ſal reperiri in corpore noſtro nullo pacto ambigendum, cum urinæ & lachrymæ per ſe ſatis ipſum teſtentur. Itaque nullo pacto etiam ambigendum eſt, differentias omnes ulcerum ab eodem ſale dependere: cum autem ſalis ſpecies in macrocoſmo ſit multiplex, multiplex etiam erit in microcoſmo ſalis ſpecies, & proinde etiam erunt multiplices ulcerum differentiæ. Quod autem attinet ad differentias quas Chymici deſumunt ex locis affectis, non curant valdè, quia eſſentiales non ſunt differentiæ, nomenque tantum ulceribus dăt, & eatenus Chirurgo conſilio ſunt, ut ea ulcera curet & tractet, ſecundum temperamentum partis, quam occupat ulcus; nam ulcera capitis debent mitius tractari, ulceribus cruris & tibiæ, & ſic de reliquis quibus ſemper conſideranda eſt pars affecta, in eaque adhibere medicamenta competentia, & correſpondentia temperamento partis, ut ejus robur, facultas, & balſamum ipſius partis in ſuo vigore quantum fieri poſſit, conſervetur.

CAP.

CAP. IV.

De Diagnosticis & prognosticis signis ulcerum omnium.

QUemadmodum in macrocosmo, metalla quæ in subterraneis locis generantur, suæ generationis signa diagnostica in superficie terrę ostendũt, & ut arbores, lapides, & plantæ, imò & animalia ipsa signa apparentia præmonstrant suæ generationis, in quocunq; loco fiant. Sic & ulcera in microcosmo dum fiunt, & producuntur, etsi præter naturam sint, præmonstrant signa certissima suæ productionis, sive interna, aut externa fiat eorum generatio: nam ulcera Renum notantur urinis turbulentis crassis, cum hypostasi multa, aliquando alba ut lac, & obscuro seu obtuso dolore in ipsa Renum regione; vesicæ verò ulcera indicantur urinis acribus, mordacibus, cruentis, purulentis, furfuraceis atomis scatentibus, & fœtentibus, & dolore & partis pondere. Ulcera vero intestinorũ præmonstrant dolor acutus, & magnus, pus & sanies in excremẽtis tertiæ coctionis. Pulmonum verò ulcera ostendunt tussis, excreatio sanguinolenta vel purulenta, & fœtida, dolor obtusus in pectore, febricula. Capitis autem ulcera manifestant dolor continuus, & magnus, capitis pondus, vigiliæ, puris & saniei egressio per aures aut nares continua & frequens, cum frequenti sternutatione. Ulcera vero externa, quæ in partium superficie adnascuntur satis, manifesta sunt, adeò ut signa diagnostica non expostulent ut inducentur; sufficit enim oculus, ut percipiantur. At ut in principio eorum ortus notentur qualia sint, difficile admodum est: non secus, ac in ortu alicujus arboris, aut plantæ arduum est, & difficile cognoscere quales arbores, & plantæ sint.

Itaque

Itaque ut cognoſcantur ulcera quæcunque in ipſorum ortu imitandi ſunt Medici Botannici, qui frequentiſſima arborum & plantarum ortus inſpectione tandem dum tantum pullulant plantæ, earum notitiam habent: ſic & Chirurgi, pauperum hoſpitia frequentare debent, eorumque morbifica corpora tractare, ut ulcerum ortum individuum, & particularem notum & apertum habeant.

Prognoſtica verò ſigna ulcerum internorum, difficilia admodum ſunt; nihilominus ſi Chirurgus ſpectet eorum ſymptomata, an magna ſint: ſi pus copioſum & ſanies per emunctoria egrediantur: ſi ulceratus debilis ſit, & in dies debilitetur, & macreſcat, ſi diſcoloratus, & facie Hippocratica, ſi cacochymus ſit, ſi febre laboret acuta, & magna, conclamatum erit certiſſimè, de ſalute ipſius ægrotantis: ſi verò contrà, ulcere affectus febre non laboret; & in dies ejus vires valeant, & colore vivifico; ſeu roſaceo ejus facies tingatur, & leviſſima ſint reliqua ſymptomata, ſperandum erit de ſalute ipſius ulcerati.

Externorum autem ulcerum prognoſtica ſigna deſumuntur ex profunditate ulceris, ex colore livido, ex figura rotunda; ex colore plumbeo ipſius ægrotantis, ex febre, ex macie corporis univerſali, ex cauſticante, & corrodente humore, qui ex ulcere effluit: hæc omnia ſigna ſimul ſumpta, teſtantur ulcera maligna, cacoëthea, & curatu difficilia; imò & aliquando impoſſibilia in nonnullis, niſi magnâ illâ & nunquam ſatis laudatâ Chymicorum unica & ſola Medicinâ, quam tincturam fixam dicunt, & Elixir. Ulcera vero quæ ſunt cum pure albo digeſto & cocto; ſine fœtore magno; & ſine magnis ſymptomatis; quæque ulceratum nullo livido colore defœdant, ea omnia ulcera curatu facilia ſunt;

& ſpe-

& speratæ salutis: de quibus adhuc in Capitulis subsequentibus in particulari dicemus.

Cap. V.

De ulceribus internis capitis.

Cerebrum & caput hominis, cùm sit pars suprema partium omnium humani corporis, & sit figuræ rotundæ, suscipit in se omnes vapores, qui sursum feruntur, ex partibus internis: hi autem vapores sunt tenuissimæ Mercurii vitæ partes aquosę, & humidæ, quæ dũ spiritu salis denudantur omni, nunquam cerebrum caputq; offendunt: at sine noxa per emunctoria communia foras pelluntur à facultate expultrice: si verò detineatur, poriq; majores & minores impleantur illo aquoso humore, apoplexia tẽtatur caput, & similibus morbis frigidis & aquosis, si vero humores illi, qui sursum feruntur ad caput, salis spiritu copioso turgeant, adhærẽt aliquando membranis seu meningibus ipsius cerebri, & partibus aliis interioribus ipsius capitis, in hisq; coagulatur ipse salis spiritus, & desiccatur, & sua innata facultate corrodit partes, & inflammat, & sic ulcera interna producit. Itaque cum aliquem invenimus, qui conqueritur de dolore fixo, & permanenti alicujus partis capitis, cum pondere & cũ purulento muco, aut cum excremento auris purulento & fœtido, & copioso, & sanioso, tunc temporis suspicandum est, de ulcere interno capitis, quod hac methodo curare poteris. Inprimis observata ægrotantis ætate, viribus, & temperamento, regione, & tempore, mittes sanguinem ex cephalica lateris dolentis ad sufficientẽ quantitatem, & deinde purgandus est ægrotus, pulvere Catholico antimonii superius descripto, & ter aut quater repetenda est purgatio, interpositis duobus aut tribus diebus, ab

una purgatione ad alteram: purgato corpore, per quindecim dies sumenda est hæc potio vulnerea, summo manè jejuno ventriculo, superdormiendo si fieri possit. ℞. succi limonum aut malorum aurantiorum recentis ℥ j, Aquæ cinnamomi ℥ ß. balsami sanguinis humani, aut carnis humanæ, aut Antimonii ℥ j. olei sacchari ℥ ß. misce fiat potio, detur mane servato regimine præscripto. Interim donec curetur affectus cibandus ægrotus alimẽtis euchymis, & facilis digestionis, & vinum aqua temperatum & dilutum potandum est, & parcè admodum cibandum est, ne vapores copiosi ad caput sursum ascendant, somnusque omni arte conciliandus, & quies summa. Aqua stillatitia radicis recentis Aristolochiæ rotundæ plurimum confert, ea ipsa aqua potest vinum dilui: tinctura etiam Aristolochię rotundæ naribus & auribus inspirata, & instillata, aut per vapores assumpta confert ad eandem curã: pars etiam quæ dolet maximè, pilis denudanda est, & balsamis prædictis perungenda, ut per poros cranii vaporatim aliquid ejus medicamenti subtilissimi ad ulcus penetrare queat.

Quod si post quindecim dies non cesset affectus, permanentibus in vigore suo symptomatis omnibus, deveniendum est ad aperturam ipsius cranii, beneficio trapani: aperiendum autem est cranium in parte ipsius doloris, suturas evitando: aperto cranio, balsamo antimonii, aut balsamo carnis humanæ, aut sanguinis, aut aliis similibus compositis balsamis superioribus in capitulis descriptis, perungenda sunt linteamina delicata & tenuia, & vulneri seu cranii aperturæ superponenda, & bis quotidie mutanda, observato eodem regimine & custodia, anteà præscripta, donec curatũ sit ulcus omni ex parte.

CAP. VI.

De ulceribus internis pectoris.

PEctus & ejus partes internæ, cùm nutriantur balſamo naturali quod ſale cõditur, quod quidem cum aliquando, & in nonnullis hominibus ſæpiſſime turgeat, & calcinetur, ſuomet calore naturali tũc temporis ulcera, ut in reliquis corporis humani partibus excitat, & producit, quorum differentiæ dependent ex ſpecie ſalis ulcus efficiẽtis, aut ex ejusdem diverſa calcinatione ſeu deſiccatione: dignoſcuntur autem ulcera pectoris, tuſſi continua & frequenti quæ ægrotos diſcruciat, cum pure & ſanie ſimul permixtis, ab ulcere promanantibus, cum dolore parvo & pondere totius pectoris, & febre lenta, & continua, quæ dependet ex communicatione inflammationis partium ulceratarum cum proximo corde, quod dũ inflammatur, cæteris corporis univerſi partibus, febrem ſuã illico communicat. Rubedo maxima in genis apparet, quòd ramus venæ azigos, qui toto pectore extenditur, inflammetur per communicationem partis ulceratæ.

Methodus curandi hæc ulcera, eſt victus regimen humectans & refrigerans radicaliter, ut vitæ Mercurius multiplicetur, qui ſalis acrimoniam temperabit, & eum diſſolvet, & à ſua ſiccitate & calcinatione privabit, unde lac humanum, aſininum & ſimilia lacticinia conferunt valde hiſce ulceribus curandis, quòd humido polleant & turgeat radicali, quo reficitur & reſtauratur Mercurius vitæ, ſeu humidum radicale deperditum, tum à calore præter naturam febris ab ulcere promanantis, tum à ſale ipſo deſiccato, & calcinato, ulceris cauſa & materia. Balnea etiam aquæ dulcis tepidæ, valde proſunt, quia ſua abundanti humiditate per po-

ros corporis penetrant, & ſal ipſum diſſolvunt, & ejus acrimoniam temperant. Arcanum autem & ſecretum tutiſſimum, & certum curandi hoc ulcus, conſiſtit in potione frequenti, & continua alicujus humidi radicalis, alicujus mineralis, aut metalli, modo purum putum illud humidum radicale habeas, omni acrimonia denudatum. Oleum commune vitrioli modo dulcoretur rectificando ipſum ſuper limaturam chalybis; arcanum eſt mirum in curatione hujus ulceris, & totius morbi, permiſcendo ipſum oleum, ad quantitatem ℥ ß. cum ℥ vj. lactis humani, per menſem continuando potioné: balſamum etiam ſulphuris, ſeu tincturam ejus extractam beneficio ſpiritus vini, ex ſpiritu therebentinæ, qui ſecum habet flores ſulphuris diſſolutos; ejus inquam tincturam, in oleum diſtillatione converſam, valde etiam conferre aſſerimus: oleum etiam margaritarum: at omnibus præſtant medicamentis olea ſeu balſama metallorum dulcia, quæ non ſolùm ulcera hæc ad laudatam cicatricem conducunt, ſed etiam humidum radicale totius corporis deperditum reſtaurant, & reponunt, & ſalem balſami naturalis calcinatum & deſiccatum diſſolvunt, & temperant, & ad ſuum naturalem ſtatum, & temperamentum deducunt, in quibus vera conſiſtit cura horum ulcerum, & hecticæ febris, quam ariduram humani corporis dicunt Medici Spagyrici. Hæc medicamenta omnia, in myrothecio deſcripta ſunt, ſuis peculiaribus Capitulis.

CAP. VII.

De ulceribus internis ventris.

De ulceribus internis ventris.

VEntris ulcera producuntur, ab unica & eadem cauſa, à qua reliqua cauſantur ulcera; nam ſal balſami naturalis, eſt cauſa ulcerum omnium; quæ in cor-

in corpore humano oriri possunt; & si diversa sint & contraria, illa diversitas dependet, non ex causa: at ex diversitate subjecti, & partium in quibus fiunt ulcera, quæ partes, cùm diversæ sint, & contrariæ operationem causæ variant & mutant, causamque materialem diversificant & variant, causæq; etiam univocæ, secundum subjectorum diversitatem, diversos producunt effectus. Nihilominus cura horum ulcerum, quamvis methodum habeat diversam habita ratione partium affectarum, unica & eadem est scopum enim habet unicum & eundem, putà temperiem salis, & dulcedinem.

Intestina ergo, & omnes aliæ partes, quæ in capacitate ventris coërcentur, possunt calcinationem & desiccationem salis balsami naturalis pati, & eatenus ulcerum omnium multiplices differentias, curatu admodum difficiles, quòd venter sit centrum totius corporis, in quod, veluti in sentinam quandam, & cloacam, excrementa omnium humorum demandantur, & deferuntur, & præcipuè salis excrementa, quæ vesica continentur, & ni partes omnes illæ ventris, humidæ admodum essent, ulceratæ semper fierent à copioso salis excreméto, quod in his partibus continetur, at humiditas harum copiosa partium, salem dissolutum continet, & ejus acrimoniam coërcet & temperat, ne partes quas tangit ulceret. Ad curanda ergo hæc ulcera, imitanda est natura, quæ cum has partes humidas naturaliter habeat, humidas etiam conservandas oportet, tum regimine victus humido, & refrigeráti, tum balneis tepidis aquæ dulcis: deinde præscripto regimine, possunt adhiberi medicamenta cicatrizantia, & desiccantia ipsum ulcus, ut sunt crocus martis, ejus tinctura, & oleum: sal dulce & volatile, quod variis distillationibus & putrefactioni-

busex aqua communi elicitur, est absolutum & completum remedium horum ulcerum: oleum ceræ etiam mirum est, in curandis omnibus hisce ulceribus, quod ad quantitatem dragmæ unius, cum juscúlis potest permisceri.

Si vero ulcera sint in intestinis, hæc medicaméta omnia possunt per clysteres, & enemata carminativa, & anodyna in intestina deferri, & deportari veluti hoc enemate quod plurimæ est efficaciæ, in curandis deploratis dysenteriis. ℞. Muscilaginis seminis cydoniorum, aquæ rosaceæ aut plantaginis extractæ ℔. j. butyri recentis ℥. vj. olei ceræ ℥. j. croci martis ℥. ß. mumiæ vitæ ℥. j. misce fiat clyster iniiciatur tepidè bis in die, serò & manè. In myrothecio habes hæc omnia medicamenta clarissimis descripta verbis.

Cap. VIII.

De ulceribus ex influxu astrorum.

De ulceribus ex influxu astrorũ.

Cum ulcera reponantur in morborum numero, secundum omnes Medicos, nullo pacto ambigendum quin & ab astris causari & produci possint: bubones, carbunculi & dysenteriæ sæpissimè ab astris excitantur, in hac miseriarum valle. Quomodo verò & qua occulta rerum efficacia, id efficiatur, demonstrãdum venit. Certo certius est, omnes & quascunq; mundi partes, esse ipsi mundo utiles, & nihil in rerum natura inutile posse reperiri, ita ut partes omnes hujusce mundi, inter se invisibili catena vinciantur, & una egeat alterius ope, ad sui cõservationem. Vita quæ omnibus rebus inferiorib. communicatur, eget vita superiori, hoc est cœlesti vita, calore putà cœlesti, ut conservetur: hinc cœli habere eandem materiam radicalem, & substantialem cum substãtia sublunarium rerum certum est: diffe-

dientem tamen & diversam, ab ipsa nostra substantia, ratione accidentium, quæ in cœlo permanentia sunt, & incorruptibilia, nobis verò caduca, & mutationi obnoxia. Hæc substantia cœlestis permanens, & incorruptibilis, est luminis plena: hoc verò lumen nihil aliud est, quàm vita, & hæc vita, nil nisi calor. Sublunaria quæq; in centro suo scintillulas aliquas hujusce luminis obtinent, quibus vivunt & subsistunt. Nihilominus tamen adeò excrementis, & tenebris multis obruitur, ut nisi indesinenti fluxu & refluxu cœlestis luminis, foveatur & conservetur, illico extinguatur & pereat: descendit autē in hæc inferiora hoc lumen, seu vita cœlestis, per radios cœlestes, qui per totum aëris spatium sparguntur, & illi communicant vitam hanc è cœlo expirabilem, unde nos & viventia cuncta aëre indigemus, sine quo ne momento quidem subsistere possumus. Calor ergo hic cœlestis, lumen seu vita, quæ nobis aëris medio, è cœlo descendens communicatur, est similis & homogenea radicaliter & substantialiter nostræ substātiæ qua vivimus, alioquin esset incommunicabilis, & nullo pacto vitæ nostræ competeret. Si ergo similis sit substantia, necesse est ut componatur tribus primis substantiis, sale, sulphure, & Mercurio, uti & nostra substantia, seu balsamum nostrum, quo vivimus componitur: at in cœlesti lumine seu calore vitali, hæ primæ substantiæ, sal, sulphur & Mercurius, adeò subtiles sunt & spirituales, ut nisi inter descensum elementis misceantur, & aëris corpus induant, nobis permisceri nequeant: ideò Deus & natura elementa constituit, ut hæc substantia puro elementorum aëreo corpori permisceretur, & ita nostro jungeretur balsamo, inspirationis & transpirationis ope, qua utuntur viventia cuncta, & reliqua omnia quæ sub-

Vita quid.

Vita qua ratione è cœlo descendat.

ſubſiſtunt: aërea enim illa vitalis ſubſtantia, ſpiritu cœleſti ſeu lumine plena, cùm admodum ſubtilis ſit, & penetrans, omniaque corpora ſublunaria poroſa ſint, quibus tranſpirant, adeò per poros illos ſe inſinuat illa ſubſtantia, & jungitur ſubſtantiæ radicali mixtorum omnium, ad ſui conſervationem. Addam & ego, quod inter has ſubſtantias inſit magnetica quædam virtus, & occultus amor, quo invicem vinciuntur, & ſe trahunt ut ſuis ipſis potiantur amplexibus: hinc ſympathia & antipathia rerum omnium dependet, ut in Palladio noſtro docuimus. Hæc refocillatio ſeu fotus exterior & interior ope aëris ſpiritu cœleſti pleni factus, gradus, proportiones, & qualitates balſami noſtri, & temperamentum obſervat, & quamdiu æquatur noſtro balſamo, tamdiu ſanè vivimus; cùm verò hæc ſubſtantia cœleſtis inæqualis eſt noſtro balſamo, ita ut ſulphur, Mercurius, aut ſal, prædominium habeāt, aut aliqua inficiantur maligna qualitate, & ſic harmoniam non obſervet, cum noſtro balſamo, neceſſe ut nos malè habeamus, & ægrotet corpus, quod tali balſamo vivit. Itaque ſi ſale redundet, planetarum & corporum cœleſtium aſpectu, quæ radiis ſuis huic ſubſtantiæ vitali, ſeu lumini (quod Chymici omnes, ſpiritum mundi dicunt) infundunt ſuam peculiarem naturam & vim, præpotentē quidem, & magnam pondere & menſura, adeò ut pondere iſto præter naturam, in ſpiritu mundi conſtituto, actiones ejus pervertantur, & vitalibus contrarient, & adverſentur facultatibus, cum tamen antea dulci harmonia & cōnexione trium primarū ſubſtantiarum vitæ admodum noſtræ competerēt, neceſſe eſt ut fiant morbi varii, ſecundùm varias balſami noſtri alterationes, ab ſpiritu mundi factas & cauſatas. Si ſpiritus ſalis cœleſtis prædominetur

Sympathia & antipathia unde.

Sanitas unde.

ſpiri-

spiritui mundi,seu humido radicali, quo vivimus & humidum nostrum fovetur & conservatur: si prædominetur inquam influxu Saturni, & Martis, qui potissimum salem in omnibus rebus multiplicant, hic spiritus sale Saturni & Martis impragnatus, & turgens, si nostro humido quo vivimus jungatur, & connectatur, salem nostri balsami multiplicabit, & qualitates suas omnes malignas,aut benignas,in ipsũ balsamum immittet: turgens vero sal sua siccitate, humidum omne bibet, & sic calcinabitur & corrosionem & acres mordacesque qualitates adipiscetur, & sic ulcera varia, secundum malignas,aut benignas & varias omnes Saturni,& Martis qualitates, in corpore nostro constituet, & producet, sic fiunt ulcera ab astris in nostro corpore. Quod difficile admodum fuisset intellectu, nisi prædicta omnia latissimè explicassem: obscurius enim quàm par sit, dictum fuisset, si tantum dixissem: spiritum mundi, ex astris factum & conflatum, eorumque qualitatibus seu influxibus malignis, aut benignis impraegnatum, nostro balsamo junctum,constituere ulcera omnia quæ in corpore humano solent oriri, ni latius explicassem conformitatem & homogeneitatem substantiæ cœlestis, & nostræ, ex descensu spirituosæ substantiæ cœlestis quæ ex astris omnibus,tamquam ex perenni fonte dimanat, ut jungatur nostræ substantiæ,eamq; foveat & nutriat,& in ista connexione,fotu,& nutritione, si spiritus mundi, qui è cœlo descendit, maligna aliqua qualitate inficiatur, eadem ipsamet qualitate qua ipsa inficitur, inficit etiam & nostrum quo vivimus spiritum,ex qua infectione dependent morbi omnes,qui fiunt ex astris, quorum curam fieri impossibile est,dum astra quæ inficiunt spiritum mundi vigent & pollent sua inficiendi potestate. Linquenda est aliquamdiu cura, donec influxus malignus tran-

ſierit, & mutatus fuerit, & interim membro ulcerato ſuccurrẽdum balſamis externis, vigorantibus & roborantibus internum membri balſamum, ut reſiſtere queat ſpiritui mundi, aſtrorũ maligno aſpectu infecto, ne dum viget & jungitur noſtro, valeat noſtrum pervertere, & ſuis qualitatibus inficere, quod præſtare valde arduum eſt, & Medico ſummo & peritiſſimo dignum; nã pauciſſimi ſunt, imò nulli, qui hęc omnia cogitent. Cùm ergo in aliquod ulcus incurabile incides, quod ſpernit medicamenta balſamica interius ſumpta, & exterius applicata curandi capacia, certum tibi ſit, & notiſſimum, conſtellationem quandam, quæ huic ulceri prædominatur, curationẽ illius retardare, & impedire, quòd cauſas ejusdem ulceris materiales & efficientes, foveat & multiplicet. Itaq; omnis cura adhibenda eſt, ut planeta talis ſeu conſtellatio nobis nota ſit, & poſtquam cognoverimus ipſam, quærenda eſt conſtellatio quædam terreſtris, hoc eſt mixtum quoddã, quod correſpondeat cœleſti conſtellationi ulcus cauſanti, in cujus balſamo, ſeu interna ejus eſſentia, conſiſtet abſoluta, ulceris hujus cura. Ut verbi gratia detur homo temperamenti melancholici, nigri capillitii, nigræque faciei, taciturni eloquii, & rari, inceſſusque gravis, qui cancro aliquo maligno afficiatur, in aliqua ſui corporis parte. Saturnus absq; dubio erit planeta dominans, & infundens ſuam malignitatem tali ulceri, & ejus curam retardabit & impediet, itaque Medicus prudens & doctus, recurret ad plumbum quod eſt Saturnus terreſtris, & correſpondet omnino Saturno cœleſti, ejusq; malignitatem temperat & frænat; itaque elicito oleo ſeu balſamo dulci ex eius ſubſtantia, curam certiſſimè abſolvet hujus cancri, & maligni ſaturnini ulceris; vel confugiet tãquam ad ſacratiſſimam ancho-

um & tutiſſimam, ad balſamum auri ſeu ſolis, qui correſpondet omnino ſoli cœleſti & habet homogeneas virtutes & efficacias: nam ſicut ſol cœleſtis ſeu aſpectu & conjunctione refrænat, & temperat ſuo benigno lumine & vitali omnes planetarũ malignos aſpectus, & influxus; ſic & aurum ſuo benigniſſimo & vitali nectare, omnes qualescunq; ſint humorum malignos affectus, aſtrorum ſpiritibus imprægnatos, moderat & lenit: ſic aurum potabile, verum & legitimum, non fucatum nec potabile, curabit omnes internos, & externos affectus.

Remedium omnium morborũ quale.

Primum, verum, legitimum & potabile aurum, eſt Elixir Arabicum, ſeu lapis Philoſophorum antiquorũ, cujus qui habent notitiam Dii potius haberi merentur quàm homines, hæc enim cognitio Angelos potius decet, & Deum, quàm homines: Paratur autem ex antiquorum omnium Philoſophorũ qui hunc lapidem viderunt, & fecerunt ſententia, ex humido interno radicali metallorum, quod & Mercurius dicitur, cujus eſſentia ſeu liquor perennis, terreſtrẽ quandam ſubſtantiam fixam cõtinet, quæ ejus aurum & ſulphur dicitur, quæ quidẽ ſubſtantia terreſtris in ſuo humido cocta, putrefacta, & ad puram ſubſtantiam redacta, verum eſt aurum potabile antiquorum cujus ope, vita in noſtris corporibus invitis morbis cunctis retineri poteſt, & multiplicari, & juventus conſervari in ſuo vigore, de cujus virtute, & operatione, ejusq; compoſitione totum Palladium noſtrum refertum eſt, & adhuc Deo favente, Panchymicum in lucẽ dabimus, quod lucem adhuc majorem & ampliorem de ejus compoſitione Chymicis omnibus dabit.

Sunt tamen & aliæ auri eſſentiæ, ſeu tincturæ, quæ eliciuntur ex auro communi, quæ auri potabilis nomen, falsò apud vulgus Chymicorũ ſibi vẽdicant,

dicant, quæ quidem magni ſunt momenti ad curam omnium morborum, non tamen ſunt aurum potabile antiquorum; imò quid multò vilius: non tamen ego eas reprobo auri eſſentias, at magni facio, & præcipuè eſſentias has, quæ parantur ex auro communi calcinato, & ſoluto in ſpiritu ſalis communis, à phlegmate ſuo vindicato, vel auro tonanti ſoluto, in eodem ſpiritu ſalis, vel ex auro communi foliato, cum oleo vitrioli rectificato, & à ſuo phlegmate depurato, cum illo enim oleo per digeſtionem ſatis levem tinctura rubicundiſſima ex auro elicitur, quæ magni eſt valoris in ulceris cujuſcumque curatione modò dulcoretur ex infuſione limaturæ chalybis in ipſum oleum vitrioli, quæ limatura ejus tincturam multiplicat, & cicatrizandi virtutes.

Caput IX.

De Vlceribus Simplicibus.

De Vlceribus ſimplicibus.

Medici Spagyrici ulcus dicunt ſimplex, quod cauſatur à ſale ſimpliciter corroſivo, nulla alia maligna qualitate prædito: nec ulcus ullo alio ſymptomate circumvolutum. Vlcera hæc ſimplicia proveniunt ex ſale balſami naturalis abundanti, qui copia ſua deſiccatur & coagulatur ſuomet naturali calore cum quo coagulatus eſt, & deſiccatus, ab harmonia & temperamento reliquarum duarum ſubſtantiarum, ſulphuris putà & Mercurii balſamum naturale conſtituentium, ſeparatur & disjungitur, & à facultate naturali expultrice amandatur in aliquam corporis partem, ibique magis ac magis deſiccatur & calcinatur, & ſic corroſionem acquirit & ulcerat partem, in quam amandatur, ſimplici ulcere, ſi ſal nulla alia maligna qualitate, quam ſimplici corroſione afficiatur. In omnibus corporis partibus hæ ulce-

ulcera ſimplicia poſſunt oriri, quia in omnibus partibus, tam internis quam externis poteſt ſal ſuperabundare, & calcinari ſuomet calore: hinc oriuntur omnes herpetes, ſerpigines, ſcabioſa lues, & cæteræ ſimplices cutaneæ excoriationes, quando ſal naturale balſami noſtri abundans, ejus ſubtiliſſima pars ſublimatur ad cutem, ibique deſiccatur, pruritum excitando, & pendetentim cutem excoriando, cum aliqua carnis ſubjacentis parte. Quòd ſi ſal ſit fixior, & craſſior, profundè magis ulcerat, non tamen facit differentiam ulceris ſimplicis, modo nullis aliis qualitatibus, quàm ſimplici corroſione partes afficiat, nec proinde methodum curandi mutant, ſed iiſdem & ſimilibus omnino balſamis, & medicaminibus curari poſſunt. In primis obſervandum eſt in eorum cura, ut alvus expurgetur craſſioribus excrementis, ut ſal & tartarus à natura in locis ſegregatus & depoſitus expurgetur: Expurgata alvo, deveniendum eſt ad phlebotomiam, ut miſſo ſanguine calor naturalis temperetur, & balſamum naturale frigidius multo quàm anteà reddatur; & ita ſal quod inibi latet, abundans, non deſiccetur & coaguletur, utpote frigidiore facto balſamo, quòd frigiditate ſua & humore, ſalis caliditatem & ſiccitatem temperabit, ejuſque acrimoniam vincet: præſcripto deinde victus regimine humectante & refrigerante, balſamum adhuc frigidius reddetur, & ſic ſalis acrimoniam fortius vincet, & diſſolutum intrà limites ſui temperamenti continebit; ſi enim tale permaneat impoſſibile eſt, ut ulcera ulla producat & conſtituat. Uſus lactis, & ſeri lactis maximè confert ad hanc rem obtinendam, balnea etiam aquæ dulcis tepidæ plurimum conferunt ad acrimoniam ſalis balſami naturalis contemperandam. Purgationes verò minimo ſunt, & debent eſſe in uſu, quia calfaciunt naturale balſamum

&

& calorem augent præter naturam in corpore humano, beneficio cujus sæpius qui scabiosi sunt, scabiosiores evadunt, quod calor præter naturam auctus, in corpore deficcet & calcinet sal corporis, & amandet in superficiem cutis, ibique scabiem producit: confert tamẽ hac in parte alvum habere fluidam, & laxam: at id procurandum est clysteribus emollientibus, & prunis dulcibus in cœna sumptis ante omnes alios cibos. Postquam hæc omnia facta fuerint, balsamum sulphuris sufficit ad ulcuscula illa cutanea curanda, aut aqua sclopetaria, vel aqua in qua cuprum candens sæpissimè extinctum fuerit, vel viride æris ebullierit, de qua aqua lavandum est sæpè in die ulcus.

Cap. X.

De ulceribus complicatis.

De ulceribus cõplicatis.

Complicata ulcera differunt toto cœlo à simplicibus, secundum Medicorum Spagyricorũ sententiam, beneficio symptomatum quæ à sale caussantur, dum præter simplicem calcinationẽ, & corrodendi facultatem malignis quibusdam qualitatibus astralibus, aut aliis afficiuntur, quæ inficiũt ulcera, & complicata cõstituunt multis variisq; symptomatis, ut inflãmatione maxima, tumore magno, duritie maxima, sanguinis seu balsamĩ naturalis fluxu, fœtor & dolor maximus, & partis ulceratæ torpor, & multa alia symptomata quæ immediatè non dependent à corrosione ipsius salis ulcus caussantis, sed ab intẽperie quadam maligna ipsius salis quæ trahit in intemperiem aliam, Mercuriũ & sulphur, duas alias substantias balsamum naturale cõstituentes, quæ quidem dum intemperatæ sunt, aut corruptæ, varia symptomata unà cum sale, in ulceribus constituunt, & sic complicata oriuntur

ulce-

ulcera: ex eodemque ſale ſimplici poſſunt etiam oriri ulcera complicata, quia in ipſo ſale ſimplici, poſſunt ab aſtris, & ab aliis cauſis pro catharticis introduci aliæ qualitates, præter ſimplicem corroſionem, ut ſunt omnia enumerata ſymptomata.

Itaque ulcerum omnium complicatorum cauſæ conjunctæ, & materiales ſunt ſulphur, Mercurius & ſal; ſal autem eſt cauſa principalis & primaria, quia ab hac ſola cauſa, ſulphur & Mercurius fiunt aliæ duæ cauſæ: nam à ſale corrumpuntur & alterantur, ita ut una cum ſale jungantur in perniciem ulceratæ partis, omniaque ſymptomata ſupradicta, quæ complicata conſtituunt ulcera dependent ex his prædictis cauſis alteratis & corruptis.

Ut verbi gratia, inflammationes quæ ſunt in ulceribus complicatis, ex alteratione ſulphuris balſami naturalis dependent: inflammatur autem ſulphur & excandeſcit ex nimia corroſione partis quam ſulphur nutrit, & fovet in ſuo eſſe naturali; non poteſt enim pati ſolutionem continui vehementem, & acrem, quin excandeſcat partis ſulphur: Tumor autem magnus & exceſſivus in ulceribus complicatis dependet ex abundanti Mercurio, qui affluit parti, tum ad ſedandam inflammationem & compeſcendum ignem, tum ad moderandum ſalis acrimoniam ne corrodat partem affectam, ibique in molem accreſcit, & aliquando concreſcit ab ſpiritu ſalis copioſo, in lapideos modulos, unde duri & calloſi fiunt tumores: fluxus verò ſanguinis & balſami naturalis fit, ex partis venis (quæ ſunt in parte affecta) à ſale corroſis, unde etiam & dolor dependet. Torpor verò & fœtor maximus qui aliquando & ſæpius reperiuntur in ulceribus, fiunt à ſulphure corrupto & alterato, quod

to, quod dum privatur ſpiritu vitali, atram sedolet memphytim, & partem ſenſu privat, ſua narcotica ſubſtanti a.

Curantur autem hæc omnia ſymptomata, & eorum cauſæ tolluntur ſequenti methodo. In primis deveniendum eſt ad regimen victus refrigerans & humectans, ut ſalis acrimonia temperetur, & mutetur totus corporis habitus: deinde ad phlebotomiam, & balnea aquæ dulcis tepidæ, ad eumdem ſcopum attingendum: Sic enim cauſæ antecedentes ulcerum complicatorum tollentur. His ſublatis cauſis, ad topica deveniendum remedia, ut pote, ad inflammationem tollendam utendum eſt butyro ſaturni, ſuperius deſcripto, vel ſulphure vitrioli, quod in ejus diſſolutione colligitur in forma ſpumæ deauratæ, quæ ſpatula lignea colligitur, & cum albumine ovi cogitur, & ulceribus inflammatis ſuperimponitur, vel ex ſpiritu narcotico vitrioli, qui ex eodem vitriolo calcinato & ſpiritu vini ſimul mixtis, & in vitro clauſo, per menſem putrefactis ſeparatur: hic ſpiritus mirũ eſt arcanum ad inflammationes omnes ſedandas, & dolores omnes, non ſolùm ulcerum, ſed etiam arthritidis ipſius: aquæ etiam quæ eliciuntur per diſtillationem ex alumine, & ex oleo vitrioli, quod putret & fœtet maximè, miram habent efficaciam in ſedandis doloribus & inflammationibus ulcerum omnium.

Durities vero & calloſitas curantur ſpiritu ſalis communis, permixto cum oleo vitellorum ovorum, vel cum oleo ceræ rectificato, vel cum oleo Philoſophorum ſeu laterino; fœtor verò tollitur cum balſamo Ariſtolochiæ rotundæ, ex lotione ejuſdem Ariſtolochiæ tincturæ, aut ex ſpiritu ſalis. Torpor vero curatur, ex lotione ulceris cum oleo tartari, & ſpiritu vini, ſimul permixtis: deinde perungenda ſunt

ulcera

ulcera oleo roris marini, aut ſalviæ, aut petroleo naturali.

Curantur autem hæc omnia ſymptomata quamvis varia ſint & à diverſis cauſis dependeant, unico balſamo, auro ſcilicet potabili ſuperius deſcripto, quod non eſt quid putabile & fictitium, ut quidam Medicorum nomine tenus, falſiſſimè putant, & nimis ſtultè: nam quod ego ipſe vidi & multoties feci, fideliter teſtari poſſum, præter rationes naturales, quæ poſſunt omnibus doctis viris, hanc naturæ poteſtatem & facultatem oſtendere facilem: at multi ſunt adeò ſtulti, ut putent impoſſibile omne, quod ipſi neſciunt: quaſi vero omnis naturæ poteſtas, eorum coërceatur cerebro. Itaque ego iterum aſſero ulcera omnia poſſe curari auro potabili ſupradicto: arcanũ etiam ſanguinis humani, quod docuimus in myrothecio noſtro, vires hujus auri potabilis æmulaturũ, maximi eſt momenti in curandis omnibus cutaneis affectibus: hæc ſola medicamenta merentur, ut Chirurgi omnes, aſſiduè in pyxide aurea geſtent, & non putrida illa quæ vulgariter ſolent afferri.

Cap. XI.

De ulceribus ex defluxione.

De ulceribus ex defluxione.

Ulcera quæ dependent ex defluxu humorum, dicuntur à Chymicis fontanea ulcera, quod hæc ulcera imitentur fontium ſcaturigines in macrocoſmo: nam cum homo microcoſmus dicatur, & compendium totius naturæ, debet aliquid reperiri in homine, quod reſpondeat fontibus macrocoſmi. Fontes autem in macrocoſmo dependent ex humiditatibus ſuperfluis quæ in terræ cavitatibus & poris ejus magnis & parvis reperiuntur, quæ

Fontes unde fiunt in macrocoſmo.

impetu quodam ad ſuperficiem terræ pelluntur ab ſpiritu mundi,qui perpetuo ad generationem rerũ omnium terrę poros permeat omnes:hæ autem humiditates ſuperfluæ occludunt poros terræ,& claudunt, adeo ut ſpiritus hujus mundi quotidianus & aſſiduus impediatur aditus,& commune commercium. Itaque illa occluſione creſcit ſpiritus , & multiplicatur donec ſufficiens ſit,ut cum violentia pellat illas humiditates ſuperfluas ad terræ ſuperficiem,ex quibus fiunt fontes varii qui fluxus & refluxus, habent, ut in Palladio noſtro clarius oſtendimus: ſic & in homine fieri ſolet; nam humiditates ſuperfluæ ſeu ſeroſitates , ut ajunt Galeniſtæ, dum à balſamo naturali ſeparantur, & à facultate expultrice foras amandantur, pellente ſpiritu vitali microcoſmi; tunc temporis ſi illæ humiditates inveniant in aliqua parte quantitatem ſalis ſeparati & deſiccati , eam diſſolvunt & ulcerant partem per quam exitum habent: aut illæ humiditates poſſunt exeundo colligere undiquaque ſal corporis, ſi abundans ſit, & ſecum deferre,& in exitu corrodere partem , per quam exeunt: ſic fiunt ulcera in extremitate penis, & in collo veſicæ, & in aliis partibus corporis,in quibus ſal aliquod ſeparatum reperitur , ibique humiditas adveniens, ſal illud diſſolvit,& cutem aperit,& ulcus facit.In cujus cura duo conſideranda ſunt,humiditas primo deſiccanda, & auferenda , & ſal deinde auferendum , aut temperandum: in quibus obtinendis Medicus debet imitari actiones naturæ in macrocoſmo , in deſiccandis fontibus, fluviis, & aquis ſtagnantibus; ſol etenim ſuo multiplicato calore tempore æſtatis, & fontes & fluvios, & aquas ſtagnantes deſiccat, & diſperdit; itaq; ſimiliter excitanda eſt æſtas in corporibus ulceratis ab ulceribus ex defluxione, ut ſol vitalis

vitalis noster excitet, & multiplicet suum calorem & hæc faciat: hoc autem impetrabimus sequenti methodo: Mittemus sanguinem secundum vires & ætatem ægrotantis; deinde præscribemus illi victũ calidum, & moderatè siccum; Assis utetur, non elixis: purgabitur frequenter purgatione sequenti ℞. Cremoris tartari ʒ. j. Syrupi rosati laxativi spagyricè præparati ex succo rosarum depurato ℥ ß. Aquæ stillat. Mercurialis ℥ j. Misce, fiat potio: iteretur frequentissimè, & sumatur manè jejuno ventriculo, servato regimine & custodia. Deinde utatur per quindecim dies manè jejuno ventriculo supersudando quantum fieri poterit; potione sequenti ℞. Tincturæ ferri ℥. ß. Aquæ cardui benedicti ℥. j. Syrupi de fumaria, ex succo ejus depurato præparati ℥. ß. Auri tonantis ℈. j. Spiritus vini, tinctura malorum aurantiorum imprægnati ʒ. iij Misce, fiat potio sudorifica, quam sumet summo manè, coopertus in lecto, exspectans sudorem quantum fieri poterit. Hisce medicamentis procul dubio, exsiccabuntur ulcera ex defluxione, quia hæc medicamenta excitant & multiplicant calorem nativum nostrum, & aptum reddunt, ut desiccet, & consumat superfluas humiditates in corpore nostro stagnantes; & his desiccatis & consumptis, ulcera se ipsa agglutinant & cicatrizant balsamo naturali partis ulceratæ operante, quod ut citiùs fiat ego consulo, ut ulcus lavetur sæpissimè aqua communi, vel aqua sclopetaria, aut tinctura Martis, seu ferri.

Methodus curandi ulcera fontanea.

Cap. XII.

De ulceribus leprosis.

IN his ulceribus leprosis sal quod est eorum causa efficiens, & materialis, habet præter simplicem corrodendi facultatem, quam ex sui ipsius calci-

De ulc. ... ...

calcinatione & deficcatione obtinet, corruptionem & alterationem peculiarem suæmetipsius substantiæ; qua corruptione & alteratione privatur spiritu vitæ, tartareamque acquirit substantiam omnino terream, & fœculentam: beneficio cujus inficiuntur & reliquæ duæ substantiæ balsami naturalis, Mercurius scilicet & sulphur: nam cum sal balsami naturalis sit causa conservationis ipsius, & partium omnium: si corrumpatur, corrumpi & necesse est reliqua cuncta, quæ à solo sale conservabãtur. Itaque in leprosis corrumpitur omnino substantia tota humidi radicalis, & proinde mirum nõ est si adeò deformes sint, cum toto corpore tuberosi & ulcerati sint propter salis universalis balsami naturalis absolutam corruptionem. Quod sal ita corruptum & alteratum terreni & fœculenti tartari naturam imitatur, reliquàsque substantias, Mercurium puta & sulphur convertit in tartaream & fœculentam substantiam, & sic balsamum omne, tum proximum, tum futurum, tartareum quid est & fœculentum, adeò ut non permittat liberale cõmercium spirituum animalium & non detur copiosus aditus spirituum animaliũ, in partes omnes corporis leprosi: unde sensu sunt obtuso, & hebeti prorsus, & adhuc magis ac magis corruptione inficiuntur nectareo illo volatili balsamo privatæ partes: quamobrem cura eorum valde est difficilis, imò impossibilis, dum lepra est omnino confirmata, hoc est, dum substantiæ omnes balsami naturalis, à sale naturæ corrupto, & alterato corrumpuntur, & alterantur, tunc temporis eorum cura æquè difficilis est ac resurrectio mortui in vitam, cum oporteat reficere, & reparare partes substantiales vitales deperditas omnino, & corruptas, unde talis reparatio est potius recreatio, quàm curatio & soli Deo con-

convenit: & propterea ſolus in hac miſeriarum valle curavit hos morbos miraculo, ut oſtenderet, quod creator eſſet rerum omnium, & verus Deus potẽs reparare, & reficere ſolo ſuo verbo ea omnia, quæ corruptio mundi infecerat & vaſtaverat, in his omnibus quæ ipſe creaverat.

At dum balſamum naturale non ita centraliter corrumpitur, at aliquo modo alteratur, in ſuo ſale, tunc temporis poteſt reparari illa alteratio, & refici omni ex parte, medicamentis quamplurimis, ita ut ni curaretur, in lepram abſolutam & confirmatam incideret, qui tali ſalis ſui corruptione afficeretur. Itaque ad curationem ergo ipſius corruptionis ſic procedendum. Præſcripto victu humido & refrigeranti euchymo, ſeu boni ſucci, mittendus eſt ſanguis è baſilica brachii dextri, in parva quantitate viribus & ætati ægrotantis correſpondente. Et iteranda eſt phlebotomia iſta ſingulis menſibus in plenilunio: deinde ſtatim ſingulis etiam menſibus in plenilunio poſt phlebotomiam, purgandum eſt corpus antimonio, aut ex Mercurio ſublimato, ſuper antimonium quod eſt ſublimatum albiſſimũ, & potentiſſimum arcanum ad lepram, & veneream luem quamcunque expurgandam: hic autem ſublimatus Mercurius præparatur per cohobationes multoties factas, Mercurii crudi ſuper antimoniũ crudum, donec una cum floribus antimonii aſcendat Mercu rius, in cryſtallos pellucidas: doſis hujus ſublimati eſt dragma una, in conſerva roſarum: purgat lentiſſimè per inferiora tantum, ſed renovat maximè totum ſanguinem. Idem etiam præſtat tinctura antimonii extracta beneficio aceti ex oleo antimonii extracti, ut declaratum eſt ſuperius. Præſtat autem omnibus hiſce remediis aurum potabile noſtrum, ſupradictum: quintam etiam ſanguinis

 eſſen-

essentiam valdè probamus, & reliqua cuncta quæ ex sanguine humano eliciuntur Spagyri. a arte, & omnia extracta, tincturæ & essentiæ, quæ ex serpentibus, & præcipuè ex vipera eliciuntur, mirum enim faciunt in renovandis corporibus leprosis: aurum etiam tonans & fulminans maximè etiam cōfert, dosis ejus est ℈. j. in aqua cardui benedicti, aut ulmariæ.

Cap. XIII.

De ulceribus venereis.

De ulceribus venereis.

Ulcera venerea nullo pacto differunt ab aliis ulceribus secundum causam efficientem, & materialem essentialiter: hoc est, ex essentia, & substantia ipsius causæ; sed secundum quædam accidentia, quæ huic peculiariter causæ adveniunt, ut corruptio insignis balsami naturalis futuri, hoc est sanguinis & cambii, & corruptio naturalium spirituum, beneficio quorum hic morbus fit contagiosus: nam spiritus seminales qui naturales sunt constant ex tenuissima sulphuris Mercurii & præcipuè salis substantia; turget enim spiritus salis in hoc spiritu seminali, unde est illa ingens titillatio & voluptas toti corpori communicata. Spiritus inquam, hi cum egrediuntur è corpore per vias communes & generationi destinatas, dum homo suo simili jungitur, non ad sui similis productionem & generationem, sed ad voluptatem & delicias in quibus ob fragilitatem carnis, volutatur: ideò repetit actus illos ut voluptate sua inebrietur; quibus tandem tamdiu repetitis ob humiditatem partium generationi dicatarum & calorem sæpè naturalé corrumpitur semen in sua substantia, & spiritus inficiuntur, & infecti regrediuntur ad fontem, nempe ad hepar, ibique sanguinem & spiritus naturales reliquos

Unde nā morbus venereus.

liquos inficiunt, & ab hoc fonte, totum corpus inficitur: homo autem sic infectus, aut mulier, si cum altero rem habeat veneream, inficit eum simili infectione, per contactum seminis & spirituum naturalium infectorum, qui suos similes illico aggrediuntur, & inficiunt: calor deinde naturalis per facultatem expultricem excitatur ad expurgationem illius infectionis unde desiccat & calcinat salẽ balsami naturalis, desiccatumq; ad cutem pellit, ibiq; ulcuscula rotunda rubea crustacea excitat. Tunc aliquando si materia corrupta maximo abundet sale, & pellatur ad superficiem cutis, decidunt pili, quia sal corrodit & causticat radices pillorum, unde fit eorum casus. Si vero hæc eadem materia quæ ad cutem amandatur, nõ tota ad cutem, sed ad centrum corporis, hoc est ad imum musculorum, nervorum & tendinum & periostiorum amandetur, tunc fiunt dolores ingentes & crudeliores arthritide, ex corrosione illarum partium ab ipso sale; hoc autem fit, dum tota materia luis venereę non ad cutem & superficiem corporis cogitur, propter crassitiem suam & tartaream ejus naturam, quæ non potest à calore naturali corporis sublimari ad partes superiores. Itaque crassior redditur, & fixior, & proinde acrior & mordacior fit. coquitur n. à calore sẽper sal, unde dolores illi crudeles, & atroces. Hæc deinde materia pedetentim coalescit in tophos & nodulos, qui curationem difficiliorem multò reddunt, imò incurabilem medicamentis vulgaribus. Ab hisce causis internis dependent ulcera venerea. Causæ verò externæ à quibus etiam dependere possunt, sunt vel contactus externi infectorum hominum cum non infectis, solo enim contactu ut accubitu, potione in eodem vitro non loto, vel vase

aliquo alio poteſt contrahi hic morbus, quia ſpiritus naturales per poros corporis dimanant ſemper ab illis corporibus infectis, & junguntur aliis ſpiritibus, unde non infectus aut per inſpirationem, aut per inſenſibilem tranſpirationem : nam ſpiritus hi totum permeant corpus) contrahet hunc morbum.

Sunt & aliæ cauſæ externæ hujus morbi, præter contactum contagioſum alicujus infecti; hæ autem ſunt aſtrales, & influxus cœleſtes, beneficio ſpiritus mundi, qui recipit in ſe primò, & immediatè malignos, & perverſos planetarum radios, & influxus, & ſic ſpiritus ita infectus, aëre mediante corpus noſtrum ingreditur, & noſtro ſpiritui, quo vivimus jungitur, & ita inficit illum infectione, quam ab aſtris recepit : quod naturaliter contingit, apud Indos, ubi Gaiaci quantitas creſcit, theoriam hanc teſtari poteſt, ibi enim hic morbus epidemicus eſt, & regionalis, inficit natales omnes, tanquam quædam peſtis : ideò benigna natura, ubi malum natale, ibi poſuit patrium remedium. Quod & in noſtris regionibus, & per totam Europam ſolet etiam evenire in morbillis, & variolis, quæ ulcuſcula ſunt ab aſtris deſcendentia, & pueros omnes, una vice ſaltem in vita inficientia : Spiritus enim mundi, tali peculiari influxu aſtrali infectus, inficit balſamum naturale puerorum, & infectum balſamum tali lue ebullit, ut eam expellat ad cutem, in qua fiunt illa ulcuſcula, univerſam puerorum cutem defœdantia. Sic & in Indicis regionibus ſpiritus mundi afficitur peculiari aſtrorum influxu producendæ lui venereæ idoneo & capaci. Itaque ab ſpiritu deinde mundi afficitur, & contaminatur balſamum naturale Indorum, & hinc oritur lues illa venerea, quæ tandiu fuit à Medicis ferè omnibus incognita, &

curatu

curatu impoſſibilis, quam lepræ & elephantiaſis ſpeciem eſſe aſſero, propter corruptionem univerſalem, & inſignem, quam inducit in totum corporis humani balſamum & ſuaviſſimum vitæ nectar: quid enim lepra eſt, quàm corruptio inſignis, humidi radicalis vitæ noſtræ? Quid vero lues illa venerea, quàm id ipſum? Unde etiam medicamenta quæ lepram curant, luem etiam veneream mundant, ut videre eſt inferius in curatione iſtius morbi.

Medici Galenici non probabunt ullatenus hujus morbi theoriam; in eo potiſſimum quod aſſeram ſpiritus humidi radicalis noſtri corruptioni eſſe obnoxios, imo etiam ſpiritum mundi, quem omnes Philoſophi incorruptibilem, & inalterabilẽ dixêre, exætherea ſubſtantia & cœleſti, qua fiunt & componuntur, quæ quidem ſubſtantia inalterabilis eſt, ex copia ſui ignis innati, quo turget. Reſpondemus ſpiritum mundi, & ſpiritus noſtros quibus vivimus, ſpiritusque aliorum mixtorum eſſe quidem in ſimplici ſua ſubſtantia ætherea & cœleſti incorruptibiles; at quatenus permiſcentur elementis, ut vitæ noſtræ proſint, eatenus corruptibiles ſunt, quia corpora ſunt elementaria, ut corpori noſtro elementari jungantur, & cæteris proſint mixtis, itaque nullatenus mirandum eſt ſi cum Medicis Spagyricis admittam corruptionem, & alterationem ſpirituum noſtrorum, quibus vivimus, & cætera elementorum mixta conſervantur & fiunt, quòd hi ſpiritus antequam fiant idonei cõſervandæ vitæ noſtræ, oportet ut jungantur elementis, & fiant quid corporeum elementare: id autem corruptibile eſt, non ratione primæ ſuæ ſubſtantiæ cœleſtis & æthereæ, ſed ratione ſecundæ, & elementaris: illæ autem ſubſtantiæ ſimul ſum-

ptæ & unitæ, fiunt unum quid corruptibile, & alterabile, ut possit mutari in nostram substantiam. Objectione prædicta soluta, possumus jam ad curã absolutam hujus morbi pervenire. Si sit ergo corruptio universalis trium substantiarum, balsami naturalis, salis sulphuris, & Mercurii, cum corruptione & alteratione spirituum vitalium, & calcinatione & desiccatione salis balsami naturalis, ita ut lepram imitetur: si non absoluta, & integra sit corruptio, & alteratio trium substantiarum possumus sequenti methodo tanto succurrere malo.

In primis nutriendus & alendus est ægrotus alimentis boni succi, ut caponibus, palumbis, columbis, alaudis, coturnicibus, perdicibus, & aliis ejusmodi, quibus omnibus parcè admodum utendum est, ne stomachus cruditatibus impleatur, quibus potissimum vigente morbo abundat, itaque commodum erit singulis hebdomadis has serositates, & stomachi cruditates medicamento vomitivo evacuare, ut sale vitrioli, vel antimonio optimè præparato, deinde aqua theriacali singulis matutinis horis sumpta roborandus est ventriculus. Præscripto hoc vitæ regimine, mittendus est sanguis è basilica brachii dextri, ad quantitatem viribus ægrotantis, regioni, & ætati illius correspondentem; copiosa debet autem esse hæc phlebotomia, ne tamen ægrotus debilitetur, per vices iteranda est, ut sanguis omnino corruptus extrahatur, & tãdem renovetur, medicamentis aliis sequentibus: Præscribetur per mensem integrum, si pertinax sit morbus, sequens potio. ℞. aquæ cinnamomi sudorificæ distillatæ (ex partibus æqualibus vini optimi, cinnamomi, & ligni Gaiaci) ℥ iiij. Antimonii sudorifici, seu pulveris bezoartici mineralis ʒ. Lapidis bezoartici naturalis grana quatuor, misce fiat potio, utatur per mẽsem,

ſem, manè ſumendo, jejuno ventriculo, ſuperſudádo, quantum fieri poterit, in lecto optimè coopertus. Poſt ſudores purgandum eſt corpus, ab humoribus craſſis & tartareis quibus abundant hi ægrotantes; erit autem eorum purgatio ex Mercurio præcipitato cùm oleo vitrioli, aut oleo ſulphuris, quòd ſi amalgaveris Mercurium cum auro, & illud amalgama fixaveris, aut ſaltem coagulaveris cùm oleo ſulphuris, per coobationes ter aut quater iteratas in alembico, aut in retorta, habebis Mercurium præcipitatum purgativum optimũ qui eluendus eſt ab acritudine olei ſulphuris lotionibus quáplurimis, aqua dulci factis donec dulceſcat: doſis ejus erit grana duodecim ad quindecim ad conſerva roſarum.

Datur & alia Mercurii præparatio quæ radicitus tollit malum hoc, ſeu lepram hanc veneream: fit autem ſequenti methodo. Capiatur Mercurius ſublimatus vulgi, & conjungatur cum æquali quantitate ſalis communis depurati & dealbati: deinde ſublimetur Mercurius & ſepties iteretur hæc ſublimatio, renovato & mutato ſingulis vicibus ſale communi: deinde ſuper illum Mercurium ita præparatum ponatur ad eminentiam quatuor digitorum, ſpiritus ſalis communis, & digerantur ſimul in matratio optimè clauſo in cineribus tepidis per quindecim dies. His transactis auferatur ſpiritus ſalis per inclinationem, & reponatur novus, donec tota Mercurii ſubſtantia ſolvatur: hæc ſoluta diſtilletur per retortam in cineribus; deinde in balneo mariæ ſeparetur ſpiritus ſalis qui primo egreditur: deinde in cineribus pellatur Mercurii ſubſtantia, quæ poteſt rectificari ad majorem penetrationem. Aliquãdo aſcendit in pulverem albiſſimum, & tenuiſſimũ, at ſta-

at ſtatim ſolvitur in aquam: hæc aqua rectificata donec nullas emittat feces, poteſt, eſtque capax curandi hunc morbum. Cui adhuc ſi addas aliquid auri tonantis ſolvetur ſtatim, & præſtantius fiet remedium, aut ſi addas aurum foliatum, extrahet tincturam ad eundem effectum præſtantiſſimam, & huic ſoli medicamento debetur cura hujus lepræ venereæ abſoluta, & radicalis: Ideò prudens & doctus Medicus debet omni cura adhibita, habere hoc præſtantiſſimum medicamentum, quo gloriam & laudem ſibi comparare poterit, modò obſervet cætera prædicta, in hoc prædicto capitulo; regimen puta victus præſcriptum, & phlebotomiam, & diætas, & reliqua cuncta: deinde præſcribat hoc medicamentum ad curam abſolvendam.

Cap. XIV.

De ſtrumis, ſeu ſcrofulis.

De ſtrumis.

VLcera quæ ſtrumæ ſeu ſcrofulæ dicuntur vulgariter, à Chymicis dicuntur ulcera nitrea, quod à nitro præter naturã corporis humani fiant; ſunt enim quamplurimæ ſpecies ſalis in corpore humano, nitrum verò copioſum eſt, & in communi ſuo emunctorio, quod eſt renes, & veſica, foras expellatur, hæc ulcera parit. Nam fertur undiquaque per totum corpus per medias ſeroſitates Mercuriales, quibus omne corpus turget, & potiſſimum cerebrum, in cujus emunctorio, natura ipſa conſtituit glandulas quaſdam tanquam ſpongias ad attrahendas illas ſeroſitates, & digerendas, & foras per inſenſibilem tranſpirationem detrudendas. Quòd ſi calor illarum glandularum, & facultas innata imbellis ſit, ſeroſitas creſcit, magna in copia, & coagulatur, beneficio ſalis nitri quo turget in globu-

globulos & nodulos; non ſecus ac nitrum in magno mundo: deinde ſal iſtud coagulatum pedetentim calore ſuo, & partis in qua coagulatum eſt, acrimoniam acquirit, & adurendi potentiam, qua cutem rodit, & cauſticat, unde fiunt hæc ulcera.

Cauſa ſtrumorum. Cauſæ externæ horum ulcerum ſunt alimenta omnia, quæ turgent & abundant ſale, quibus ſi nutriamur ſal nitrum corporis multiplicatur & creſcit; unde videmus animalia omnia quæ utuntur alimentis putridis, tartareis, & feculentis hæc ſola eſſe obnoxia prædictis ulceribus, ut ſunt porci & homines, quòd utantur omni genere alimẽtorum, & quod copiosè edant: ſic enim eorum tartarea excrementa multiplicantur, ac proinde ſal præter naturam balſami naturalis, ex quo hæc ulcera fiunt: unde poſſunt definiri hæc ulcera, ſequentibus verbis. *Scrofularũ definitio.* Strumæ ſeu ſcofulæ ſunt nitrum præter naturam balſami naturalis, ſeparatum & amandatum, in emunctoria communia partium nobilium, aut in alias aliquando partes, ubi coagulatur in tophos & nodulos lapideos quaſi, qui ſucceſſu temporis ab acrimonia ſalis fiunt ulcera cancroſa & phagædenica.

Curatio ſtrumarum. Curatio horum ulcerum dependet ab ablatione, aut diminutione ſalis illius nitroſi, præter naturam quòd in balſamo naturali reſidet, & creſcit, ut cauſa antecedens tollatur: Tollitur autem ſal iſtud, aut diminuitur, victus regimine euchymo, & purgatione ex Mercurio ſuperius præparato, ſingulis menſibus in plenilunio iterata: poteſt etiam ante purgationem, aut poſt celebrari phlebotomia, ætati, & viribus ægrotantis correſpondens. Oleum etiam Mercurii ſeu ejus eſſentia, ſuperiori capite deſcripta & præparata, præſtat omnibus remediis, ut humorum omnium ſaburram è corpore horum ægro-

ægrotantium fine noxa expellamus, sufficit etiam istud oleum ut ad cicatricem laudatam ulcera hæc omnia perducamus; modo admisceatur oleo vitellorum ovi, & sic ulceribus superimponatur tepidè: debent tamen prius hæc ulcera lavari & ablui, bis aut ter in die, spiritu nitri aut spiritu salis communis, & his solis medicamentis Deo dante exterius applicatis, & interius assumptis possunt certissimè curari hæc ulcera.

Cap. XV.

De Tinea.

De Tinea.

Tinea est ulcus peculiare capitis crustas siccas & aridas, & squamosas producens, caloris albi, & aliquando subcrocei. Hæc ulcera dependent à sale vitriolato præter naturam balsami nostri; vitriolum enim in magno mundo, dum fortissimè calcinatur igne, modò ab excrementis suis terreis & argillosis sit defœcatum, coagulatur in squamosam massam albam & subflavam. Sic & in parvo mundo, vitriolum dum separatur à balsamo corporis nostri, tendit ad cutem, ibiq; coagulatur in squamosam substantiam una cum cute, quam ulcerat & corrodit, & si id fiat universaliter per totum corpus, fit vera lepra: nam Tinea, est vera lepra peculiaris capitis; à sale enim illo corrumpitur omnimodo balsamum naturale pericranii. Itaque potest definiri Tinea, ulcus peculiare capitis phagædenicũ & cancrosum à sale vitrioli corporis humani dependens, cujus ope pericraniũ corroditur in squamas albas & subflavas.

Hoc ulcus malignum admodum est & curatu valde difficile, cui si segniter succurratur, & negligatur ejus cura, convertitur certissimè in veram lepram, & pedetentim serpit per totum corpus & inficit

inficit universum totius corporis habitum, balsamo naturali corrupto; quamobré citissimè mederi debemus huic malo, sequenti methodo. Inprimis præscribendum est victus regimen euchymum refrigerans & humectans, ut temperemus calorem naturalé, ne vivacitate sua & robore desiccet & coagulet sal illud, & amandet ad superficiem capitis, at coërceatur in centro balsami naturalis dissolutum. Post præscriptum victus regimen, deveniendum ad sanguinis missionem, ex cephalica ad quantitatem viribus ægrotantis, & ætati correspondentem. Quę sanguinis missio iteranda est, ter aut quater in anno in plenilunio. Deinde balneanda sunt corpora prædicto ulcere affecta balneo aquæ dulcis tepidæ hecticorum more, prohibendo ne in balneo, nec extra balnea supersudent, id autem fit, ut acrimonia salis illius vitriolati moderetur, adauctis corporis humani humiditatibus quibus & salis istius acrimonia temperatur, & caloris nativi robur & vivacitas moderatur, ne coagulet & desiccet sal istud, & amandet ad cutem: interim inter balneandum laxanda est alvus clysteribus emollientibus & refrigerantibus, aut potionibus benignis catharticis, ut ex senna decocta cum prunis dulcibus, aut aliis ejusmodi, potionibus, vel ex cremore tartari cum syrupo rosato laxativo. His celebratis medicamentis, deveniendum est ad topica remedia quibus sal istud corrumpitur, & mutatur in aliam substanstantiam, ita ut ejus corrosiva facultas pereat & annihiletur: quod ut faciliùs obtineas sequentem observabis methodum.

Truncandi & radendi imprimis sunt capilli, aut evellendi una cum crustis si fieri possit, aut post capillorũ tonsionem humectandæ sunt crustæ decocto serpentariæ majoris, & eas crustas sic humectatas

ctatas perungere oportet oleo vitellorum ovorum; ut omnes decidant: deinde ulcus ipſum ſeu totum caput perungendum eſt balſamo Mercurii ſuperius deſcripto, Capite de lue venerea: aut oleo antimonii rubeo deſcripto in ſecunda ſectione hujus libri, capite nono, vulnerum. Quæ duo balſama poſſunt applicari ſola ipſis ulceribus, aut permixta cum oleo vitellorum ovorum, capite tamen cooperto emplaſtro de Diapalma, cui malaxandum eſt, ſeu permiſcendum calcinatum magnum Paracelſi, qui eſt Mercurius præcipitatus cum aqua forti.

Balſamũ tartari fit ex tartaro arcenico & ſalepetra ſimul permixtis & calcinatis, vide lib. 3 myrothecii capite de tartaro.

Vel ſi hæc balſama prædicta non ſunt præ manibus, nec haberi queant applicandum eſt oleum ſulphuris, vel vitrioli, temperatum cum modica aqua plantaginis, vel roſacea: deinde poſtquam ulcus erit lotum & nitidum ab omnibus cruſtis, lavandum eſt balſamo tartari bis in die, cum balſamo ſulphuris per quatuor, aut quinque dies: quibus transactis cicatrizandum eſt ulcus cum oleo vitellorum ovi, & croco martis ſimul permixtis & malaxatis, unguenti & linimenti inſtar. Ad capillorum autem ſubitam regenerationem lavandum eſt caput jam ad cicatricem laudatam perductum, aqua mellis permixta cum oleo tartari, vel cum aqua vitæ, quibus obtinebis, Deo dante, omne quod in votis erit circa curationem hujus maligni ulceris.

Cap. XVI.

De Fiſtulis.

De Fiſtulis.

Fiſtulæ ſunt ulcera apud Medicos vulgares & Galeniſtas concava, & cavernoſa ſic appellata, quòd fiſtulas muſicas imitentur ſua concavitate. Medici verò Spagyrici, totius naturæ veri anatomi hæc ulcera dicunt, ulcera ſalis petræ, quòd fiant à ſalepe-

ſalepetra præter naturam balſami noſtri: ſal enim iſtud dum ſeparatur à balſamo naturali, & amandatur in aliquam partem ibi coagulatur in fiſtulas ſeu canales longos & fiſtuloſos, qui pedetentim corroſione ſua ulcerant cutem & carnes cuti ſuppoſitas, ſecundum ſuam formam quam à natura obtinent, quæ cum ſit fiſtuloſa, fiſtuloſa fiunt ulcera: at cauſa eorum materialis ſecundum Chymicos eſt ſalpetra, ut jam dictum eſt. Hæc ulcera ſunt ſine dolore propter ſal iſtud à quo fiunt quòd ſit frigidum manifeſtè, & narcoticum ſecundum humiditatem quam ſecum habet innatam & naturalem, cujus ope, ignẽ & calorem maximum quo turget in ſuo centro, retineri & extingui certum eſt, ne aliquas habeat facultates & operationes dum viget illa humiditas, cujus ope ulcera hæc indolentia ſunt. Itaque poſſumus definire hæc ulcera fiſtuloſa, ulcera cavernoſa, longa, pyramidum & fiſtularum inſtar à ſalepetra corporis humani, qui ſeparatur à ſale naturali balſami noſtri, ad ſuperficiem corporis ibique coagulatur in figuras pyramidales & fiſtuloſas, quæ pedetentim cutem & carnes ulcerant ſecundum eã figuram.

Cura fiſtularũ. Cura horum ulcerum dependet ex regimine optimo & euchymo, & tenui, ne copia ciborum multiplicetur ſal iſtud petræ: nam in humano corpore in quo ſalpetra ſcatet & turget, ſal omne qualecunque ſit quod ex alimentis provenit facili negotio convertitur in ſalem petræ: non ſecus ac in macrocoſmo in cavernis ubi ſalpetræ creſcit, quicquid ſalis advenit in eo loco, convertitur in ſalempetræ, unde & ſalpetrarii inveniũt omne genus ſalis in ipſo ſalpetræ conficiendo, & ſeparant illud ſuis filtrationibus & coagulationibus; unde parcè admodum cibandum eſt, ne copia alimenti ſal iſtud

crescat, & multiplicetur. Post regimen victus præscriptum, phlebotomandum est ex parte opposita parti ulceratæ, & mittendus est sanguis secundum vires & ætatem ægrotantis, habita ratione temporis & regionis, & reliquarum omnium rerum quas expostulat phlebotomia, quæ iteranda est singulis mensibus, modò vires & ætas permittant: deinde purgandum est corpus pillulis sequentibus. ℞. Micæ panis optimi ℥j. ß. Mercurii sublimati super aliũ Mercurium crudum & super salem cõmunem decrepitatum ℥. j. Balsami Mercurii dulcis superius descripti capite de lue venerea, ʒ iij. Balsami antimonii superius etiam descripti, ʒ. ij. Mosci & ambari grisei an. grana vj. Olei cinnamomi gutt. viij. misce fiat massa pillularum, de qua capiet singulis mensibus in plenilunio dragmam semis manè jejuno ventriculo, servato & regimine & custodia: & interim laxanda est alvus cremore tartari & syrupo rosato solutivo, singulis hebdomadis.

His præscriptis medicamentis deveniendum erit ad topica remedia, ut fistulosa hæc ulcera ad cicatricem laudatam perducere valeamus. Oleum autem Mercurii dulcis superius citati, & oleum rubeum antimonii sufficient ad curationem absolutè absolvendam, ad quam ut citius pervenias, imprimis spiritu salispetræ fistulas tuas siphone aliquo lavabis, magno impetu injiciendo spiritum hunc in centrum fistulæ ut undiquaque penetret, & tangat omnes partes ulceratas & corrosas, & dissolvat omnes callositates & durities, quæ communiter solent concomitari hæc ulcera: spiritus autem hic omnia hæc emollit & discutit: deinde balsama prædicta Mercurii & Antimonii ad cicatricem laudatam conducunt ulcus: quam accelerant Iulapia ex spiritu salispetræ & succo limonum, & syrupo eorundem

rundem

eandem composita & ſingulis matutinis horis jejuno ventriculo ſumpta, ut ſanguinis maſſam expurgent ab omnibus tartareis excremẽtis quę ſubitò mutantur in ſalem.

Balſama etiam ſeu olea, quæ poſſunt elici ex metallis omnibus beneficio olei Mercurii conferunt multum ad fiſtulas curandas, cujuscunque ſint generis, ut Argentum ſolutum & in oleum converſum ab oleo Mercurii curat omnes capitis ſeu pericranii fiſtulas & talpas.

Cuprum in oleum redactum ab ipſomet oleo Mercurii curat omnia ulcera, quæ poſſunt naturaliter contingere in partibus generationi dicatis, & ſic de aliis metallis aſſerendum eſt: Mercurius enim cùm ſit humidum radicale cujuscunque metalli, ſi jungatur aliis metallis habet & obſervat easdem proprietates, & energias ac metallum cum quo cõnectitur; non ſecus ac Mercurius cœleſtis, qui dum ſoli jungitur eſt ſol, dum lunæ eſt luna: ſi jungatur veneri eſt venus, ſi ſaturno eſt ſaturnus. Itaque ſi habueris eſſentiam ſeu humidum radicale Mercurii vulgaris, cùm eo habere poteris omnia alia humida radicalia metallorum cum quibus miraculosè operaberis.

Cap. XVII.

De Cancro.

De Cancro.

CAncri apud Medicos vulgares & Galeniſtas originem habent ex ſanguine craſſo, fœculento, melancholico & terreſtri, aduſto calore præter naturam qui in hiſce tumoribus invenitur. Medici verò Spagyrici horum ulcerum originem, & ſcaturiginem ducunt ex ſale tartareo excrementoſo, qui ſeparatur ex ſale dulci balſami naturalis noſtri tanquam quid contrarium vitæ, adeò mordax & can-

causticum cum peculiari quadam maligna quali-
te, ut habeat potentiam urendi & causticandi; ne
secus ac caustica potentialia, cujus salis caustici ra-
tione & opera, ulcera hæc dolorosa omnino sunt
difformia, & variis coloribus variegata, putrida o-
mnino & infecta, supra modum ulcerum omniũ:
quamobrem Medici Spagyrici una cum Paracelso,
cancrosa ulcera in homine dependere putarunt ex
iisdem causis, quibus dependet caries & putredo
terrarum & lapidum in subterraneis locis, in qui-
bus generatur Arsenicum, auripigmentum & Re-
algar, quæ omnia sunt species salis mineralis tarta-
rei, & excrementosi, in quibus latet mira urendi &
causticandi potestas; unde terræ & mineræ in qui-
bus generantur; steriles manent & mortuæ nihil
aliud generant, prȩter illud ipsum mortiferum quó
turgent, & circumcirca vitales omnes actiones, &
producendi facultates extingunt. Pari ratione in
homine, hoc sal vitæ per totum corpus sparsum se-
parat facultate sua expultrice, & in cutem amandat
aliud sal excrementitium tartarosum, arcenicale &
Realgarinum: quod si in aliqua parte coaguletur
ulcera cancrosa constituit, sic à Medicis appellata
vulgaribus, quòd figura, aliqua ratione cancros
marinos imitentur. Medici verò Spagyrici, hæc ul-
cera definiunt salia, Arcenicalia & Realgarina, quæ
dum separantur à balsamo naturali, dum non pos-
sunt resolvi per poros cutis condensantur, & coa-
gulantur in tumores, ubi corrodunt partes; & ma-
ligna sua qualitate spiritus vitales offendunt, & tã-
dem extingunt & perdunt, ita ut partes cancro, af-
fectæ sphacelo capiantur. Itaque ex doctrina Chy-
micorum ulcera hȩc videntur mineræ arcenici, Re-
algaris, auripigmenti, & aliorum similium minera-
lium quæ virtute caustica & adurente pollent:
Hoc

Hoc videtur autem ſtupendum apud Medicos Galeniſtas tales in corpore dari mineras, & tamen non mirantur in eodem homine lapides multi generis generari, & animalcula, quidni ergo & mineralia?

Cura cācrorum.

Ad curam ergo horum ulcerum ex doctrina Chymicorum imprimis obſervandum eſt: Vitæ balſamum immutandum eſſe, & renovandum victus regimine, & purgationibus benignis ſæpius iteratis. Victus autem erit euchymus, fugiendo & evitando omnia tartarea alimenta ſalita, & craſſa, quæ ſanguinem craſſum & fœculentum generant: ſanguis miſſus in plenilunio copiosè ſi vires ferant, eſt magnum arcanum ad ſanguinem innovandum. Sudores etiam ab antimonio ſudorifico eliciti maximè proſunt poſt purgationem ab eodem antimonio: antimonium autem ſudorificum habes in hoc opere multis in locis deſcriptum ſequenti autem methodo optimum habebis. ℞. Reguli antimonii optimi & albiſſimi quantum volueris, reduc in pulverem, & miſce cum pari quantitate ſalispetræ, & calcina ambo in tigillo forti, per tres horas in mediocri igne: Deinde iterum reduc in pulverem & iterum permiſce novæ quantitati ſalispetræ, & calcina iterum, & hoc itera donec regulus antimonii in pulverem albiſſimum convertatur quem ablue aqua dulci tepida, donec tota ſalis ſubſtantia pereat, & habeas pulverem albiſſimum quem igne deſiccabis, & ad uſus miros conſervabis. Doſis ejus erit dragma unica, aut ſemis cum aqua cardui benedicti, aut ulmariæ.

Ad topica deinde deveniendum eſt, ut cauſas cōjunctas horum ulcerum auferamus. Sunt qui ferro candenti conantur auferre has cauſas: hoc quidem probo, modò radicitus tota minera arcenici auferatur

ratur in illa amputatione; alioquin nihil prodest, quia quod reliquum est, citò crescit & multiplicatur attrahendo quidquid arcenici natura expellit per poros cutis. Medici autem Spagyrici, quamplurima excogitarunt ad mineras arcenicales sine ullo ferè dolore auferendas, & eradicandas virtute Mercurii metallici alicujus in primum chaos reducti, & ad dulcedinem cocti: nam alioquin venenum summum est, & causticum potentiale efficacissimum: hic Mercurius sic Spagyricè præparatus, qui est substantia viscosa & tenax ex qua mineralia & metalla omnia fiunt, est verum, unicum, & legitimum remedium horum ulcerum, quod quidem & potest ad quantitatem guttularum decem, aut viginti interius assumi ad renovationem sanguinis, modò coctum sit & dulce, & exterius applicari ad causas conjunctas tollendas sine dolore. Docui satis apertè harum substantiarum Mercurialium extractiones ex metallis & mineralibus in libro tertio myrothecii Spagyrici, & virtutes earum declaravi passim in Palladio meo. Et adhuc particulari eloquio & faciliori docui in capite de ulceribus venereis, & in capite de fistulis hujus tertiæ sectionis.

Cap. XVIII.

De ulceribus ex combustione.

De combustis.

Combusta sunt ulcera quæ dependent à causis externis comburentibus & causticantibus, quæ ex calore præter naturam quem habent adurunt & causticant partes quibus infliguntur: veluti ferrum candens, pruna, carbones igniti, cineres excalfacti, aqua, oleum, butyrum, vinumq; ebulliens & reliqua cuncta quæ possunt igniri. Ea ipsa ignita si possint partibus corporis nostri applicari, ulcerāt partes & comburunt magno cum dolore quòd in igni-

ignitione suarum substantiarum, hæ substantiæ acquirant acrimoniam & corrodendi potentiam ab excessivo calore, & præcipuè sal quod est substantia præcipua quæ suscipit igneam illam facultatem & vim corrodendi; Aliæ enim substantiæ non tam citò suscipiunt illam. Hæc ergo substantia, substantiæ partium quibus applicatur jungitur & communicat suam corrodendi virtutem, & sic fiunt ulcera à combustione, caustica potentialia, artificialia, aut naturalia qualiacunque sint, ut cantharides, flammula, Ranunculus, calx, arcenicum, auripigmentum, viride æris, sublimatum, aqua fortis, sal tartari, & sal sarmentorum, & reliqua cuncta quæ corrodendi facultatem habent, nobis satis clarè commonstrant hujus rei veritatem; nam calor præter naturam qui inest ipsis substantiis, acres, & mordaces, & corrodentes efficit, ita ut spirituosè & subtiliter penetrent partes quibus applicantur, easque ulcerent & causticent summo cum dolore, sic est de reliquis quæ ignitionem ab eisdem causis externis pati possunt, ut sunt aquę bullientis liquores, & metalla ignita, quæ possunt ab ignitione sua & inflammatione partes quibus applicantur inflammare & ignire. Quibus malis ut succurrat Medicus Spagyricus, calorem illum præter naturam imprimis extinguere debet, remedio aliquo humido & frigido, ut puta aqua communi, vel aqua rosacea, plantaginis, nenupharis, vel earum plantarum succis: potest etiam ad majorem efficaciam & virtutem haberi præ manibus aqua glaciei & nivis; hæ enim aquæ refrigerandi & humectandi majorem præ reliquis habent efficaciam, quòd sint absque ullis igneis spiritibus & æthereis; frigus enim eos ipsos spiritus fugavit, unde & Mercurius rerũ omnium aquosus & excrementitius qui nullis vitæ spiritibus turget, est

arcanum combustorum: extinguit enim citissimè omnes inflammationes & partium ardores, habetur autem hic Mercurius post extractionem spirituosæ substantiæ ex succis omnibus, post extractionem enim illius spirituosæ substantiæ sequitur phlegma quoddam aquosum & insipidum, quod est verus Mercurius excrementitius & aquosus rerum omnium, quodque Medici communes Serum dicũt, aut phlegma. Post extinctionem caloris præter naturam possumus uti ad ulcus curãdum oleo plumbi, vel in ejus penuria, butyro saturni, quod fit ex calce plumbi, in aceto stillatitio dissoluta, & ex hac dissolutione clara & filtrata modo permisceatur cum oleo violaceo, aut nenupharino; agitando simul convertentur ambo in substantiam butyro similem: vel possumus uti oleo vitellorum ovorum cum camphora in eo dissoluta. Terra etiam ex calce vera privata multis lotionibus ab omni sale est etiã valde efficax remedium, si cum oleo violaceo permisceatur. At hæc omnia remedia, oleo plumbi, & oleo Mercurii dulci inferiora sunt, ut anteà diximus, capite de ulceribus venereis.

Sunt qui combusta curant remediis adurentibus & veluti causticis, ut sunt oleo tartari, salibus omnibus in aceto dissolutis, semine sinapi cum musto malaxato, aqua vitæ, quia hisce remediis adurentibus & calidis inflammatur de novo pars affecta, & humor copiosus attrahitur, undiquaque quo extinguitur & remedii & partis combustæ calor: sed hæc cura, quamvis aliquando in euchymis corporibus succedat satis feliciter, nihilominus tamen in cacochymis adauget malum & ulcera cacoëthea efficit, attractis undiquaque humoribus malignis & perversis qui ulcus malignum & pravum constituunt. Unde & dolores fiunt ingentes & vehemen-

tes,qui ægrotũ valde discruciant & affligunt,quare non consulo ut his utamur; at Galenicis relinquamus, quibus sic placet corpus humanum dilaniare & distorquere. Nos verò naturæ benigniores servi sumus, mala omnia sua, quo possumus ingenio & industria demulcemus,proverbii communis sequaces (omne violentum naturæ inimicum) hinc curam jucundam & sine dolore cæteris præstantiorem esse asserimus. Curavimus nos combustam undiquaque faciem à pulvere bellico, quatuor diebus absque ullo dolore & summo cum solatio ægrotantis, nulla remanente cicatrice, cum tamen omnes putarent virum hunc honestum & satis clarum utroque lumine orbatum, & pulchritudine sua omni præcedenti qua vigebat denudatum: vivit tamen adhuc,ac si nunquam combustus fuisset, & sola plumbi essentia curatus est.

CONCLUSIO HUJUS SECTIONIS TERTIÆ.

HAbes Amice Lector quidquid Spagyricè potest dici de ulceribus, in hac tertia sectione completum: Si nihil de herpete,de serpigine, aliisq; ulcusculis quæ cutem humanam deturpant non visum fuit hæc ulcuscula peculiari capite tractare, quòd levissima sint,& minimi momenti, & multa sint apud Spagyricos Chirurgos & alios vulgares descripta medicamenta quæ hæc curant, sola simplici lotione olei tartari, aut aquæ salis & aceti: quamobrem sectionem quartam de luxationibus Spagyricè tractandam aggredimur.

SECTIO IV.

DE LUXATIONIBUS.

CAP. I.

Luxatio quid sit.

MEdici communes luxationem definiunt, mutationem præter naturam ossium ex locis suis naturalibus ; Medici verò Spagyrici addunt huic definitioni aliquos terminos quibus explicantur & causæ omissæ omnes luxationum : Itaque clarior multo est definitio Spagyrica præcedenti definitione. Est autem definitio Spagyrica hisce terminis: Luxatio est mutatio præter naturam ossiũ ex causis præter naturam, quæ temperamentum balsami naturalis nostri pervertunt, unde articulatio, & ejus usus, & functiones omnes læduntur. In hac mutatione præter naturam ossium ex suis locis naturalibus, accidit tumor, inflammatio, & dolor: Tumor accidit ex accursu humorum, qui naturaliter partibus læsis accurrunt in auxilium, ut dolorem & inflammationem aliquatenus mitigent: dependet etiã aliquando ex osse ipso luxato : inflammatio dependet ex liquore balsamico qui in suis naturalibus substantiis, sale, sulphure & Mercurio, temperamentum naturale non observat, & tendit ad acquisitionem alterius temperamenti, ni subitò succurratur; dolor vero dependet ex solutione continui quæ in luxationibus omnibus reperitur, & ex acrimonia salis balsami naturalis, quæ ex intemperamento ipsius pedetentim acquiritur.

CAP.

CAP. II.

De caussis Luxationum.

Luxationum caussa.

CAusæ Luxationum vel esse possunt externæ vel internæ: externę sunt omnes motus violẽti, casus, saltus, extensiones membrorum supra naturam, & alia multa similia quæ possunt ossa ex loco suo naturali dimovere: constellationes etiã & astrorum maligni influxus & aspectus qui catarrhos & defluxiones excitant sunt etiam sæpissimè causę externæ luxationũ. Causæ verò internæ sunt omnes catarrhi & defluxiones humorum, qui sursum & deorsum totum corpus permeant, per poros, canales, & tubos insensibiles humani corporis, quos humores humanus archæus, hoc est calor naturalis gubernat, vel ad exclusionem tanquam excrementa, vel ad alimentum humani corporis, qui si in articulationes & symphyses decidant copiosi, emolliunt præter modum articulationes, aut substantiã tartaream & durã in ipsa articulatione producunt, ita ut impediatur articulatio, aut ossa è suo loco dimoveantur, aut si nimis emolliantur ea quæ articulationem naturalem custodiũt, ea postmodum simplici motũ depravatur ossibus demotis è suo loco naturali. Ut manifestũ est in his omnibus qui diuturnam arthritidem passi sunt; liquor enim copiosus qui defluit in articulationes membrorum aliquando emollitione nimia sua luxat ossa, vel productione alicujus humoris tartarei ipsa etiam ossa è suo loco naturali pellit, quorum luxationum cura dependet in dissolvendis tartareis, sive nodosis illis substantiis, & in fluxione, vel congestione impedienda, antequam cogitemus ossa luxata ad suũ locum naturalem collocanda, ut in capitulo curationis copiosiori eloquio legetur.

CAP.

CAP. III.
De Signis Luxationum.

Signa luxationum.

HUmanum corpus ita artificiosè compactum ex diversis & variis partibus fuit à summo rerum opifice, ut si omnes hæ partes locum naturalem & situm, figuram, quantitatem, proportionem, & modum observent tanta est in humano corpore pulchritudo, & formosa effigies, ut facili negotio omnia à Deo creata, animalia, vegetantia & mineralia pulchritudine vincat, verusque sit totius mundi coryphæus; nullum enim metallum, nec aurum nec argentum, nec lapis ullus pretiosus, adamas, nec carbunculus, radios & lumen æquant oculi perfecti, & omnibus partibus absoluti: quod etiam fructuum & florum genus formosum colorem vincit: qui foliorum atque herbarum tenuitatem capillorum & pulchritudinem superat, imò æquat. Quid verò animalium est quod æquare queat, humanorum membrorum formosas figuras, & teneras cutis humanæ mollities. Hæc autem externa membrorum humanorum formosa structura & compago, signum est manifestum & evidens, harmoniam, unionem & conjunctionem partium diversarum quibus componitur, esse ex ordine & lege creatoris, quam dum inviolatam observant, hæc etiam observatur externa species. Quod si ex accidenti pereat, perit & id quod superius mirum supra omnia fecimus. Itaque si in articulationibus, tumor aliquis præter naturam videatur in una parte, in alia verò depressum videatur membrum, & dolor maximus persentiatur, motus depravetur & figura & forma naturalis, tunc temporis ossa luxata dicere possumus. Ecce quod in genere dicere possumus de luxationibus: nam in particulari de omni

omnibus luxationibus dicere nimis fastidiosum esset & superfluum, cum & multi Galenicorum Medicorum de his dixerint, quod si nostris codicibus jungatur, perfecta erit hac in parte de luxationibus doctrina.

Cap. IV.

De Cura Luxationum.

Cura luxationis.

AD curationem omnium luxationum, oportet inprimis ossa luxata, ad suum locum naturalē manu reponere: quòd si manus, & robur humanum imbelle sit, recurrendum est ad instrumenta, quæ huic rei faciendæ ab arte excogitata sunt; instrumenta autem sunt depicta quæ huic rei inserviunt apud Oribasium libro suo de machinamentis. Postquam ossa remissa sunt, & in suis locis naturalibus collocata, membrum in quo accidit luxatio, ligandum est convenienti ligatura, ut os in suo loco naturali contineatur, & membrum deinde ita ligatum quieti est dandum, ne iterum luxetur, aut accurrant humores ibique putrescant & phlegmone fiat, quod ut præcaveatur statim ac remissum est os, cataplasma refrigerans & astringens apponendum est membro, quod sequitur. ℞. Croci martis ℥. j. Lapidis hæmatitis calcinati. ʒ. ß. Colchotar vitrioli loti & à sale suo depurati. ℥. j. Succi jusquiami. ℥. iij. albuminis ovi in spumam agitatione conversi quantum satis ad incorporandum, & fiat cum stupa aceto madida cataplasma frigidè applicandū membro luxato: deinde statim mittendus est sanguis ex basilica partis membro luxato oppositæ, ad quantitatem viribus & ætati ægrotantis correspōdentem, ut fiat revulsio sanguinis affluentis membro luxato, ne phlegmonem pariat, aliaque multa incommoda. Hoc autem cataplasma superius descri-

ſcriptum virtute innata ſua fluxiones impedit, & humores affluxi ne corrumpantur agit: Itaque neceſſe eſt, ut per octo dies, aut decem, maneat membrum ligatum, donec omnino ægrotus perſentiat ſe abſolutè valere. Quod ſi interim calor & pruritus perſentiatur, aceto frigido eſt huic rei ſuccurrendum, cataplaſma madefaciendo donec frigiditas aceti perſentiatur: interim motu lento eſt agitandum membrum ter aut quater in die, ut humores pedetentim evaneſcant qui in remiſſione oſſis luxati in articulatione affluxi ſunt, ne faciant Anchiloſim de qua peculiari ſequenti capite agemus, eſt enim ſymptoma prægrande, quod eſt curatu valde difficile.

CAP. V.

De Anchiloſi articulationis luxatæ.

Anchiloſis quid & eius cura.

IN luxatione aliquando contingit Anchiloſis quæ eſt oſſium connexio humore aliquo agglutinante, qui impedit eorum motus: hæc autem Anchiloſis fit in curatione luxationis, dum nunquam movetur membrum luxatũ, ut motu illo levi rumpatur gluten Mercurii qui affluxit luxatæ parti: dũ enim aliqua pars luxationem patitur, maximus in ea parte cauſatur dolor, & à dolore inflammatio, & calor præter naturam, qui ut extinguatur, natura maximam Mercurii vitalis quantitatem ad eam partem compellit; hic autem Mercurius calore partis magis ac magis condenſatur, & glutineſcit, donec motus omnino impediatur, & ſynarthroſis, ex diarthroſi fiat, quam Medici Græci Anchiloſim dixêre, curatu omnino difficilem: ſi tamen naturalibus remediis poſſumus eam curare, conſulo ut fontes Chymicorum adeamus, ut hinc hauriamus aliquid Anchiloſi utile. Oleum ergo tartari & ſpiritus

ritus tartari rectificatus, & à suo phlegmate depuratus, possunt (si quid est in rerum natura) Anchilosim curare: nam hic spiritus dissolvit certissimè omnes tartareos humores, & dissipat glutinosas & viscosas, quæ generantur in articulatione substantias absque ulla noxa.

SECTIO V.

DE FRACTIONIBUS.

Cap. I.

Quid sit fractio.

Fractio est solutio continui in osse facta; seu, præcisio ossis ab aliqua causa externa violenter facta, cum intemperie balsami naturalis, partis in qua accidit ossis fractio; non enim os unquam vidimus ruptum ab aliqua causa externa violenta, quin pars in qua rumpitur os illico intemperiem quàm maximam suscipiat: omnia enim symptomata quæ in luxationibus supervenire solent, in fractionibus etiam communia sunt, præcipuè dolor, inflammatio, & humorum accursus; illa autem symptomata non possunt alicui parti supervenire quin balsamum naturale illius partis intemperiem quam maximam recipiat; quæ intemperies maximè est impedienda, lenitis, aut omnino sublatis aliis symptomatibus; hoc autem demonstrabimus peculiari capite, ubi de curatione agemus.

Fractio quid.

Cap. II.

De differentiis & speciebus fractionis.

De differentiis fractionis.

SEx sunt species seu differentiæ fractionis, à Medicis Galenistis excogitatæ & inventæ; non tamen cognitu necessariæ ad curationem, ut ipsemet Hippocrates satis indicavit lib. de fracturis, & lib. de vulneribus capitis; in quibus nullam mentionē fecit harum specierum & differentiarum: transversales verò & secundum longitudinem sunt notatu dignæ, quod indicent aliquid quod curationi confert, nempe, ut os fractum reponatur in suo situ naturali, si reponi possit. Medici etiam Spagyrici has contemnunt ossis fracti differentias, habent tantum naturæ intentum, hoc est reponere ossa in suo loco naturali, & parti mederi, non curant qualicunque modo ruptum sit os, modo reponant suis balsamis & medicamentis.

Dividunt autem moderni Medici has fractionis species, in Raphanidon, schidacidon, cauledon, Eisonycham, Alphytidon, & Apothorausin.

Raphanidon dicunt fractionem transversalem ossis, sub qua comprehendunt cauledon, quod scissuras habeat in sua fractione transversali. Schidacidon dicunt fractionem ossis secundum longitudinem, sub qua comprehendunt Eisonycham quod in longitudine sua in semilunam terminetur. Alphytidon dicunt fracturam ossis in multas & varias partes in suo loco naturali aliquando manentes. Apothorausin verò appellant præcisionem alicujus partis ossis in superficie ejus, manēte illa parte à toto separata. Hæ omnes fractionis species possunt cognosci Chirurgicis instrumentis quibus

Chi-

Chirurgi vulnera percontantur, quibus cognitis facilis est earum remissio, & curatio, ut sequenti capitulo Deo dante videbitur.

Cap. III.

De Curatione fractionum.

Cura fractionum.

CUra omnis fractionis consistit in reunione ossis fracti & in coagulatione illius: reunio partium ossis fracti fit industria Chirurgi peritissimi, dum manu sua ossium fractorum partes ad suum locum naturalem & situm reponit; in quo loco naturali tamdiu sunt conservanda ossa, quamdiu est opus ad ea unienda & agglutinanda: communiter intrà quadraginta dies fit: in nonnullis autem bene valentibus & adolescentibus breviori fit tempore; in senibus autem tardiori: quapropter ligamenta convenientia eligenda sunt, qua de re legendus est Oribasius de fasciis & ligamentis.

Repositis ergo ossibus, quod cognoscitur figura naturali membrorum in quibus est fractio, deveniendum erit ad agglutinationem & coagulationem partium ossium fractarum, quod fiet, tum naturali interiori balsamo vitæ, quo nutriuntur partes, & quo conservantur; eo enim solo balsamo utitur natura, ad agglutinationem partium separatarum: balsama enim exteriora quæ adhibentur adjuvant tantum & fovent balsamum illud internum & impediunt ne corrumpatur, aut in alienam transeat naturam, quo solo juvamine natura habet opus ad opera sua perficienda; balsama autem juvantia naturam quamplurima sunt, ut est oleum sanguinis humani, oleum carnis humanæ, & oleum ossium humanorum, & alia multa quamplurima balsama passim in hoc opere enarrata, & præsertim in sectione de vulneribus quibus omnibus uti poterit Chirurgus cum prudentia

debito tempore, adagglutinationem ossium fractorum: ut autem melius ad scopum suum collimare possit, sequenti methodo curabit fractiones. In primis mittit sanguinem ex brachio opposito parti læsæ, ad quantitatem viribus ægrotantis correspondentem postquam ossa fracta ad suum locum naturalem remiserit: ut si sint omnino fracta & à periostio separata, auferanda sunt omnino & à parte rejicienda. Postquam autem hæc omnia ex arte facta fuerint, sanguinem mittet ut diximus: deinde cataplasma astringens & refrigerans superius in capite de cura luxationum præscriptum, membro læso applicabit: transactis decem aut octo diebus auferet, & partem perunget extracto Symphyti majoris & balsamis superius dictis, regimine vitæ observato euchymo, & pauco, quiete partis læsæ observata, præsertim donec coalescant omnia, & pars summo pruritu titilletur.

CONCLUSIO TOTIUS OPERIS.

Completam habes amice Lector, & absolutam Chirurgiæ artem, Spagyrica methodo pertractatam: si quid est quòd Græcis autoribus Medicinæ, ut ajunt, coryphæis repugnet, id non industria factum putes, ut me ipsis clariorem, & in arte nostra subtiliorem putem, aut videri cupiam; at tantum quòd libratis undiquaque ex omnibus harum sectarum authorum rationibus, veritatis & rationis plus in Spagyricorum libris inveniam, & curam citiorem & jucundiorem, imò & tutiorem reperiam, quàm in aliis Galenicorum sectis, quas tamen non reprobo, at in multis laudo. Quòd si aliquando in ipsam acrior, & mordacior, quàm postulet professio, qua fungor videar; id tantum est in particulares quosdam Medicos Galenicos, qui ignorata prorsus Chymia, ipsam veluti vulpes Æsopicæ

matu-

maturos racemos vilipendunt. Itaque benevole Lector si quid inter legendum, nimium durum & acre tibi occurrat, ne me picrocolum in Galenicos existimes; at tantum artis Spagyricæ acerrimum defensorem: nam vim vi repellere licet. Sunt equidem Galenicorum nonnulli, in propugnandis suis, in Spagyricos injuriis & calumniis nimis pertinaces: itaq; in posterum si inducias quærant, linguam compescant, & amico loquantur eloquio, sic etiam tamdem noster illis ridebit Apollo, arcanáq; nostra habebunt patefacta, & fideliter communicata. Certissimum equidem est Paracelsum numquam ita intricatè, & ænigmaticè scripturum fecisse, si Medici sui temporis, injuriis & calumniis primi ipsum non affecissent: iniquum enim erat sua manifestare secreta his ipsis, qui passim suam sectam, & curandi methodum calumniis dilaniabant: non ita tamen ego feci; at clarè admodum scripsi, & lumen, facemq; tenebris induxi, ut Chymiæ nitor percipiatur. Hilari fronte suscipe quæso, lucubrationis meæ laborem, & talentum à Deo mihi communicatum, quod ni me vinceret proximorum promerendi cupiditas, abditis verborum ænigmatibus adhuc occultarem: his interim utere Lector, ad laudem & gloriam summi, optimiq; Dei, & ad solatium Christi asseclarum.

TABULA ALPHABETICA Chirurgiæ Spagyricæ.

Lepra

INDEX.

Vul-

AD

AD HUJUS AUCTORIS ET CHIRURGIÆ SUAE VErè chymicæ laudatissimam experientiam,

Amica duo Epigrammata.

QVis metuat posthac, lethali occumbere morbo?
Curat eum verá, Chymicus, arte FABER.
Hoc tamen, ut sons est, intellige, Zoile, Corpus
Si, sine sit morbus, non sine morte fore:

Phaleucia.

HInc Cancri, scrofulæ, lues, venena,
Leprosæ tineæ, tetri tumores,
Exeste, & celeres procul migrate:
Aut noster Philochymicus FABER *vos*
Flammu mercurii sui vorabit.

Hæc posuit in tanti sui Medici perpetuam, & numquam intermorituram amicitiam: P. de PASCHERIE Consiliarius Regius.

FINIS.